COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER II.

DE PERSONIS

cum authenticis declarationibus usque ad diem 7 Julii 1921

(A. A. S. XIII, fasc. 9)

Editio altera.

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

LECT. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.
ET CODICIS PROFESSORE IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI
« ANGELICO »

ROMAE

LIBRERIA
DEL COLLEGIO " ANGELICO "
Via S. Vitale, 15

LIBRERIA EDITRICE RELIGIOSA
F. FERRARI
Via dei Cestari, 2

1921

ROMA — STABILIMENTO POLIGRAFICO PER L'AMMINISTRAZIONE DELLA GUERRA

DILECTAE PROVINCIAE

SS. ROSARII PHILIPPINARUM

EX ORDINE PRAEDICATORUM

LEGIFERI PATRIS DOMINICI

DIVINO SPIRITU FECUNDATAE

TOT DOCTORUM AC VIRORUM STUDII APOSTOLICI

COHORTISQUE MARTYRUM MATRI

HOC VOLUMEN

VELUTI TENUE FILIALIS

GRATIQUE ANIMI PIGNUS

BENEVOLO LECTORI

En opus prae manibus habes, hac intentione digestum, ut iuvamen afferat bonae illorum voluntati, qui aliis curis distenti, vacare nequeunt collationi diversorum canonum, ex quibus erui possunt solutiones difficultatum quae Codicem simpliciter legenti in mentem veniunt. Magnam putamus eis etiam utilitatem ex eodem orituram, qui tyrones in ss. canonum studio, duce indigent qui adnotet necessaria pro eorum recta intelligentia, in quorum gratiam evolvuntur nonnulla quae doctis vana videri possunt; his demum, quin docere velimus, si quaedam prodesse videantur, sine invidia quoque communicamus.

De operis contextu facile percipiendo pauca libet addere. Connexionem canonum numquam praetermisimus, imo schemata inseruimus memoriae iuvandae causa. Insuper cum canones, etsi voluntate legislatoris positiva condantur, non sunt pro libitu orti, sed legibus divinae ac naturali innituntur, nec rationibus etiam ab experientia petitis eorum existentiae destituuntur, quas cognoscere erit absdubio introspicere canonum eximiam prudentiam, unde promanent existimatio eorum et amor. Illasque non ex privatis doctoribus sed ex iuris fontibus duximus repetendas, in quibus Ecclesiae more sunt expressae. Hoc primum; secundas curas adhibuimus perpendendo congruentíam ac discrepantiam Codicis cum praeexistente iure, quod egimus duplici po-

tissimum de causa. Iuris illius magis vel minus periti Codicem attente legentes quandoque praeiudicium ex praehabita cognitione incurrere possunt, eo quod leves mutationes nec ipsorum advertet diligentia; omnibus autem opus est tali collatione canonum Codicis ac praeteritorum, ad hoc ut discernant subtiliter in quibus interpretandis et qua mensura usui esse possint sapientes Canonistae, et in quibus aliis vel eorum particulis qua novis omnino, non antiquis scriptoribus deferendum, sed sua ipsorum sententia sit perpendenda.

Ultimo, studium praecipuum apposuimus ad hoc ut verba perspiceremus « secundum propriam eorum significationem in textu et contextu consideratam », clausulas singulas et coniunctim consideravimus diligenter, « ad locos Codicis parallelos recursum habuimus » ad normam can. 18, et quaecumque animadvertere potuimus « explicite vel implicite in Codice contineri » ac propterea « ex disciplinaribus legibus vim non amississe » (can. 6, 6°), Codicis sententias evolvendo libenter notare voluimus animo pro posse simplici ac praeiudiciis vacuo. Ita existimavimus commentandos canones, ut non proprios sensus vel aliorum doctiorum traderemus, sed, prout veri est interpretis, mentem ac voluntatem legislatoris ecclesiastici panderemus.

Haec priori editioni praemisimus. De altera praesenti est sciendum, curam nos apposuisse primo, ut quaecumque authenticae prodiere declarationes suis in locis exprimerentur, ac secundo ut ampliores quae desiderabantur, nonnullorum canonum explicationes pro modulo nostro insererentur. Nec desunt paucae Commentarii correctiones, quas necessarias esse iudicavimus.

Restat ut nostrum desiderium satisfaciat Dominus, conforme illi sententiae quoad leges ecclesiasticas etiam verae: « Non auditores legis, sed factores legis iustificabuntur », et pro acceptis cognitionibus gratias reddamus omnium bonorum Datori, per quem legum conditores iusta decernunt, et cui soli Deo honor sit et gloria in aeterna saecula.

Vale.

CENSURA ECCLESIASTICA ET LICENTIAE

Nos infrascripti, de mandato Rev.mi P. Vicarii Generalis Ord. Praed. attente perlegimus opus manuscriptum cui titulus: *Commentarium textus Codicis Iuris Canonici. Lib. II. De personis* ab adm. R. P. Doctore Fr. Alberto Blat Codicis Iuris Canonici Antecessore in Collegio Pontificio « Angelico » compositum, et dignum ducimus quod in lucem edatur.

Romae, die 10 Nov. 1920.

Fr. Celedonius Blanco, O. P.,
Sac. Th. Lr. et Iur. Can. Dr. et Prof.

Fr. Iosephus Gonzalez, O. P.,
Doctor et Profess. iuris can.
in Universitate Friburgensi, Helv.

IMPRIMATUR:

Romae, 13 Novembris 1920.

Fr. Leonardus Lehu, Vic. Mag. Glis. O. P.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vicesger.

ADDENDA ET CORRIGENDA

In pag. 452 ante num. 462. Haec clausula *nisi obstet fundatorum expressa voluntas* aequipollet significatione alteri, quae in absentiae indultis vel aliis documentis inseruntur « amissis distributionibus *inter praesentes* tantum », ad cuius intelligentiam (ex folio causae Parentinae et Polen., 20 Jan. 1906 in Thesaur., CLXV, pag. 13) « scitum est distributiones chorales dupliciter dispesci, in distributiones nempe *ordinarias*, quae vulgo *quotidianae* vocantur, suntque fructus laboris qui canonicis in choro praesentibus tribuuntur; nec non in distributiones extraordinarias seu *inter praesentes* tantum, quae interdum fiunt canonicis ob suam adsistentiam quibusdam extraordinariis officiis, *ad quae, vi suae praebendae stricte non tenentur :* huiusmodi aliae dicuntur *fixae,* si quotannis ex anniversariis aliisque constanter redeuntibus officiaturis proveniant : aliae vero eventuales seu *incertae* si, v. gr. ex funere, associatione, exsequiis, forte supervenerint ». (1)

Hinc intelligitur « Resolutio, quam Emi ac Rdmi Patres S. Congr. Concilii respondendam censuerunt ad propositum dubium : An absentes a choro vi indulti Apostolici quo conceduntur distributiones amissis *inter praesentes tantum,* ius habeant ad fallentias, in casu. — *Affirmative,* dummodo ne agatur de fallentiis e distributionibus inter praesentes tantum provenientibus ».

Ad can. 492 sunt referendae recenter editae in Commentario officiali (XIII, 312) « Normae secundum quas Sacra Congregatio de Religiosis in novis religiosis congregationibus approbandis procedere solet ». Has Ssmus D. N. Bened. PP. XV approbavit, iuxta Decretum die 6 Martii 1921.

Obiicies ad can. 569 § 1 « Ante professionem » est intelligendum *primam,* quia subditur « novitius debet » ; atque talis non est post illam. Resp. hanc obiectionem nihili faciendam esse, quia, sicut in can. 552 § 2, dicitur « adspirantis voluntatem », quod nomen proprie designat postulantem sed intelligitur quoque de novitia et temporaliter professa, ita similiter hoc in canone vocatur « novitius » proprie ante primam professionem, qui postea perpetuam professionem emittet. — Id confirmatur sequenti reflexione circa contextum. Quia canon 552 situs est sub art. I. « De requisitis ut quis in novitiatum admittatur », subiectum quoad praescriptum vocatur *adspirans,* quamvis idem requisitum exigatur quoque in novitia ante professionem, ac in professa temporario ante perpetuam professionem. Sic pariter quia can. 569 positus fuit sub art. II. « De novitiorum institutione », praescriptum illius est quoad *novitii* obligationem, sed cum haec duplex sit, idemque ante utramque sit praescriptum, dicitur « novitius debet ».

(1) Ita ex fol. S. C. C. 151 Ian. 1921. CO. XIII, 201.

INTRODUCTIO

1. **Commentarii huius nomen et scopus.** — « Commentarium », quod incipere intendimus in Nomine Domini, vocatur congrue « Textûs Codicis Iuris Canonici » ad innuendum in eodem adhiberi praelaudandum Codicem velut librum textus, in ordine sequendum atque in sententiis explicandum.

Finis vero quem in hoc Commentario persequimur est perfecte callere sacrorum canonum praescripta in illo Codice contenta, nam ut ait Celsus et in Pandectis scriptum est : « Scire leges non hoc est, verba eorum tenere, sed vim ac potestatem. — Hinc consequens erit, ut magis demiremur supremae potestatis ecclesiasticae prudentiam regitivam, quae mirabiliter elucet in ordinatissima dispositione *domus Dei*, *quae*, teste D. Paulo [1], *est Ecclesia Dei vivi*; ita ut potiori ratione nobis accidat quod in III Regum X, 4 seq. legitur; nempe : « Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam aedificaverat, et cibos mensae eius, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas et holocausta, quae offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum. Dixitque ad regem : Verus est sermo, quem audivi in terra mea... maior est sapientia et opera tua, quam rumor, quem audivi... Sit dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et constituit te regem, ut faceres iudicium et iustitiam ».

2. **Methodus** adhibenda in Codicis Iuris Canonici textu explicando nobis praestituta est a S. Congr. Seminariorum et Universitatum per sequens mandatum pro schola Textus canonici datum sub die 7 Aug. 1917 [2], quod libenter amplectimur ac pro nostro modulo exsequemur. Videlicet : « in schola antehac *Textus* aptissime nuncupata, in qua ius canonicum penitus copioseque praelegitur, ita in posterum eiusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia synthetice proposita, sed accurata quoque uniuscuiusque canonis analysi, ad cognoscendum et intelligendum Codicem veluti manu ducantur : debent scilicet doctores iuri canonico tradendo, ipso Codicis ordine ac

[1] I ad Timoth. III, 15. — [2] CO. IX, 439.

De personis[1]

- notio — Can. 87
- physicis
  - denominationes iuridicae
    - ex corporis evolutione ac consequenter animi
      - diversa » 88
      - iuris effectus » 89
    - ratione loci
      - originis » 90
      - commorationis » 91
  - quoad commorationis locum
    - diverse acquirendum » 92
    - necessario retinendum » 93
    - iuris effectus » 94
    - quibusdam modis amittendum » 95
  - quoad propinquitatem ad alias personas
    - ex natura: consanguinitas » 96
    - ex voluntate: affinitas » 97
  - quoad ritum diversum acquirendum, mutandum, diversimode amittendum » 98
- moralibus
  - notio ac distinctio » 99
  - diversa origo iuridica » 100
  - quoad actuum vim iuridicam » 101
  - quoad durationem » 102
- utrisque
  - agentibus ex
    - vi, metu aut dolo » 103
    - errore praesertim in contractibus » 104
  - requirendis de consensu vel consilio » 105
  - quoad praecedentiam inter ipsas » 106
- in genere divina ordinatione distinctis » 107

[1] Vide canones in pag. 2, 4, 34, 35, 41.

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

CAN. 87. - Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura.

CAN. 88. - § 1. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem, minor.

§ 2. Minor, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo.

§ 3. Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans seu puer vel parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur. Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti.

CAN. 89. - Persona maior plenum habet suorum iurium exercitium; minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.

CAN. 90. - § 1. Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium aut in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater.

§ 2. Si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus: si de exposito, est locus in quo inventus fuit.

CAN. 91. - Persona dicitur: *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium.

CAN. 92. - § 1. Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum.

§ 2. Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem.

§ 3. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi- paroecia dicitur *paroeciale*; in diocesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum*.

CAN. 93. - § 1. Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui; amens, domicilium curatoris; minor, domicilium illius cuius potestati subiicitur.

§ 2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata etiam domicilium.

CAN. 94. - § 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur.

§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.

§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur.

CAN. 95. - Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93.

CAN. 96. - § 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto.

§ 3. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae: si duo tractus sint inae-

quales, tot gradus quot generationes in tractu longiore.

CAN. 97. - § 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato.

§ 2. Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

§ 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.

CAN. 98. - § 1. Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit, nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, vel ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret.

§ 2. Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem, sive orientales ad latinum ritum assumendum.

§ 3. Nemini licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti.

§ 4. Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo durante, transire; matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit.

§ 5. Mos, quamvis diuturnus, sacrae Synaxis ritu alieno suscipiendae non secumfert ritus mutationem.

titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Iidem tamen magistri, antequam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones mutationes ac vices, ut discipuli pleniorem iuris cognitionem assequantur ».

3. **Inscriptio Libri et connexio cum immediatis.** — Postquam in Lib. I Codicis traditae sunt a legislatore Ecclesiae humano « Normae generales », quae prae oculis habendae sunt in quolibet canone pro data opportunitate, *Liber II.* inscribitur *De personis* cui subsequitur tertius Lib. « De rebus », et quidem logice. Nam in quacumque perfecta societate, proindeque in Ecclesia, praeter finem eidem praestabilitum, requiruntur ad eius existentiam tum generis humani individua, non quidem qualitercumque aggregata, sed coadunata ordinate sub habentibus auctoritatem, tum media in societatis usu posita, ut haec proprium finem consequatur. Sed praevie concipitur existentia societatis, quae ordinata personarum distributione saltem subditorum et iubentium constat, antequam societas operetur per usum mediorum, quae « res » in iure vocantur, etiam in Instit. Can. de Iure Romano. — Et praedicto sensu pro nunc potest accipi haec inscriptio « de personis ». Videbimus tamen in posterum alia quoque venire personarum nomine.

4. **Ordo canonum.** — Datâ notione personae in Ecclesia per can. 87, sequuntur undecim can. 88-98 de personis physicis,

sive afferentes diversas earum denominationes iuridicas, ut can. 88-91, sive tractantes de commorationis ipsarum loco, ab acquisitione usque ad amissionem, et sunt can. 92-95; de propinquitate personarum sunt can. 96-97, ac de rituum diversitate in ipsis est can. 98. Alii canones 99-102 de personis moralibus agunt, et can. 103-106 de utrisque loquuntur vel diversimode agentibus, vel requirendis de consensu vel consilio, ac de praecedentia inter ipsas; ultimusque canon 107 statuit generalem distictionem, quae fundamentum praebet Libri divisioni in tres partes.

5. **Personae notio.** — Analysim instituamus *can. 87. Baptismate* verbum cum sine addito sanguinis aut flaminis dicitur idem est ac baptismus aquae seu sacramentum, nam (can. 18) « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem ». Considerandum est quod baptizare proprie designat abluere, quae actio est usus aquae, ac proinde « baptismate » exprimitur illud de quo ait Dominus Iesus in Evangelio: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei » (Io. III, 5), sive hoc accipiatur pro Regno Messianico, quod invenitur in Ecclesia, sive melius pro beatitudine celesti ad quam ducere proprium est Ecclesiae. De hoc etiam idem Dominus Apostolis iussit (Matt. ult. 19): « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». — Verum est Christum dixisse quoque (Luc. XII, 50): « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur ». Loquebatur autem de sua passione et morte, cui conformantur martyrium pro fide strenue sustinentes, ita ut effectum remissionis consequantur sicuti aqua baptizati, et propter hoc baptismum sanguinis appellatur. Item legitur in Actibus Apost. (1, 5): « Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto », quod etiam contingere potest fide, quae per dilectionem operatur, illis qui nondum baptismum aquae, quod desiderant, susceperunt. Et hoc dicitur baptisma flaminis. Haec duo vero illud nomen analogice tantum sortiuntur.

Vero igitur seu valido *baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona*. « Homo » verbum est genericum de viro ac muliere intelligendum (sicut scriptum est in Romanorum

iure[1]: « Hominis appellatione tam feminam quam masculum contineri non dubitatur »), « constituitur » idem est ac fit quod prius non erat; et cum constituatur « persona », haec evidenter non sumitur communi ac philosophico modo « pro rationalis naturae individua substantia » praerequisita baptismati suscipiendo, sed pro individuo societatis non cuiuscumque, atque ut designetur haec, praemittitur « in Ecclesia Christi », quo nomine tantum Catholica Ecclesia venit prae omnibus protestanticis, quia solum de ipsa verum est quod Christus ait: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo *ecclesiam meam et* portae inferi non praevalebunt adversus eam ». - Quamvis « persona » nominetur etiam in Juris Rom. Instit., non est verbum iuridice romanum sed hodierni usus, quod iam a pluribus saeculis adhibetur ad significandum subiectum iurium, ad quod in iure Romano non erat sufficiens esse hominem intra eorum societatem, sed requirebatur insuper *status libertatis* et pro iuribus civilibus *status civitatis*. Sed quia ut ait Apostolus[2], « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu », recte subiungitur: *persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis*. « Iuribus » verbum hic intelligendum est de subiectivis, quia « et officiis » additur, quod verbum est alteri correlativum, et designat obligationes quae pluries adimplendae sunt, proindeque ut quid habituale « officium » proprie nuncupantur.

Omnes christianorum obligationes baptismate contrahi est de fide[3]. « Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit ». Et idipsum valet tum de baptismo, « qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia », quia Conc. Trid. definivit (loc. cit. can. IV.): « Si quis dixerit (huiusmodi) non esse verum baptismum, anathema sit », tum de parvulis baptizatis iuxta eiusdem Conc. can. XIV: « Si q. d., huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint interro-

[1] L. 152 D. tit. XVI, Lib. L. — [2] Gal., III, 27 seq. — [3] Can. VIII, de bapt., sess. VII, Conc. Trid.

gandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos;... A. S. », tum denique de illis, « qui apud infideles fidem Christi negaverint », nam « Si q. d. verum et rite collatum baptismum iterandum esse illis... cum ad poenitentiam convertuntur, A. S. » (loc. cit. can. XI).

Est valde notandum in can. 87, officiis nullam exceptionem seu limitationem apponi, quapropter etiam de valide baptizatis apud protestantes verificatur, contra doctrinam AA. excludentium eos ab Ecclesiae praeceptis ex huius praesumpta voluntate; quamvis non asseramus eos peccare, cum huius obligationis ignorantia imô libertatis persuasio eos in transgressione a culpa excuset. - E contra de iuribus adnectitur in can. « *nisi, ad iura quod attinet, obstet obex* », qui vel a natura proveniat, sicut in puero baptizato quoad ius ad matrimonium contrahendum, vel a propria voluntate, sicut in peccatore publico quoad ius ad eucharistiae sacramenti susceptionem, vel contra propriam voluntatem ab altero v. gr. in eo qui malitiâ hominum impotens factus est, quoad ius ad matrimonium inter christianos quod est sacramentum, et generaliter quoad omnia iura in baptizato apud haereticos aut schismaticos, qui in secta eadem permaneat. - *Ecclesiasticae communionis vinculum impediens*, non necessario auferens, et « ecclesiastica communio » dicitur, recte distinguenda a communione sanctorum, quae in fide et charitate internis fundatur, et permanere potest quamvis « ecclesiasticae communionis », idest: exterioris inter membra Ecclesiae, quae in legibus Ecclesiae fundamentum habet, impediri queat, non tantum modis praefatis propter obicem, sed etiam uti subiungitur: voluntate Ecclesiae, nempe sicut dicitur in fine: *vel lata ab Ecclesia censura*, sive quae privet omnino communione ecclesiastica v. gr. excommunicatio, sive partialiter v. gr. suspensio, vel interdictum. In hoc ergo canone vidimus notionem personarum, de quibus proprie in hoc libro agitur; et continet partem positivam generalem circa personarum constitutionem, atque a loco « ad iura quod attinet » affert duplicem exceptionem ut plurimum quoad eorum exercitium.

6. **Diversae ac iuridicae personarum denominationes.** — Hac posita notione, subsequuntur diversae personarum appellationes canonicae, quia diversos effectus canonicos, idest secun-

dum leges ecclesiasticas, habere possunt. Et imprimis ponuntur quae fundamentum habent solum in natura, scilicet ex profectu corporis et consequenter animi; dum ait *can. 88* in § 1. *Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit* (scilicet: nativitatis « dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » (can. 34 3, 3°) mensis nativitatis et anni vicesimi primi) *maior est; infra hanc aetatem, minor*. Hic terminus aetatis iam ab antiquo est constitutus, et in hodiernis civilibus legislationibus plus minusve retentus.

§ 2. *Minor, ut supra, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina a duodecimo anno* utriusque *completo*. De hac denominatione loquitur cap. III « de desponsatione impuberum » (IV, 2) ex S. Isidoro: « Puberes a pube sunt vocati, idest, a pudentia corporis nuncupati: quia haec loca primo lanuginem ducunt. Quidam tamen annis pubertatem existimant: idest, eum esse puberem, qui XIIII annos implevit, quamvis tardissime pubescat. Certum autem est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare iam potest. Et puerperae sunt, quae in annis puerilibus pariunt ». Textus iste distinctionem innuit inter pubertatem legalem et veram seu naturalem. Berardi ait: [1] « Apud priscos Romanos iurisconsultos acris exarserat controversia in scholis Cassianorum et Proculeianorum: nimirum Proculeiani ex annis, Cassiani ex corporis habitu pubertatem existimabant, uti testatur Ulpianus in fragmentis (tit. XI, § 28) ». Sed christiane censuit Iustinianus aiens [2]: « Indecoram observationem in examinanda marium pubertate resecantes, iubemus, quemadmodum feminae post impletos duodecim annos omnimodo puberes iudicantur: ita et mares post excessum quatuordecim annorum puberes existimentur, indagatione corporis inhonesta cessante ». Hoc iam receptum in iure canonico, sequutus est canon 88, sed brevius ac verius, dum ait: « Minor censetur pubes », subintelligens non in singulis casibus ita esse secundum veritatem, sed ex aetate dimetiendum iuxta effatum in Pand. [3]: « Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter, et facile, quam quae perraro eveniunt ». - Diversitas inter puerum et puellam in hac re apud omnes fuit admissa, D. Th. enim sic aiebat: [4] « puella in duodecimo anno

[1] Tom. III, disp. IV, cap. II. — [2] Cod. L. V. tit. LX, l. III.
[3] L. I. tit. III, l. V. — [4] Suppl. q. XLIII, art. 2 ad 3.

ad hoc venit ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii, ut Philosophus ait lib. 7 de Hist. animalium ».

Dicitur in § 3. *Impubes, ante plenum septennium, dicitur infans seu puer vel parvulus;* sic revera promiscue in usu communi, etsi possit philologice distinctio significationis assignari: « infans » ob loquelae defectum, « puer » propter aetatem, « parvulus » ob corporis parvitatem. Adiungitur: *et censetur non sui compos; explêto autem septennio, usum rationis habere praesumitur.* Ita ex lege « statuitur rei forsitan incertae probabilis coniectura » (can. 1885, 1°), quidquid accidat in veritate, iuxta illud in Dec. « Quam singulari »[1] S. Congr. de disciplina Sacramentorum: « Aetas discretionis, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra ». *Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti*, nempe: non ex causa transitoria, velut ebrietate, somno; sed stabiliter, ut mentecapti. Recte dicit canon: « Infanti assimilantur », quia quamvis non aetate, defectu tamen rationis vere ipsis pares sunt.

Fundamentum distinctionis personarum expositae D. Th. perbelle explicat (loc. cit. in corp.) dicens: « respectu rationis usus, triplex gradus notatur secundum Philosophum in I Ethic. Primus est, cum quis neque ipse intelligit per se, neque ab aliquo capere potest; secundus est status quo homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum et intelligendum; tertius est cum homo et ab alio iam capere potest, et per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundum quod quietantur motus et fluxibilitas humorum, ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium; et propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennii: unde etiam tunc temporis pueri ad scholas ponuntur ». Scilicet: D. Th. tempore, atque ad intellectu capiendam doctrinam. « Sed ad tertium statum incipit homo pervenire in fine secundi septennii, quantum ad ea quae ad personam ipsius pertinent, in quo ratio naturalis eius convalescit; sed quantum ad ea quae extra ipsum sunt in fine tertii septennii ». Hinc apparet

[1] 8 Aug. 1910. C. O. II, 582.

quanta polleat aequitate ac naturae sit consentaneum praescriptum can. sequentis.

7. **Effectus canonici distinctionis praec. personarum.** — *Can. 89. Persona* a) *maior plenum habet suorum iurium exercitium;* b) *minor in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet;* c) *iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet.* Cum canon in ultimo commate non distinguat, « ius » est intelligendum, vel divinum v. gr. ut minor iam baptizatus in protestantismo se convertat post 7 annum ad veram religionem, ut iam catholicus religiosum amplectatur statum post adeptam pubertatem, vel canonicum in obiectis iurium subiectivorum in ss. legibus relatorum, vel ius civile quando in quibusdam rebus expresse per sacros canones admittitur. De hac limitatione quoad minores exemplum afferri potest ex praec. iure canon. v. gr. ex cap. 3 de Iudiciis in 6° in fine (II, 1): « In huiusmodi quoque litibus sive causis, quamquam in potestate patris existas.... eius (cum de his se intromittere non habeat) nequaquam requiri debebit assensus », et plura inveniuntur exempla in hoc Codice iur. can., ut patebit infra.

8. **Diversae personarum denominationes iuridicae ratione commorationis in loco.** — Praedictae distinctioni personarum ex physica earum natura desumptae subsequitur alia denominationis personarum distinctio relate ad locum quem inhabitant, quae pendet ab earum voluntate, atque maioris momenti est iudicanda propter effectum sortiendi proprium Superiorem personarum immediatum, sive ad negotia quae intersunt soli fideli, sive ad negotia quae fiunt externe apud ipsam Ecclesiam. Hic proinde agitur etiam de domicilio atque quasi-domicilio, et comprehendit sex canones, scil. 90-95.

9. **Locus originis.** — Et primo cum infanti voluntas desit, et ipse baptizari queat, ut determinetur rationabiliter subiectio eius, providet *can. 90* statuens in § *1. Locus originis filii, etiam neophyti*, quod dicitur abrogando Const. Pauli III « Cupientes Iudaeos » et Clem. XI « Propagandae » de baptizatis in adulta aetate, ut sic conformetur ius rei veritati, quia origo est non ex baptismate, sed ex nativitate; *est ille in quo cum filius natus est*, a) *domicilium aut*, et hoc notetur: *in defectu domicilii*, et in hac hypothesi tantum ne fallaciter nominetur duplex ori-

ginis locus alicuius personae, *quasi-domicilium habebat pater* b) *vel* in huius substitutione, *si filius sit illegitimus aut postumus*, supple: « habebat » *mater*.

Revera originem ut distinctum membrum societatis nativitas facit. Haec vero cum naturaliter eveniat impleto tempore pariendi, potest contigere quocumque in loco; interest tamen societati ut de loco nativitatis possint faciles probationes haberi, quod multoties deesset pro singulis natorum ex accidenti casibus. Inde ius nominat locum originis, ubi quis debuit nasci: et quia mater lege subiectionis commoratur apud virum, a qua lege solvitur ordinario tantummodo per mortem viri vel quia viro non subiicitur pariens illegitimum; propterea locus domicilii patris recte attenditur, et solum in casibus praedictis domicilium matris. - Potest autem pluries accidere coniuges domicilio et quasi-domicilio privari quando eis nascitur puer, uti patebit in can. seq., aut parentes parvuli esse ignotos, et de infantibus his sollicitus legislator subiungit § 2. *Si agatur de filio vagorum*, qui nempe: « nullibi domicilium habeant vel quasi-domicilium » (can. 91), *locus originis est ipsemet nativitatis locus*, et quidem adamussim servata veritate; *si de exposito, est locus in quo inventus fuit*. Equidem verisimilius infans in locum non longe distantem a loci nativitatis parochia est deductus, vel saltem tunc tantum quando invenitur, societati natus innotescit. Videtur ex modo loquendi absoluto, id fuisse statutum de quocumque exposito, sed si parentes vel mater certo appareant, puto aptandum huic exposito praescriptum § 1, atque tunc § 2 ex loquutione non vana liberat solum a quacumque inquisitione parentum peragenda. Hoc dictum sit probabiliter.

10. **Denominationes personae ex loco.** — Cum una et eadem persona, sicut facile ex can. 92 eruitur, queat simul habere domicilium in uno loco, quasi-domicilium in altero, atque in tertio nunc degere; accurate loquitur *can. 91. Persona dicitur: incola, in loco*, seu respectu ad locum *ubi domicilium, advena, in loco ubi quasi-domicilium habet; peregrinus, si versetur* a) *extra domicilium* b) *et quasi-domicilium* c) *quod* alterutrum *adhuc retinet*; tria haec ultima copulative, aliter cum praec. vel sequenti confunderetur; *vagus, si nullibi* a) *domicilium habeat* b) *vel quasi-domicilium*. Nullaque indiget explicatione.

Hae denominationes incognitae non fuerunt iuri Romanorum, nam sicut scriptum est in Codice:[1] « incolas vero (sicut et divus Hadrianus edicto suo manifestissime declaravit) domicilium facit. Et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si rediit, peregrinari iam destitit ».

11. **Domicilium et quasi domicilium diversum.** — Animus, lecto canone praec., statim desiderat *can. 92. Domicilium*, quod idem sonat ac domum colere seu larem constituere, *acquiritur* (ergo agitur de initio domicilii) primo *commoratione* actuali *in aliqua paroecia aut quasi paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica;* quid haec verba in Codice significent infra dicitur. Sufficiat nunc scire quasi-paroeciam esse paroeciae similem, et vicariatum apostolicum, praefecturam apostolicam dioecesi esse aequipollentes.

Praeter illam commorationem opus est adhuc disiunctive: *quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet*, hoc est: semper, quia conditio haec utpote resolutiva non mutat praesentem voluntatem, et haec verba congruunt definitioni domicilii in Romanorum iure, unde in Ius canonicum fuit translatum hoc institutum: *vel sit protracta ad decennium completum*, quod est proprium Codicis, uti domicilii constitutivum.

Plura sunt hic explicanda. « Commoratio » vi vocis idem est ac moram trahere cum aliis, sed impraesentiarum propria eius significatio et conformis iuri praecedenti est idem ac inhabitandi actio, non ut quidam actus v. gr. causà comestionis, vel invisendi amicum; nec ut actuum repetitio causâ occupationis propriae in domo aliena vel publica, sed inhabitandi actio ad modum familiarum loci, sive in domo propria sive in conducta, sive in diversorio, sive hospitii causa. Nec « rerum ac fortunarum suarum summam constituere ibidem » fuit iudicatum domicilii ordinarii constitutivum, sed ad illius probationem admissum. Verbum autem « commoratio » adhibetur in canone, quia ut quid communius aptatur magis hodiernis homi-

[1] L. VII, tit. XXXIX, lib., X.

num moribus. Secundum hos etiam, cum frequenter quis in una civitate velit commorari, sed huc illucve sedem figere cogatur, non tantum consideratur illa commoratio in una paroecia, sed etiam successiva in diversis paroeciis eiusdem tamen dioecesis. Quae consideratio nova est in iure nostro scripto, sed ex iurisprudentia canonica iam fuerat deducta in praxim pro re matrimoniali. Domicilium ergo acquiritur per explicatam commorationem in aliqua paroecia, intra fines nempe illius territorii; « aut saltem » intra fines dioecesis, vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae. Revera semper ac commoratur quis in paroecia, etiam commoratur in dioecesi, etc., sed quia potest contingere adhuc secundum Codicem, ut paroeciae vel quasi-paroeciae desiderentur in dioecesi, etc., pro hoc casu et etiam pro casibus antedictis, bene dicitur: « aut saltem in dioecesi », etc. Sed talis commoratio ut factum non sufficit nisi « coniuncta sit cum animo », seu intentione implicita, non dicitur voluntate « ibi perpetuo manendi ». Animus enim attribui potest homini qui coactus infirmitate incurabili ad hospitale confugit, vel aliâ de causâ extra eius potestatem in loco aliquo commorari statuit, quamvis alienus sit ab eis locis voluntatê sua. Statim ergo atque illa duo praedicta scilicet: commoratio et animus quoad eamdem paroeciam... vel dioecesim... unam simul existunt, domicilium fixum acquiritur ibidem, et persona illud acquirens incola est in eo loco cum canonicis effectibus.

Obiici potest: « propositum in mente retentum nihil operatur aut mutat ». Ita porro si de solo proposito quaestio sit, sed hic coniungitur cum facto commorationis externo. Et si urgeat obiiciens, animum necessarium iuxta canonem, si mente tantum retineatur, nobis minime innotescere ex commoratione, alias legislator superflue huius coniunctionem cum eo animo petiisset: respondeo: manifestationem animi perpetuo ibidem manendi non esse necessariam iuxta expressionis proprietatem canonis ad consequendum domicilium, sed ut hoc acquisitum innotescat non personae domiciliatae, quae conscia est de sua voluntate, sed aliis quorum intersit, quod multis ex signis deprehendere certo possunt hi etiam, imo quandoque sola personae domiciliatae asseveratione, dummodo haec prudentem suadeat. - Huius animi locum supplet commoratio protracta ad integrum decennium. Hinc solo isto facto, etsi excludatur ille animus,

potest nunc domicilium acquiri. Hoc secumfert particula « vel » disiunctiva. Unde magna est inducta iuris canonici mutatio, uti apparet ex B. « Speculatores » Innoc. XII et ex Canonistis ac Theologis, qui tunc rite decursum decennii accipiebant, ut indubium animi necessarii signum, quod quia esse deficiens posset, Innoc. XII voluit iusiurandum de tali animo exprimendum adhuc fuisse. Et sic ab eo inductum erat in iure domicilium qualificatum ad id necessarium ut quis obtineret episcopum ordinationis proprium. Altera vero ex parte nunc scripto iure mera commoratio cum animo ibidem perpetuo manendi sufficit, quin commorans teneatur ibidem, iuxta definitionem domicilii ex (X, 39) l. VII, Cod. De municipiis... et summam bonorum suorum constituere, nequidem maiorem partem transferre. - Demum illud « perpetuo » non interpretandum est « sine interruptione manendi », ut arguitur sive ex can. 95, propter quem non sufficit recessus a loco domicilii ad hoc amittendum, sive ex aliis.

Alius modus acquirendi domicilium solo facto est quando iam explicata « commoratio sit protracta ad decennium completum ». Cum ergo terminus a quo temporis implicite assignetur, scilicet factum commorationis, quae protrahitur, applicandus est can. 34, § 3, nn. 1 et 3 [1]. - Cum decennium commorationis debeat esse completum, si interrumpatur peregrinatione materialiter sumpta, quasi-domicilio, sed cum animo revertendi, supplendum interruptionis tempus. (sed interruptiones forsan mensiles singulis annis infra quinque annos non suppleantur) dummodo ad 10 menses non pertingat. Ita interpretamur, ex analogia ad praescriptum can. 556 ibi exponendum de interruptione anni continui et completi Novitiatus, secundum normam can. 20 [2].

[1] Can. 34... § 3. Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus a quo explicite vel implicite assignetur: 1° Menses et anni sumantur prout sunt in calendario... 3° Si terminus a quo non coincidat cum initio diei, ex. gr. decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione Sedis Episcopalis, decendium ad appellandum, etc., primus dies ne computetur, et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

[2] Can. 20. Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia Doctorum.

Applicando explicationem ad § 2, huius liquet dispositio. Videlicet: *quasi domicilium acquiritur* actuali a) *commoratione* uti supra in § 1 fuit expressa et declarata, *quae* disiunctive b) *vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem*, et quamvis « in iure nomine anni venit spatium 365 dierum » (can. 32, § 1), clausula est intelligenda « ad sex saltem menses », prout ex iure praecedenti confirmato v. gr. in Litt. encycl. S. C. S. Officii [1] ad Epp. Angliae et Stat. Foeder. Amer. Sept., quia canon « ex hac parte cum veteri iure congruit » (can. 6, 3). Praedictus animus habet implicitam conditionem: *si nihil inde avocet*, quae in § 1 commentata est, b) *vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem*, scilicet: saltem ad sex menses continuos. Hoc desumptum est ex Rescripto S. C. S. Officii [2]. Non sufficit ergo « ad notabilem anni partem » praefata minorem, quod iam ab omnibus Auctoribus admittebatur. Ad quasi-domicilium quod attinet, breviores tantum admitterem dierumque praedictas sub § 1 interruptiones, equidem supplendas.

Nova iuridica denominatio partialiter habetur in § *3. Domicilium vel quasi-domicilium* ut in § 1 declarata sunt, *in paroecia vel quasi-paroecia* (aequiparantur ergo istae ratione tum commorationis tum animi de permanentia in alterutrius territorio) *dicitur paroeciale; in dioecesi, vicariatu, praefectura*, supple: « domicilium vel quasi-domicilium » paulo ante declaratum, et notari vellem quae sequuntur verba: *non autem in paroecia vel quasi-paroecia*, appellatur in Codice *dioecesanum*. Unde alicuius domicilium vel quasi-domicilium dicitur dioecesanum, solummodo quando alterutrô existentê, persona sic domiciliata non habet domicilium vel quasi-domicilium in huius dioecesis determinata parochia, secus domicilium vel quasi-domicilium vocandum iure paroeciale, non dioecesanum, quamvis revera illud intra dioecesim sit.

12. **Domicilium necessario retentum.** — Quandoque videretur canoni praecedenti derogari per sequentem, sed in hoc exprimitur potius confirmatio magis determinata cuiusdam obligationis subordinatae illi canoni; obligationis nempe uxoris erga virum, amentis erga supplentem ipsius menti, et minoris erga eum cui subiicitur. Et hoc in *can. 93*. § *1. Uxor* proprie, seu quae

[1] 7 Jun. 1867. Collect. S. C. de P. F. n. 1305. — [2] 9 Nov. 1898. Collect. cit., n. 2025.

matrimonio saltem putativo iuncta est, *a viro legitime non separata*, scilicet: intelligenda est, cuius vinculum coniugale nondum vere solutum sit, loquitur enim canon statim de domicilio « viri sui », et quae item ab obligatione inde sequuta servandi vitae coniugalis communionem liberata non est, scilicet: separatio tori, mensae et habitationis non fuit secundum canones consequuta. Simul ac fuerit legitime separata, huic paragrapho amplius parere non tenetur, (quamvis causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda esset ad normam can. 1131, § 2) [1], usquedum restauretur; eo quod de illa uxore dicit praesens canon *necessario retinet* ut proprium *domicilium viri sui*. Ita mitiori cum verbo et partialiter admissum est in Codice, quod apud hodiernos civiles Codices domicilium necessarium audit, quod verbum cuiusdam coactionis notionem ingerit, prout revera est aliquando secundum illos. Prosequitur canon recensionem sic: *amens*, supple « necessario retinet » secundum ius *domicilium curatoris*, qui de illius actibus ob curam susceptam iuridice disponit; *minor* supple « necessario retinet » *domicilium illius*, nempe: patris, matris, tutoris, etc. *cuius potestati* forsan patriae ac tunc secundum naturale ius *subiicitur*.

Haec vero tum uxoris, tum minoris subiectio potest compati legislatoris iudicio commorationem in loco dissito per aliquod tempus, ut patet ex hodiernis circumstantiis facilis communicationis. Hinc statuit § 2. *Minor infantia egressus*, prius enim est impossibile ob deficiens requisitum intentionis, et plenam subiectionem iure naturali, quae viget quoque de amente ad normam can. 88, § 3. Ille igitur « minor » *potest* iure canonico, sed salva subiectione, *quasi-domicilium proprium* praeter domicilium necessario retentum, *obtinere* ex proprio animo et commoratione; *item* seu idipsum « potest » *uxor* sic proprie dicta propter manens vinculum, *a viro legitime non separata*, consentiente autem viro ut palam est, seu non defraudato in eiusdem iuribus, *legitime autem* idest: secundum ss. canones *separata* quoad torum et cohabitationem « a viro suo », *etiam domicilium* proprium, quamvis tunc maneat vinculum coniugale, sed non viget pro ea praecedentis §[i] praescriptum.

[1] Can. 1131...., § 2. In omnibus his casibus (§ 1i), causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.

Quaeres: quid dicendum de domicilio et quasi-domicilio novitiorum et professorum a votis temporariis? - Respondendum est ipsos qua tales domicilium non obtinere in loco ubi sita est domus religiosa, quam inhabitant, habere autem ibidem quasi-domicilium. Est ratio utriusque, quia conditio tum novitiatus ad summum per annum cum dimidio protrahendi, tum professi a votis temporariis, qui « expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere » (can. 637), excludit « animum ibi perpetuo manendi » (can. 92, § 1), et e contra includit « animum ibi manendi saltem ad maiorem anni partem » (can. 92, § 2).

Quoad domicilium quod ante novitiatum fovebant, vel sunt tales novitii ac professi « minores », atque « retinent domicilium illius cuius potestati subiiciebantur » singuli (can. 92, § 1), idque tenendum est saltem in favorabilibus, quia eorum quilibet egressus e religione ad illud redire teneretur, vel sunt « maiores » aetate, atque tunc perpendendus est animus quo reliquerunt proprium domicilium, ac si dubium supersit, retinere illud dicendi sunt. Haec responsio confirmatur per can. 585 dicentem quod « professus a votis perpetuis amittit propriam quam in saeculo habebat dioecesim »; nam etsi hoc certo interpretandum sit de dioecesi ob incardinationem obtentam, ad normam canon. 641 § 1, attamen « secundum propriam verborum (generalium) significationem » (can. 18) intelligendus est ille canon 585 de « propria dioecesi », quae talis ob domicilium recte dicitur. Supponit ergo nec per novitiatum nec per professionem solummodo temporariam domicilium amitti.

13. **Effectus domicilii et quasi-domicilii.** — De domicilii et quasi-domicilii effectibus canonicis agit *can. 94, § 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium*, si alterutrum sit paroeciale, *suum quisque* supple « *sortitur* » *parochum et* per alterutrum quodcumque *Ordinarium* supple « suum » sortitur; illum nempe ut superiorem pro foro interno, istum autem pro utroque foro, alibi explicandis. Quia vero tam domicilium quam quasi-domicilium vagis deest, subiungitur § 2. *Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur.* Proinde successive diversus, tum parochus pro diversitate paroeciae aut quasi-paroeciae commorationis actualis, tum Ordinarius loci pro diversitate dioecesis, etc. commorationis. In primo paragrapho dictio fuit obvia, quandocumque

paroeciale sit domicilium aut quasi-domicilium, sed quisnam erit parochus personae, quae illud diocesanum habet? Satisfacit quaesito § *3. Illorum quoque* nempe: ad hos extenditur praescriptum § praec., *qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium*, ergo quibus deest paroeciale, *parochus proprius est parochus loci* (paroeciae aut quasi-paroeciae) *in quo actu commorantur*. Notetur in canone verbum « suus » aut « proprius » designare subiectionem erga illum parochum vel Ordinarium. De hac enim subiectione sola praescribit canon praesens, nam de subiectione erga leges ecclesiasticas statuunt can. 13 et 14; de subiectione ratione iudiciorum et poenarum in respectivis libris invenietur.

14. **De amissione domicilii aut quasi-domicilii.** — De modo amittendi domicilium aut quasi-domicilium agit unice *can. 95. Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi;* ad amissionem ergo utrumque requiritur: factum discedendi et animus non revertendi, nec iste suppletur per quodcumque factum, quod dumtaxat posset haberi uti significatio forsan indubia illius animi. Aliter diximus esse statutum ad acquirendum illud. Hinc patet quod semel acquisito domicilio aut quasi-domicilio, sive animus sive actualis commoratio deficiat postea, domicilium aut quasi domicilium retinetur. Sed quid innuitur verbis: *salvo praescripto can. 93?* Hoc significat limitationem huius canonis, et quidem ex § 1 illius, quia uxor, forsitan amens, et minor discedens a loco domicilii quod necessario retinet, quamvis discedat cum animo non revertendi, non amittit illum; e contra uxor quando in casibus can. 1131 § 2 [1] ad vitae consuetudinem restaurandam obligatur ex decreto Ordinarii vel exacto tempore, simul amittit domicilium ab ea forsitan acquisitum ex § 2 can. 93. Sed hoc postremum probabiliter dictum censeatur.

15. **De consanguinitate et affinitate** — Personae recipiunt denominationes propter relationem ad certas alias, scilicet: sunt quarumdam consanguineae aut affines, quae relationes habent effectus canonicos in Tit. de matrimonio relatos; hinc sequuntur can. 96 de consanguinitate et can. 97 de affinitate. Hae duo veniunt cum aliis sub nomine generico necessitudinis seu

[1] Vide notam praecedentem.

cognationis, et quia in Codice magnae fuerunt introductae mutationes, etiam respectu verborum, de impedimentis quae a cognatione affinitatis originem ducunt, et quoad ipsam affinitatem quatenus secumfert matrimoniale impedimentum, opus esse duco amplioris nunc explicationis et ad intelligendum canones vigentes et ad vitandam confusionem in AA. legendis propter modificationes et derogationes quoad ius praecedens per novum inductas.

16. **Cognationis notio ac divisio.** — Et imprimis cognatio seu necessitudo est in genere: « propinquitas personarum, idest quaedam communicatio causans amicitiam inter personas, orta ex generationis actu, vel ex actu eidem analogo aut ad illum generationis ordinato ». Cognatio potest logice distingui in naturalem (quae a natura inducitur), et legalem (i. e. quae per legem constat). Prioris generis sunt: consanguinitas et affinitas, de quibus nunc; legales vero sunt publica honestas, nunc loquutione mutatâ quoad significationem, cognatio spiritualis ex baptismate, ac etiam ex confirmatione, atque tandem quae conservat cognationis legalis nomen, et sic stricte sumpta provenit ex adoptione generationi analoga quoad aliquos effectus canonicos.

17. **Consanguinitatis notio.** — Consanguinitas definitur a D. Th. (Suppl. q. LIV a. 1): « vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum », quae definitio conveniens est. Nam « secundum Philosophum omnis amicitia in aliqua communicatione consistit. Et quia amicitia ligatio, sive unio quaedam est, ideo communicatio, quae est amicitiae causa, vinculum dicitur. Et ideo secundum quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem; sicut dicuntur *concives* qui habent politicam (nunc civilem seu in civitate) communicationem ad invicem, et *commilitones*, qui conveniunt in militari negotio; et eodem modo illi qui conveniunt in naturali communicatione, dicuntur *consanguinei*. Et ideo in praedicta definitione ponitur, quasi consanguinitatis genus, *vinculum;* quasi subiectum, *personae descendentes ab uno stipite*, quarum est huiusmodi vinculum; quasi principium *carnalis propagatio* ».

Alia definitio descriptiva inveniri potest: « Propinquitas naturalis personarum, quae ab eodem stipite proximo aut quarum

una ab altera, per carnalem propagationem descendunt ». Dicitur *propinquitas naturalis* quia communicatio sanguinis haec naturaliter efficitur. Additur *personarum*, « ideo quod consanguinitatis vinculum contrahitur inter homines, et non inter alia animalia... Et hoc contingit, quia animalia non coniunguntur ad amicitiae unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo, sicut est de hominibus ». (Ib. ad 5m). Additur in definitione: *proximo*, eo quod « virtus (seu vis) generantis movet non solum quantum ad id quod est speciei, sed etiam quantum ad id quod est individui, ratione cuius filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, et non solum in natura speciei. Nec tamen ista *individualis* virtus patris ita perfecte in filio est, sicut erat in patre; et adhuc in nepote minus, et sic deinceps debilitatur. (Et patet, ex omissis in hac responsione). Et inde est quod virtus illa quandoque desinit, ut ultra procedere non possit. Et quia (proprie dicta) consanguinitas est, inquantum multi communicant in tali virtute ex uno in multos per propagationem deducta, paulatim se consanguinitas dirimit, ut Isidorus dicit[1] (idest: extinguitur). Et ideo non oportet accipere stipitem remotum in definitione consanguinitatis, sed propinquum, cuius virtus adhuc maneat in aliis qui ex eo propagantur ». (Ib. ad 1m). Aliter consanguinitas improprie diceretur, et de omnibus hominibus esset praedicanda quia eiusdem speciei, cum Alex. II dicat « ex Synodo habita in Lateranensi concistorio » ... « consanguinitas terminatur secundum canones in septimo gradu », et infra: « Ultra quos (septem gradus) nec consanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur... nec potest ab aliquo generatio recordari ». In definitione dicitur *aut quarum una ab altera*, quia consanguinitatis ratio potior est quandoque descensus inter eas, quam utriusque descensus a tertia persona. Denique *per carnalem propagationem* simpliciter adiungitur, quia indifferens est huiusmodi naturae communicationi, num haec licite aut illicite peracta fuerit; huiusce signum est quod ista vocabula *familia*, *agnatio*, *genus* ad illegitimos Iura non extendant, voces tamen naturae *pater*, *filius*, *nepos* illegitimos etiam significant.

[1] *Etym.*, l. IX c. 6 in fin.

18. **Linea, gradus, stipes.** — Consanguinitas convenienter distinguitur per lineas et gradus, et in illa quoque stipes invenitur. Haec vocatur radix in Decreto: « Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimuntur: filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus: illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos, » etc.

Ex D. Th.[1] « consanguinitas, ut dictum fuit, est quaedam propinquitas in naturali communicatione fundata secundum actum generationis, qua natura propagatur. Unde (secundum Philosophum Ethic. l. VIII, c. 12) ista communicatio est triplex: una secundum habitudinem principii ad principiatum, et haec est consanguinitas patris ad filium: unde parentes diligunt filios ut sui ipsorum aliquid existentes; alia est secundum habitudinem principiati ad principium et haec est filii ad patrem: unde filii diligunt parentes, ut ab illis existentes; tertia est secundum habitudinem eorum quae sunt ab uno principio ad invicem, (et quod propterea stipes vocatur), sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci... Et quia puncti motus (in geometria) lineam facit, et per propagationem quodammodo pater descendit in filium, (et in huius filios), ideo: 1° linea consanguinitatis vocatur: « ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum per successivas generationes » et 2° secundum tres dictas habitudines tres lineae consanguinitatis sumuntur, scilicet *linea descendentium* (seu descendentalis) secundum primam habitudinem; *linea ascendentium* (seu ascendentalis) secundum secundam; *linea transversalis* (seu obliqua) secundum tertiam ». Priores vocantur linea recta, quia brevior via inter consanguineos ipsos, ultima transversa dicitur, quia duo lineae rectae in stipite coniunguntur ubi una vertitur in aliam, ut alium consanguineum contineat. Hinc duos tractus habet. Gradus est « distantia quâ personae inter se differant secundum ipsam consanguinitatem ». Nam « quia propagationis motus non quiescit in uno termino (seu in primo descensu), sed ultra progreditur (seu tendit), ideo contingit quod patris est accipere patrem, et filii filium, et sic deinceps: et secundum hos diversus progressus diversi gradus in una linea inveniuntur. Et quia gradus cuiuslibet rei est pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse ubi non est propinquitas. Et ideo identitas et nimia distantia

[1] Suppl. q. LVI art. 2 Respondeo.

gradum consanguinitatis tollunt: quia nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis et propter hoc nulla persona per seipsam facit aliquem gradum, sed comparata alicui personae gradum facit » (Ib.).

De his gradibus haec ait Zacharias Papa: [1] « Parentelae gradus taliter computamus: siquidem ego et frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus, nulloque gradu distamus. Rursus filius meus, fratrisque mei filius secunda generatio sunt: ac gradum secundum faciunt, nec a se aliquo gradu separantur. Atque ad hunc modum ceterae successiones numerandae sunt ».

19. **Consanguinitatis computatio.** — Recte igitur ait *canon 96*. § 1. *Consanguinitas computatur per lineas et gradus.* Horum graduum nomina et linearum inveniri queunt in Gratiani Decreto [2]. Subiungit modum computationis huius in duplici paragrapho, nec sine causa, quia in consanguinitate lineae rectae dimetienda omnes Codices civiles etiam Romanorum et Orientalis Ecclesia cum Ecclesia latina conveniunt, sed Ecclesia occidentalis mensuram singularem conservat in linea obliqua consanguinitatis, quam Alex. II decrevit, quando « ad Sedem Apostolicam perlata est quaestio noviter exorta de gradibus consanguinitatis: quam quidam legum et canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones et ecclesiasticum morem numerare nituntur ».

Computationis canonicae propugnatur aequitas, atque inter alia, sic asserit S. Pontifex: « Utramque tamen computationem (nempe: Iustinianeam et canonicam) si attente, ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse et eamdem esse in eis sententiam, atque ad eundem terminum convenire manifestissimum erit. Ut revera ibidem patet. Computationis in Latina Ecclesia rationem etiam ex D. Thoma discimus. Sed prius audiamus duos evidentes paragraphos. § 2. *In linea recta* idest: in ordinata collectione personarum coniunctarum per successivas earum generationes, ita ut intermedia quaelibet sit generata ex proximiore ac generans alteram proximiorem, *tot sunt gradus quot generationes, seu*, prout in idem redit, *quot personae* in linea sunt, *stipite* seu initiante lineam *dempto* in personarum earum computatione. Sic

[1] Caus XXXV q. V. cap. 4.
[2] Loc. cit., cap. 6.

ex gr. inter avum et nepotem, quia ille genuit eum, qui fuit pater illius nepotis, adest secundus gradus consanguinitatis, videlicet, sicut duae tantum fuere generationes, ac duae solum personae, dempto avo stipite. Ad normam can. 1 « unam respicit Latinam Ecclesiam » § 3. *In linea obliqua* nempe: in ordinata collectione personarum coniunctarum per successivas earum generationes, ita ut una solum consideretur qua generans duas sibi proximiores, *a) si tractus uterque* idest: utraque linea recta ab eodem stipite descendens *sit aequalis*, seu considerentur personae in utroque tractu aequaliter ab stipite distantes, inter has *tot sunt gradus quot generationes in uno* quolibet *tractu lineae; b) si duo tractus* declarati *sint inaequales* idest: considerentur eorumdem personae inaequaliter ab stipite distantes, *tot* «sunt» *gradus* inter consideratas personas *quot generationes in tractu longiore*, seu inter personam magis distantem a stipite ac istum. Quod sic quandoque exprimitur: « gradus remotior attenditur, trahitque ad se propinquiorem », v. gr. in const « Sanctissimus » Pii V [1]. Prioris exemplum accipiamus consanguinitatem inter fratrem et sororem et filios eorum ad invicem, illi sunt consanguinei mutuo in primo gradu, hi vero in gradu secundo vicissim, quia a patre communi stipite una est generatio ad filium filiamve eius; duae autem generationes ad horum alterutrius filios et filias. Secundi vero exemplum sit inter fratrem eiusque sororis filiam consanguinitas, quae erit in secundo gradu quia duae sunt generationes ab stipite usque ad illam sororis filiam, quamvis sit una tantum generatio stipitis ad praedictum fratrem. Quod in remotioribus gradibus utilius determinatur, in casu proposito diceretur consanguinitas in 2° gradu attingente primum, dum gradus appellatur aequalis primus aut secundus in priori exemplo.

Afferamus nunc doctrinam D. Thomae [2]. ... « Diversa est ratio computandi gradus in diversis lineis. Gradus enim consanguinitatis in linea ascendentium et descendentium contrahitur ex hoc quod una persona ex alia propagatur (i. e. propagatur saltem mediate unus ex altero) eorum inter quos gradus consideratur. Et ideo secundum computationem canonicam (Ecclesiae occidentalis ac orientalis) et legalem (Romanorum et Codicum

[1] 20 Aug. 1566, § 1.
[2] Suppl. quaest. LIV a. II corp.

hodiernorum), persona quae primo in progressu propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo, distat ab aliquo, puta a Petro, in primo gradu, ut pater, et filius; quae autem secundo utrinque occurrit distat in secundo gradu, ut avus, et nepos, et sic deinceps. Sed consanguinitas quae est eorum qui sunt in linea transversali, contrahitur non ex hoc quod unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno; et ideo debet gradus consanguinitatis in hac linea computari per comparationem ad unum principium, ex quo propagatur. - Sed secundum hoc est diversa computatio canonica (Ecclesiae occidentalis) et legalis (Romanorum, hodierna, et Ecclesiae orientalis): quia legalis computatio attendit descensum a communi radice ex utraque parte; sed canonica (iuxta praec. parenthesim) tantum ex altera, ex illa scilicet ex qua maior numerus graduum invenitur. Unde, secundum legalem computationem frater et soror, vel duo fratres, attinent sibi (consanguinitate) secundo gradu, quia uterque a radice communi distat per unum gradum, et similiter filii duorum fratrum distant a se invicem in quarto. Sed secundum computationem canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat a radice communi nisi per unum gradum; sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat a communi radice. Et ideo, secundum computationem canonicam, quoto gradu distat quis ab aliquo gradu superiori (idest: lineae ascendentis), tanto distat a quolibet descendentium ab ipso, et numquam minus: quia *propter unumquodque tale et illud magis*. Unde etsi alii descendentes a communi principio conveniant cum aliquo ratione principii communis, non possunt propinquiores esse descendentes ex alia parte quam sit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendenti a communi principio, quam distet ipse a principio, quia ille forte plus distat a communi principio quam ipse; et secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari ». - Hoc ultimum confirmat Greg. IX [1] aiens: « secundum regulam approbatam, qua dicitur: quoto gradu remotior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem ». Quae regula transiit in commentatum ultimo paragraphum.

[1] Cap. 9, tit. XIV, lib. IV, X.

20. **Affinitatis notio.** — Transeamus nunc ad « Can. 97 » loquentem de affinitate, in cuius denominatione atque in alia impedimenti matrimonialis publicae honestatis facta est per Codicem tam gravis mutatio praecedentis iuris, ut confusio sit facile exoritura.

Affinitas est iuxta S. Th.[1] « propinquitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela », et de ipsa dicit ad secundum argumentum respondens: « quod dicitur in definitione affinitatis inducta: *omni carens parentelâ* intelligendum est inquantum huiusmodi », hoc est: affinitas qua talis non includit consanguinitatem inter easdem personas affines. - Facilior autem et communissima definitio affinitatis est: « propinquitas naturalis personarum inter virum et consanguineos mulieris et inter mulierem et consanguineos viri, orta ex copula carnali completâ », id est: actu de se apto ad generationem. Hanc affinitatem causari naturaliter ex matrimonio, sic probat D. Th.[2]: « Respondeo dicendum quod amicitia quaedam naturalis in communicatione naturali fundatur. Naturalis autem communicatio est duobus modis, secundum Philosophum:[3] uno modo per carnis propagationem, alio modo per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam. Unde ipse ibidem dicit quod amicitia viri ad uxorem est naturalis. Unde sicut persona coniuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum naturalis amicitiae facit, ita coniungitur per carnalem copulam ». *Ita*, scilicet: ad vinculum naturalis amicitiae. Prosequitur: « Sed in hoc differt, quod persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps eiusdem radicis communis et sanguinis: unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris, quo pater coniungebatur, scilicet consanguinitate; quamvis secundum alium gradum, propter maiorem distantiam a radice. Sed persona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta: et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur. Et hoc est quod in isto versu dicitur:

Mutat nupta genus, sed generata gradum,

[1] Suppl. quaest LV a. 3. Sed contra. — [2] Suppl. quaest. LV a. 1
[3] *Ethic.* lib. VIII, cap. 12 a med.

quia scilicet persona per generationem fit in eodem genere attinentiae, sed in alio gradu; per carnalem vero copulam fit in alio genere ». Sed notandum est quod initio dixit Angelicus: « Naturalis communicatio est alio modo per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam ». Et hoc sic a canonistis et iure fuit acceptum, ut ex coniunctione per carnalem copulam oriretur *affinitas*, non autem *ex coniunctione per matrimonialem contractum* ante consummationem, sed ex hac coniunctione oriretur *publicae honestatis iustitia*. At haec acceptio nunc correcta est in *can. 97. § 1. Affinitas* secundum restrictam propriamque Codicis significationem *oritur* tamquam ex immediata causa, sed praesupponitur consanguinitas erga alterum coniugum, *ex matrimonio valido* sive baptizatorum sive non baptizatorum, quamvis ad illorum coniugium legislator respiciens addat: *a*) *sive rato tantum*, hinc de affinitate nunc esset intelligendum quod scriptum est in Gratiani Decreto[1]: « Si quis desponsaverit sibi aliquam, et praeveniente mortis articulo eam cognoscere non potuerit, frater eius non potest eam ducere in uxorem ». Seu quod idem est, affinitate semel orta, utpote naturalis ob fundamenta propinquitas semper manet. Hanc affinitatem vere naturalem esse, sic observat D. Th. (in ead. quaest. art. IV ad 2m): « Sed matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti ante carnalem copulam »... Additque canon: b) *sive rato et consummato* matrimonio, ex qua consummatione affinitas, ut liquet, potior est ob perfectam seu completam eius causam. - Notandum vero in § 1 canonis dici: « Affinitas oritur » et non est additum verbum *solummodo*, cum esset legislatori notum ius praecedens de affinitate ex copulà illicita, quae est naturalis affinitas, ut probat D. Th. (in ead. quaest. art. 3 corp.): « Respondeo dicendum quod, secundum Philosophum matrimonium seu, coniunctio matrimonialis viri et uxoris dicitur naturalis principaliter propter prolis productionem, et secundario propter operum communicationem: quorum primum pertinet ad matrimonium

[1] Caus. XXVII. q. II cap. 11.

ratione carnalis copulae; sed secundum, inquantum est quaedam societas ad communem vitam. Primum autem horum est invenire in qualibet carnali copula ubi est commixtio seminum (idest: sufficienti de se copula ad generationem), quia ex tali copula potest proles produci, quamvis secunda (scilicet: societas ad communem vitam) desit. Et ideo quia matrimonium affinitatem causabat, secundum quod erat quaedam carnalis commixtio, etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, inquantum habet aliquid de naturali coniunctione ». - Distinguere tamen oportet inter affinitatem, quae naturalis est, atque impedimentum matrimonii ex illa oriundum, quod impedimentum non est naturalis iuris, ut constat ex seqq. declarationibus S. C. Inq.

« Affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, quae in infidelitate ineuntur; evadere tamen impedimenta pro matrimoniis, quae ineuntur post baptismum, quo suscepto infideles fiunt subditi Ecclesiae eiusque proinde legibus subiecti » [1].

« Non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta etiam ex copula licita inter vitricum et privignam » [2]. Quae declarationes vigent intra impedimentorum limites ex Codice, utpote quae doctrinales sunt, vel si dicantur disciplinares sunt de iure cui concordat re, quamvis partim verbo differat in hac parte, novum Codicis ius.

21. **Relatio Codicis ad ius praecedens.** — Post Codicem ergo distinctioni antehac in usu canonico affinitatis ex copula licita et ex copula illicita substituenda est distinctio affinitatis qua talis impedimentum matrimonii inducentis vel melius affinitatis canonicae aut iuridicae, atque affinitatis solum naturalis absque impedimento *qua talis*. Quod ultimum, scilicet: *qua talis* adiungo, quia revera etiam nunc quaedam, non omnis affinitas naturalis extra validum matrimonium, secumfert impedimentum matrimonii dirimens ex can. 1078 [3], sed vocatur « impedimentum publicae honestatis », non amplius affinitatis. - Ad vitandam ergo confusionem ex Auctorum ac iuris praecedentis lectione, reminisci oportet, quod in eo iure veteri recte affirma-

[1] S. C. Inq., 26 Aug. 1891.
[2] S. C. Inq. 4 Sept. 1743. — [3] Vide pag. seq.

batur, per hoc breve compendium. « Iustitia publicae honestatis est propinquitas personarum ex sponsalibus vel ex matrimonio tantum rato proveniens, robur trahens ex ecclesiastica institutione, propter eius honestatem ». Ita ferè ad verbum ex D. Th. qui statim addit: « Ex quo patet ratio nominis et causa, quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem »[1]. Impedimentum publicae honestatis ex matrimonio tantum rato, etiam invalido non tamen defectu consensus (loquimur adhuc secundum praecedens ius can.) extendebatur usque ad 4m gradum lineae rectae et obliquae, sicut in affinitate ex copula licita. Et perdurabat etiamsi matrimonium legitime dissolveretur. - Nunc vero Ecclesia quae talem iustitiam publicae honestatis instituerat. in novo Codice abstulit eam per omissionem quoad sponsalia, et immutavit dupliciter quoad matrimonium solum ratum. Sed hoc fecit implicite, quatenus « impedimentum publicae honestatis oritur, iuxta can. cit. 1078, ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, etc. », et in canone quem commentamur « affinitas oritur ex matrimonio tantum rato ».

Quaeres forsitan qua ratione igitur cohaerent canones 97 quem commentamur, 1077, et 1078 [2] cum tradita doctrina de affinitate naturali; nec ob mutationem denominationum sit insimulanda Ecclesia de contradictione? Suprema potestas Ecclesiae iuxta possibilitatem omisit considerationem ipsius carnalis copulae, respiciens ad matrimonium, cuius naturalis contractus inter fideles tunc solummodo existit, quando validum sacramentum matrimonii ineunt. Huic ergo affinitati addixit Ecclesia impedimentum affinitatis dictum, utpote quae in se oritur honeste fundatque amicitiam. - De alia vero quacumque affinitate siluit, velut reprobans implicite originem eius, aut saltem non approbans: sed quia interest publicae morum honestati, ne ma-

[1] Suppl. q. LV, art. 4 corp.

[2] Can. 1077. § 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quo libet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

§ 2. Affinitatis impedimentum multiplicatur:

1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit: - 2° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.

Can. 1078. Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu: et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

trimonium contrahatur inter quosdam affines illius modi, impedimentum dirimens pro talibus matrimoniis reliquit, vocans eum ob praedictam causam, impedimentum publicae honestatis, excludens ab ipso sponsalium causam, et iure prorsus, quando sponsalia, ut vidimus ex D. Th., iustitiam publicae honestatis secum ducebant ex instituto ipsius Ecclesiae. Demum notetur in § 1. ad affinitatem nunc ex Cod. requiri matrimonium validum, nec sufficit matrimonium putativum, quod revera invalidum est iuxta can. 1015, § 4 [1].

Inter quas personas oriatur affinitas dicitur in § 2. *Viget* semel ac orta est, *inter virum* et qua singulare verbum ex contextu canonis designat matrimonio valido iunctum *dumtaxat*, exclusis ergo aliis viris etiam consanguineis ipsius *et consanguineos* (viros ac feminas) *mulieris* singulariter dictae ad innuendam uxorem, ut supra, *itemque* supplendo: « viget dumtaxat » *mulierem* iam declaratam *inter et viri* eius ob rationem dictam quoslibet *consanguineos*. Implicite vero, eo quod in affinitate requiritur matrimonium eius causa, sequitur illam non adesse inter consanguineos unius coniugis et alterius consanguineas, imo verbo « dumtaxat » illud exprimitur, atque dicendo « consanguineos » excludit vel negat affinitatem inter « virum et mulierem », nam ut ait D. Th. [2] « quamvis causa sit potior effectu, non tamen oportet semper quod nomen idem effectui et causae conveniat; quia quandoque illud quod est in effectu, invenitur in causa non eodem modo, sed altiori; et ideo non convenit causae et effectui per idem nomen, neque per eamdem rationem; sicut patet in omnibus causis aequivoce agentibus. Et hoc modo coniunctio viri et uxoris est potior quam coniunctio uxoris ad consanguineos viri: non tamen debet dici affinitas, sed matrimonium, quod est unitas quaedam; sicut homo est sibi ipsi idem, non autem consanguineus ». Denique cum canon dicat « viget », nominetque non maritum et uxorem, sed « virum et mulierem » atque « consanguineos », talia verba non absque ratione posita fuisse censendum est, sed ex illis necessario sequitur paragraphi veritatem subsistere in viro aut muliere post mortem alterius

[1] Can. 1015.... § 4. Matrimonium invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

[2] Suppl. q. LV a. I ad 1m.

compartis, quia vir erit mulierve, quamvis non maritus uxorve ad invicem. Haec omnia in praec. iure vigebant.

Rationem praescripti adducit Angelicus Doctor:[1] « consanguinei (v. gr. duo fratres) sunt quodammodo separati (nempe ut diversae personae) et quodammodo coniuncti (ob eumdem sanguinem, quo participant modo supra explicato): et ratione coniunctionis accidit quod persona quae uni (v, gr. fratri) coniungitur (per matrimonium vel carnis generationem), aliquo modo omnibus (v. gr. alteri fratri) coniungatur; sed propter separationem et distantiam (illorum fratrum) accidit quod persona quae uni coniungitur uno modo (v. gr. mulier per matrimonium viro suo, vel filius eorum per consanguinitatem patri suo) alii (v. gr. fratri viri patrisve) coniungatur alio modo (scilicet: uxor fratri viri secundum affinitatem) vel secundum alium gradum (v. gr. filius fratri patris secundum consanguinitatem sed in gradu secundo).

22. **Affinitatis linea et gradus.** — Quod in iure antiquo vigebat, retinetur in § 3. *Ita computatur* usu et iure affinitas, *ut qui sunt consanguinei* (etiam mulieres) *viri, iidem in eadem linea et gradu*, quo sunt consanguinei, *sint affines mulieri, et viceversa*, hoc est: consanguinei (etiam feminis comprehensis) mulieris, iidem in eadem linea et gradu, quibus sunt consanguinei, sint affines viro, proindeque vicissim mulier affinis consanguineis omnibus viri, ac vir affinis consanguineis pariter singulis mulieris. Ad cuius evidentiam duo sunt notanda principia: 1m gradus proprie in consanguinitate inveniuntur, prout explicavimus in can. praec., et 2m ad affinitatem duo interveniunt: matrimonium personae cum uno affinium, et consanguinitas eiusdem personae erga alterum affinium. Quae notanda expressit D. Th. (in resp. ad primum citandi art.) « gradus in propinquitate attinentiae non possunt accipi, nisi secundum ascensum et descensum propagationis, ad quam non comparatur affinitas nisi mediante consanguinitate; et ideo affinitas non habet gradus per se, sed sumptos iuxta gradus consanguinitatis ». His positis, patet gradus non competere affinitati nisi ratione consanguinitatis intervenientis. En ratio D. Th.[2]. « Respondeo dicendum quod res non dividitur divisione per se, nisi

[1] Suppl. quaest. LV, art. 1 ad secundum.
[2] Suppl. quaest. LV, art. 7 corp.

ratione illius quod competit sibi secundum genus suum, sicut animal per rationale et irrationale, non autem per album et nigrum. Carnis autem propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea (propagatione) immediate consanguinitatis vinculum contrahitur; sed ad affinitatem non comparatur, nisi mediante consanguinitate, quae est causa eius. (Scilicet: una cum matrimonio). Unde cum gradus attinentiae per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se et immediate competit consanguinitati, sed affinitati, mediante consanguinitate. Et ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quot quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor ». Gradus autem quicumque determinatus consanguinitatis est semper in una ex lineis vel recta vel obliqua. Et consequenter dictis, in eadem linea qua unusquisque sit consanguineus uni coniugum erit affinis alteri coniugi.

Ad dictorum partialem confirmationem et iuridicum complementum libenter afferimus Gregorii Papae decretalem in Gratiani Decreto: [1] « Porro de affinitate quam dicitis parentelam esse, quae ad virum ex parte uxoris seu quae ex parte viri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est: quia si secundum divinam sententiam ego et uxor mea sumus una caro, profecto mihi, et illi mea, suaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego et soror uxoris meae in uno et primo gradu erimus: filius vero eius in secundo gradu erit ad me, neptis vero tertio, idque utrinque in ceteris agendum est successionibus... Quod nimirum uxori de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observari ».

23. **Distinctio personarum ratione rituum.** — Can. 98 agit de personarum distinctione in ordine ad alias, quae autem non in natura sed in disciplina ecclesiastica fundatur, ac nomen sortitur ex sacra liturgia, iuxta diversos nempe ritus, quibus Deus Optimus Maximus in catholica Ecclesia colitur. Unde non intelligendus est de illis ritibus etsi diversis, qui ad sacram liturgiam coarctentur, v. gr. de ritibus dominicanorum, carmelitanorum, mozarabico; sed de aliis qui secumferunt etiam diversitatem disciplinae Christi fidelium ad eos pertinentium, v. gr. ritus latinus, graeco-melchita, siro-maronita, slavoni-

[1] Caus. XXXV, q. V, cap. 3.

cus, etc. Constat idipsum ex legibus iuris praecedentis citandis, praesertim ex Litteris Aplicis « Orientalium dignitas » Leonis XIII [1], quarum praescriptiones translatae sunt in can. seq. His vero praeiverant veluti maioris momenti const. « Etsi Pastoralis » Bened. XIV [2] pro Italo-graecis, eiusdem Pont. ep. encycl. « Demandatam » [3] pro Siro-Melchitis et alia documenta S. Congr. de Prop. Fide.

24. **Modus sortiendi ritum inter catholicos.** — *Can. 98.* § 1. *Inter varios* non solum principales, sed eorum subdivisiones, *catholicos* prius declaratos ac in usu fidelium Sedi Apostolicae unitorum, non solum apud Orientis ecclesias sed ubilibet, *ritus*, qui sunt, praeter latinum cum varietatibus sacrae solum liturgiae, ambrosiano, mozarabico, monastico, etc., quatuor, nempe armenus unicus, coptus, graecus et sirus, cum varietatibus, *ad illum quis pertinet* originarie, *cuius caeremoniis* in sacramento adhibendis *baptizatus fuit* in quacumque aetate. Hoc praescriptum constituit generalem normam pro rituum orientalium conservatione, praesupponens observantiam can. 756 [4] qui « ex ipsa rei natura etiam Orientalem (Ecclesiam) afficit » (can. 1), propter quem subiungitur in paragrapho quem consideramus prima exceptio : *nisi forte baptismus* equidem sollemnis *a ritus* respectu ad citati canonis praescriptum *alieni ministro* Ecclesiae a) *vel fraude collatus fuit*, « fraus vero legi fit ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit », ut dicitur in Pandectis [5], nimirum... baptismum dari. Huius exceptionis exemplum nobis offert seq. decl. Commiss. ad ss. canones auth interpretandos : [6] « 11. Utrum qui ad preces parentum contra praescriptum can. 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertineant ad ritum in quo sunt baptizati, vel ad ritum in quo, iuxta praescriptum can. 756, baptizari debuissent ? - Resp. prout casus exponitur, negative ad 1^{m} partem, affirmative ad 2^{m} ». - Secunda exceptio in favorem ritus servandi est : b) *vel* « a ritus alieni ministro collatus fuit » *ob gravem necessitatem*, non tantummodo urgentem mortis, sed forsitan

[1] 30 Nov. 1894. A. S. S. XXVII, 257.
[2] 26 Maii 1742. — [3] 24 Dec. 1743.
[4] Can. 756. § 1. Proles ritu parentum baptizari debet.
§ 2. Si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.
§ 3. Si unus tantum sit catholicus, proles huius ritu baptizanda est.
[5] ff. tit. III, l. 30. — [6] 16 Oct. 1919. C O., XI, 478.

ne diu baptisma differatur, ait enim canon: *cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit*: v. gr. absens, gravi detentus infirmitate, aliisve urgentibus obligationibus. Quae duo coniungi debent. Tertia exceptio evidens est: c) *vel ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret*. Quamvis huiusmodi apostolica dispensatio non ad actum, sed per indultum concederetur.

25. **Prohibitiones mutationis** — Ritus, ad quem unusquisque pertineat, servandus est, hinc § 2. *Clerici* sive orientales sive latini, prout aequitas et §i textus suadent, *nullo modo*, sive verbis, sive factis, alliciendo aut minando, *inducere praesumant*, idest: deliberate agendo, *sive latinos ad orientalem, sive orientales* catholicos *ad latinum ritum assumendum*. Hoc ultimum pro missionariis utriusque latini cleri iam severe sancitum fuerat in Leonianis Litt. cit. desumptum extensumque ex C. « Demandatam » Bened. XIV [1]. Prior pars est nova, nec § iste loquitur de assumptione unius ritus orientalis, alterum relinquendo. Hic vero transitus vetatur in ampliore § 3. *Nemini*, ergo nec personae collegiali, *licet sine venia Apostolicae Sedis* (idest S. Congr., pro Ecclesia orientali) *ad alium ritum* quemcumque inter catholicos *transire, aut, post legitimum transitum*, quia illegitimum revocare licet, *ad pristinum reverti*. Clausula tamen irritans nec « aequivalenter statuitur » (can. 11).

26. **Concessio exceptionis.** — Huius prohibitionis limitationem continet § 4. *Integrum est* seu potestas fit *mulieri*, quae viro nupserit, nec simile quid concedit canon marito, *diversi ritus* etiam inter orientales, *ad ritum viri* a) *in matrimonio* ceu contractu *ineundo* b) *vel eo* seu vinculo matrimoniali per illum facto *durante, transire;* c) *matrimonio autem* proprie idest: quoad vinculum *soluto*, sive per viri obitum, sive nullitatis declaratione, (agitur enim de foro externo), sive per dispensationem a matrimonio rato, *resumendi proprii ritus;* nempe: quem matrimonii causa dereliquit, non alterius forsan prius habiti, *libera est potestas* (quin obligetur), *nisi iure particulari aliud cautum sit*. Nempe: sive potestatem negando, sive obligationem imponendo revertendi. Ius particulare accipiendum est sive

[1] 24 Dec. 1743.

scriptum, sive consuetudinarium, et illud sive per Sedem Aplcam, sive per inferiorem potestatem ecclesiasticam rite constitutum, eo pacto ut particulare sit ratione saltem ritus vel etiam regionis. Huius exemplum invenitur in cit. const. « Etsi pastoralis » Bened. XIV, qui pro Italo-Graecis decernit: « Item graeca uxor potest, si velit, sequi ritum mariti latini, post cuius obitum, ad ritum graecum redire nequeat » (§ VIII, n. IX). Concessio haec uxori data est intuitu matrimonialis pacis amorisque conciliandorum, quae forsitan illum transitum suaderent; non tamen ad has causas restringenda est, liberaliter enim fit concessio. § 3 partim cum VII num. Const. « Orientalium », et § 4 omnino concordat cum eiusdem const. num. VIII.

27. **Cautio.** — Sequitur § 5 iam vigens prius et ex num. II cit. Const. et ex ultimo Const^s. « Tradita ab antiquis » Pii X [1] Nempe consuetudo seu *Mos quamvis diuturnus*, etiam per annos aut continuus *sacrae Synaxis* idest communionis *ritu alieno* diversi aut eiusdem panis consecrandi *suscipiendae*, prout licet ad normam can. 866, *non secumfert ritus mutationem*. Ea enim, quae in potestate sunt, non influunt in quamlibet status personarum mutationem.

Can. 99. - In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae morales, publica auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, seminaria, beneficia, etc.

Can. 100. - § 1. Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum.

§ 2. Persona moralis collegialis constitui non potest, nisi ex tribus saltem personis physicis.

§ 3. Personae morales sive collegiales sive non collegiales minoribus aequiparantur.

Can. 101. - § 1. Circa actus personarum moralium collegialium:

1° Nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit, id vim iuris habet, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate;

2° Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet.

§ 2. Si de actibus personarum moralium non collegialium agatur, serventur particularia statuta ac

[1] 14 Sept. 1912, CO. IV, 609.

normae iuris communis, quae easdem personas respiciunt.

Can. 102. - § 1. Persona moralis, natura sua, perpetua est; exstinguitur tamen si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit.

28. **Persona moralis, eiusque distinctio.** — Post omnes distinctiones hucusque explicatas, quae attingunt singulares homines, utpote qui baptismate solum suscepto fiunt personae in Ecclesia, incipit Codex loqui de aliis personis, aiente *can. 99. In Ecclesia, praeter personas physicas*, idest singulares Christifideles, elementum simplex societatis Ecclesiae, *sunt etiam personae morales, publica auctoritate constitutae*, sive quae illam ut societatem instituit, sive quae inde fuit derivata, et *quae* supradictae « personae » *distinguuntur in personas morales a) collegiales et b) non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria, beneficia etc.* Notandum hic « Seminaria » connumerari uti exemplum inter personas non collegiales, quia etsi collegium discentium et docentium in eis adsit, non est idem subiectum iurium ex. gr. proprietatis bonorum Seminarii, sed huiusmodi iura subsistunt, quamvis illud collegium dissolvatur.

Primo animum pulsat desiderium sciendi vim verborum physicae et moralis circa personas. Equidem physis est idem ac natura, cui voluntarium contradistinguitur; personae itaque singulares hic appellantur physicae, quatenus semel ac positae in Ecclesia per baptismum, natura hominis eis sufficit ut personae in Ecclesia sint. Sed ad hoc ut « persona moralis » in Ecclesia habeatur, proindeque subiectum iurium specialium socialis organismi, illa non sufficit, sed actus voluntatis interveniat necesse est, nec solum singularium coeuntium, qui collegio dare non possent nisi habita ab eis ut singulis iura, quae augeri nequeunt, secus ac in societate civili, quia per sociorum contractus iuxta leges id consequi possent; hi autem privatorum contractus circa spiritualia non admittuntur a ss. canonibus, nisi auctoritatis publicae interventu sicut in canone dicitur. Idque eo fortius asserendum est, quando persona moralis non est collegium ex personis physicis coalescens, sed res utique ad Ecclesiam catholicam pertinentes ratione tamen ac voluntate carentes, quae propter ipsarum destinationem capacitate iurium per leges ecclesiasticas augentur, sicut in moribus hominum apud societates civiles positum est, ac personae morales non collegiales

in canone appellantur. De his ultimis non in 2° sed in 3° libro, quatenus illae sunt media in Ecclesiae finem ordinata, canones dantur. De harum omnium personarum moralium constitutione seu initio, vita seu actibus, et extinctione aut fine, sunt conditi sequentes tres canones.

29. **Personae moralis initium.** — *Can. 100* § 1. *Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina.* Haec assertio, ut praedicatur de Catholica Ecclesia, est iuridica expressio damnationis propositionis XIX in Syllabo Pii IX, quae huius tenoris est: « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat ». - Per Apostolicam Sedem non intelliguntur hic Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae, ad generalem normam can. 7[1]; quia « sermonis contextu aliud apparet ». Illa enim dicasteria ordinationem existentiamque habuerunt a Romanis Pontificibus, ut ex historia constat; sed, ni fallor, intelligendus ipse primatus Petri eiusque successorum a Iesu Christo institutus, non iam singulae personae Romanorum Pontificum. Affirmatque canon: « Apostolica Sedes moralis personae rationem habet », imo « ex ipsa ordinatione divina ». Diximus intelligendum de officio primatûs Rom. Pontificis, unde cum non sit persona collegialis, colligimus eam personis Ecclesiae moralibus non collegialibus accenseri; et consequenter alia officia rite constituta in Ecclesia et proprie dicta, velut personae morales habenda esse iuxta receptos apud societates etiam civiles hominum mores. Hinc possumus iam definire personam moralem in iur. can. esse « quidquid praeter personas physicas in Ecclesia iuris possidendi et exercendi capax in ss. canonibus habetur ». Et est collegialis si pluribus personis singularibus constet, alias vocanda iure persona moralis non collegialis sub quo censu veniunt officia proprie dicta.

[1] Can. 7. Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

Prosequamur in § 1 expositione: *ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam* rationem *sortiuntur* I° *sive ex ipso iuris praescripto*, II° *sive* a) *ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data*, b) *per formale decretum*, c) *ad finem religiosum vel caritativum*. Et hae duae conditiones, scilicet: Superioris constituentis personam moralem ac eius finis, distinguunt hanc personam Ecclesiae ab alia simili societatis civilis. Praescribit canon « ex ipso iuris (sc. canonici) praescripto » v. gr. Sacrum Cardinalium Collegium, « sive ex speciali concessione per formale decretum », proinde non qualicumque modo. Eorum alterutrum sufficit ad personae moralis existentiam, quia lex disiunctive loquitur.

Quaeri potest iudicium de Episcopis in Conc. Oecumenicum legitime congregatis, quod « suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » (can. 228, § 1), et de Episcopis per Orbem dispersis, qui Romano Pont. subordinati « ordinario et universali magisterio » gaudent, proindeque moralem in Ecclesia personam constituunt, nec inter inferiores recensendam. Utrum sub § 1° sint comprehensi. Resp. dicendum affirmative ad utrumque, nam in Concilio Oecumenico legitime adunati, praeside Romano. Pont.^e vel eius delegato, utpote « Apostolorum successores », hinc repraesentant illud Apostolicum collegium, cui dictum est a Domino: « Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo ». (Matth. XVIII, 18).

Insuper « Episcopi ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis » (can. 329, § 1). Ergo eodem sensu quo cit. canon loquitur, persona illius magisterii ordinarii subiectum est « ex divina institutione ». Quae ceteroquin in canone 100 § 1 asseruntur: repraesentant enim Episcopi « catholicam Ecclesiam » qua subiectum iurium societatis perfectae simul cum Romano Pontifice. Sed « catholica Ecclesia » et Romanus Pontifex « moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina ». Ergo idem asseri oportet de utraque simul, sive in Concilio Oecumenico sive moraliter coniunctis Episcopis extra ipsum.

30. **Membrorum numerus.** — § 2. *Persona moralis collegialis constitui non potest* valide, loquitur enim de potentia seu

facultate, *nisi ex tribus saltem personis physicis*. Ita vero ad constitutionem, non ad personae collegialis conservationem. Quae norma confirmat legem Romanorum [1]. « Neratius priscus tres facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est », quae lex, priusquam in Codice, fuit adoptata in ecclesiastico iure.

31. **Quo iure gaudent.** — § 3. *Personae morales sive collegiales sive non collegiales minoribus aequiparantur.* Ad cuius intelligentiam immerito afferretur can. 89, scilicet: « persona minor in exercitio suorum iurium potestati tutorum obnoxia manet », cum statim in can. 101 contrarium de moralibus personis statuatur, quamvis multa iura obligationesque per procuratorem exerceantur ab eisdem personis vel iuxta earum normas designatum. Sensus canonis erui potest ex verbis cap. Decretalium 1 « de in integrum restitutione » (I, 41), » cum Episcopo, eiusdem ecclesiae conditionem facere deteriorem non liceat, et ecclesia iure minoris debeat semper illaesa servari ». Quod idem est: « minoribus aequiparantur » in favorabilibus. Idemque applicatur principium in cap. 3 eiusdem tit.[1]: « Nos attendentes quod utraque ecclesia fungatur iure minoris, aequitate pensata: utramque restituimus contra reliquam ad probandam rationem omissam: ne alterutra pars propter huiusmodi negligentiam gravi iactura laedatur ». Ergo canon viget quoque inter morales personas. Et ratione prorsus. Quamvis enim collegiales personae sint prudentiores existimandae propter multorum consilia, tamen quia collegii iura cum singulorum de collegio iuribus non sunt confundenda, et adest periculum negligentiae illorum, minoritatis iurê gaudent, sicut et non collegiales, pro eorumdem tutela.

32. **Personarum moralium actus.** — De iurium exercitio in persona morali collegiali primum, et in persona non collegiali secundo, agit *can. 101.* § 1. *Circa actus personarum moralium collegialium:* 1° *Nisi aliud* diversum ab hoc praescripto vel ipsi contrarium etiam quoad partem, *expresse iure communi*, et quia dicitur « expresse » intelligendum est, non de iure consuetudinario, sed de scripto « iure », videlicet: de norma agendi obligatoria, « communi » seu universali, quae sit in Codice, v.

[1] ff. lib. L, tit. 16, de v. signif. l. 85.

gr. can. 321, *aut particulari.* quod sit tale qualitercumque, etsi pro dioecesi aut religione aliqua *statutum fuerit.*

Sequitur ergo norma generalis secus servanda: *id vim iuris habet*, scilicet: effectum coram Ecclesia propter iuris exercitium *quod, demptis suffragiis nulis*, videlicet: non computatis qualitercumque, ac si huiusmodi suffragia dantes abessent, *placuerit parti absolute maiori*, non omnium praesentium, quia tunc suffragia nulla non demerentur, sed *eorum* tantum *qui suffragium* validum *ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia* votorum, nempe absque maioritate declarata, *parti* unicae *relative maiori in tertio scrutinio*, scilicet: maiori numero inter validum votum dantes pro diversa decisione quaestionis, vel diversis personis, etsi ad dimidium horum vocalium non pertingat. Sed quia ille maior numerus absolutus vel relativus deesse potest, quia in partes aequales dividuntur omnes dantes votum, vel illud dantes cum relativa pluralitate, proinde magis concordes ad invicem prae ceteris forsitan tertiae personae suffragantibus, additur: *quod si suffragia* omnia vel plurium *aequalia* pro et contra *fuerint*, semper *post tertium scrutinium* ac non ultra, *praeses suo* expresso *voto*, quamvis non in eamdem partem ac prius secretum dedit, equidem ob mutatum iudicium, *paritatem dirimat* circa rem propositam, quod ex canonis praescripto facere debet, *aut*, solummodo *si agatur de electionibus, et praeses suo voto paritatem dirimere nolit*, ergo posset quod antea praescriptum fuit, sed quia in his obligatus non est praeses, *electus habeatur*, nempe iuxta canones, posito facto praesidis renuentis dirimere paritatem, *senior* I° *ordine* recepto, quamvis aetate iunior; « senior » enim in hoc accipiendus est praeditus ordine sacro superiore, vel si eiusdem sacri ordinis potiantur, dum alteruter saltem non sit religiosus, qui prius illum recepit, alioquin « senior » erit, II° *vel prima professione*, sive absolute sive in hac religione quando ex altera in hanc transierit, sive post reditum in casu saecularizationis, III° *vel aetate*, quando alia de causa inter praecedentes, senior non sit. Praescriptio haec nova est atque valde laudanda.

Iam prius vigebat secundum reg. iuris 29 in 6° hoc in loco magis explicitam exceptio seu limitatio aequa prorsus numeri 1 posita in n. 2. *Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet.* Scilicet: illa onera sive personalia, sive

realia quae a singulis Collegii membris subeunda sunt, imponi nequeunt per solas voluntates maioris partis sed unanimiter suscipienda sunt, et consequenter favores illi donationesque etc. secum habentes onera praedicta seu obligationes singulorum.

Statuit § 2. *Si de actibus personarum moralium non collegialium agatur, serventur particularia statuta*, quae singulas respiciant, vel condita et approbata in earum constitutione, vel per competentem auctoritatem ecclesiasticam data, illa pro singulis, haec pro pluribus. Illa ergo « serventur particularia statuta » *ac normae iuris communis, quae easdem* de quibus agatur *personas respiciunt*. Quae normae cognoscendae erunt, procedente Codicis studio, praesertim in Lib. III.

33. **Personae moralis existentia.** — De duratione ac termino cuiuscumque personae moralis est sequens *can. 102* § 1. *Persona moralis, natura sua, perpetua est*; quia, si collegialis est, cessante per mortem aut aliter aliquo socio, aliisque cooptatis, et successive omnibus antiquis morientibus personis physicis, quibus constat, idem numero Collegium, quod persona est distincta iure a singulis membris, permanet. Similiter perdurat officium, etsi possidentes ipsum sibi ipsis succedant; et personae quae rebus constant, cum hae labentes per tempus reparari debeant, conservantur indefinite. - Sequitur in canone: *extinguitur tamen* iuridice, seu qua moralis persona singularis, tam collegialis quam non collegialis, *si a legitima* idest: iuxta ss. canones ad hoc competente *auctoritate supprimatur* per iurisdictionis actum, et planum est iuxta regulam (Decretalium, V, 41) 1. « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », scilicet: quando superiore iure id non prohibeatur, *vel si per centum annorum spatium* continuum, et « anni sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, n. 1°), *esse desierit*, quia vel componentes personam collegialem a tanto tempore fuerunt mortuae vel alias defecerunt, quin ab aliis personis physicis fuerint substitutae, vel moralis personae non collegialis res perierunt. - Quiddam vero singulare invenitur in § 2. *Si vel unum ex personae moralis collegialis membris*, quibus sola haec constat, *supersit, ius omnium in illud recidit.* Proinde usquequo istud manet, illa esse non desinit, et potest novos recipere socios.

CAN. 103. - § 1. Actus quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur.

§ 2. Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, valent, nisi aliud iure caveatur; sed possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio.

CAN. 104. - Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem *sine qua non;* secus actus valet, nisi aliud iure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

CAN. 105. - Cum ius statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, Superior contra earundem votum invalide agit; si consilium tantum, per verba, ex. gr.: *de consilio consultorum,* vel *audito Capitulo, parocho,* etc., satis est ad valide agendum ut Superior illas personas audiat; quamvis autem nulla obligatione teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi, multum tamen, si plures audiendae sint personae, concordibus earundem suffragiis deferat, nec ab eisdem, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat;

2° Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae legitime convocentur, salvo praescripto can 162, § 4, et mentem suam manifestent; Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum;

3° Omnes de consensu vel consilio requisiti debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire.

CAN. 106. - Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales, serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis in locis traduntur:

1° Qui alius personam gerit, ex eodem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio;

2° Cui est auctoritas in personas sive physicas sive morales eidem ius est praecedentiae supra illas;

3° Inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiorem ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione, nisi iunior ordinatus fuerit a Romano Pontefice; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;

4° In praecedentia diversitas ritus non attenditur;

5° Inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis;

6° Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;

7° Circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum peculiaria privilegia, regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.

CAN. 107. - Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; utrique autem possunt esse *religiosi.*

34. De actuum valore, si vi, metu, dolo erroreve fiant. — Postquam Ecclesiae legislator normas dedit, tum quoad naturam diversarum personarum quibus ipsa constat, tum quae varias earum denominationes distinctionesque concernunt, de libero iurium exercitio cavet, ac de actuum personae effectibus, atque in duabus constituit legibus quid coram Ecclesia de his effectibus sentiendum sit, quando actus positi sunt vel cum voluntatis defectu propter vim, metum, vel dolum, qui ab extrinseco proveniunt, vel cum deficiente deliberatione, quando error interveniat quem persona pati potest, nemine aliô illum causante. Dixi « coram Ecclesia », sed intelligatur statutum ab ea etiam coram Deo seu in conscientia valere, quia non existimandum legislatorem ecclesiasticum velle conflictum induci forum conscientiae inter et externum, et subiunxi : « de actuum effectibus » sentiendum, quia de illorum moralitate aut physicâ existentiâ nihil est mutatum, atque de influxu illorum defectuum ad vitandas poenas cavetur in libro quinto Codicis. Ad praesentem locum pertinet principium iuris relatum in cap. 4 (tit. 40, lib. I Decret.) « quae vi metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis ».

Talis est *can. 103*, § 1. *Actus* etiam cum deliberatione, *quos persona sive physica* (agens fortassis personae moralis nomine) *sive moralis ponit ex vi extrinseca*, sive naturali quandocumque id accideret, sive libera, idest : per hominem inflicta, estque bene notandum : *cui resisti non possit*, secus enim sub canonis praescripto non veniunt, *pro infectis habentur*, nempe : coram Ecclesia quoad iuris effectus sunt nullius valoris. Sic intelligenda in hac parte reg. 5 iuris (V. 41) : « Quod latenter (seu per dolum), aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere ». Persona moralis talem vim pati dicenda est, etiamsi non omnibus de collegio membris vis illa inferatur, sed tot personis Collegii quae ad validitatem actus ex can. 101 necessariae sint. Atque idem iudicetur de metu, dolo, ac errore. Vis autem proprie, seu physica in hoc § accipienda est, per quam adstrictus « magis pati quam agere convincitur » ut ait Innoc. III [1], nam de vi morali seu metu adest sequens § 2. *Actus positi* I° *ex metu*, qui est : « imminentis vel futuri mali causâ mentis trepidatio ». Dicitur a) *gravi*, nam metus talis est, quando

[1] Cap. 5, tit. 40, lib. I, X.

malum imminens grave est, ac probabiliter praevidetur sic futurum, quod metum passus aliter ipsum vitare nequeat. Sed gravis esse potest absolute pro omnibus, aut relative pro persona quae timet, atque hoc sufficit. - Malum potest a naturali causa provenire vel ab homine minari, quod alterum dicitur « metum incuti ». Homo autem metum incutiens, quandoque id iuste agit, cum ad eum pertineat, eo quod sit. v. gr. iudex, superior erga subditos, pater erga filium secundum eorum potestatem, dummodo iustitiam servet adhuc quoad modum; unde uno vel altero deficiente requisito, poneretur actus ex metu forsan gravi b) *et iniuste incusso.* Si ergo metus levis tantum sit, aut ex naturali causa proveniens, aut ab homine quidem, iuste autem incussus, actus ob huiusmodi metum positi non sunt materia huius canonis. Additur in canone: II° *vel ex dolo.* De quo teneamus quod iam docuit Ulpianus, cum ab eo probata definitio inter Doctores obtineat. Sic scripsit ille [1]: « Itaque ipse Labeus sic definiit, dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est. Non fuit autem contentus dolum dicere, sed Praetor (ut supra in eadem lege) adiecit malum: quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, et pro sollertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur ». Dolum in Codice pro dolo malo accipi ex huius definitione constat, cum ille sit proprie dolus, et condens canonem intendat agentibus personis efficaciter succurrere contra eos, qui calliditate utuntur ad aliquem actum fallaciter extorquendum. Actus ergo positi ex metu supra determinato aut ex dolo *valent*, cum ad eos ponendos vel secus libertas remaneat: interest tamen societatis cuiuscumque, remedium afferre contra plenae libertatis personarum osores, quod praestat Ecclesia decernens nullius valoris esse actus sic positos, quandoque ipso iure quin aliud requiratur, quod expressit canon per verba: *nisi aliud iure caveatur;* quandoque vero « per iudicis sententiam », et inter unum et alterum modum differt, nam ipso iure irriti actus numquam valent, aliorum vero invaliditas a prolata pendet sententia, quae si desit, actus validus manere dicendus est. De hoc altero modo statuit canon: *sed possunt* actus supradicti *ad normam can. 1684-1689.* in quibus enun-

[1] L. 1 § Dolum malum. D. IV, 3.

tiantur praescripta quae pro sequenti sententia legitime pronuntianda sunt servanda, *per iudicis sententiam*, quae definitur (can. 1868, § 1): « legitima pronunciatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit ». Sic ergo « possunt » illi actus *rescindi*, a) *sive ad petitionem partis laesae* ob metum vel dolum, et adiungitur: b) *sive ex officio* quoad illos casus in quibus hoc ipsum sit utile non tantum bono publico, sed etiam soli animae saluti, utpote quae est auctoritatis ecclesiasticae finis.

35. **Error.** — Nunc de errore. Iste est « falsum de aliqua re iudicium ». Huic similis est, ac pro eo in iure Romano usurpabatur ignorantia, sed haec proprie est « iudicii vel cognitionis carentia de aliqua re ». Quae res potest esse ius, idest: lex, hinc error seu ignorantia iuris, vel potest esse externum aliquod, sive factum, sive res quoad eorum substantiam horumve circumstantiam, et constituit errorem seu ignorantiam facti: et de isto errore statuit *can. 104. Error actum irritum reddit*, accipe: nullius iuridici effectus, *si versetur circa id quod constituit substantiam actus*, (v. gr. in venditione calicis aurei magni pretii, quem vendens putat esse vilis metalli), et iuste (cum errantis voluntas nulla sit)[1], proinde ita confirmatur ius naturae vigens pro conscientia. Subiungit canon: *vel recidat in conditionem sine qua non;* idest: ponens actum vult explicite aut implicite voluntatis actum ab errore ita pendere, ut quoad rem suo errori contrariam nolit actum modo ullo perficere: atque hoc intelligatur etiam de iuris errore seu ignorantia, quia « ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus », et hoc in loco nec a contextu cogimur, nec implicite sicut in prima conditione innuitur, ad facti errorem canonem constringi. Ratio autem est: quia etiam tunc deest voluntas, et ius naturale per canonem confirmatur. De aliis casibus generaliter naturalem actus validitatem tuetur Codicis lex sic prosequens: *secus actus valet, nisi aliud iure caveatur*, et modo quo iure positivo caveatur, quod intelligendum est etiam vim habere pro conscientia. Ut vero christifidelium paci provisum maneat, et hi a damno rationabiliter sint immunes, legimus: *sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris*, scilicet: Libri IV, canonum 1684-1686, idest: sicut in can. praec.

[1] C. lib. I. tit. XVIII, l. 8.

36. **De actu personarum a Superiore requirendo.** — Statim agitur de obligationibus ex iure can. mutuis Superiorem inter et alias personas ad eorum consensum vel consilium quod attinet requirendum; proinde inquit *can. 105. Cum ius statuit* expresse vel aequivalenter, sicut in exemplis infra positis, *Superiorem* cleri saecularis aut religiosi *ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum* sive physicarum sive moralium:

1° Si consensus exigatur, Superior contra earumdem votum requisitum unius vel alterius personae quae singulares sint, aut si illae plures constituant moralem personam, «contra earumdem votum» ad normam can. 101, § 1, 1°, ac similiter ob seqm. huius canonis numerum si « plurium simul » personarum exquirendum sit votum. Si vero « procedendum sit de personarum duarum v. gr. examinatorum vel consultorum consensu, tunc Superior debet per secreta suffragia (ipsius quoque) rem dirimere, et ea sententia probata erit quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit »[1]. Secus, vel in aliis praecs. casibus « Superior » *invalide agit*, unde obligatur eidem voto declarato se conformare; *si consilium tantum* « exigatur », quod deprehenditur in canone *per verba ex. gr.: de consilio consultorum, vel audito Capitulo, parocho, etc., satis est*, in quantum ille *ad valide agendum* « indiget consilio personarum » earum, *ut Superior illas personas audiat* circa negotium; de liceitate autem subiungitur: *quamvis autem nulla obligatione* (vi canonis) *teneatur ad eorum votum, etsi concors, accedendi*, hoc est: etsi fuerit unanime, sequendum, *multum tamen, si plures* quam duae *audiendae sint personae, concordibus earumdem suffragiis deferat*, sequendo ipsarum sententiam, nam contrarium esset generaliter temerarium vel praesumptuosum, et sic operari prudentiae ac modestiae regulis vetitum, *nec ab eisdem*, concordibus nempe, *sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, discedat;* et ad sic agendum obligatur etiam vi huius canonis, qui Superioris conscientiae reliquit opus ab eo ponendum. - Usque nunc de obligationis natura, sed quoad modum petendi consilium aut consensum: 2°. *Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul*, vel quia hae

[1] S. C. Cons. Dec. « Maxima cura », 20 Aug. 1910, can. 6, § 1 C. O. II, 640.

personam moralem conflant vel quia simul consentire, consiliumve dare praescribitur saltem implicite in ipsa lege, quamvis duae tantum essent. Tunc ergo *eae personae legitime convocentur*, idest: servatis normis forsan vigentibus, eis conveniendi causâ noti fiant destinatus locus, dies et hora, *salvo praescripto can. 162, § 4*, scilicet: defectum convocationis sanari per ipsius praetermissi interventum ceterorum conventui, *et convenientes mentem suam manifestent*. Quia vero negotium de quo agitur vel circumstântiae suadere vel expostulare possunt secretum, addit sapienter canon: *Superior autem pro sua prudentia ac negotiorum gravitate*, haec vero requiritur, *potest eas adigere ad iusiurandum de secreto servando*. Quod insufficienter esset decretum, si exemptus forsan unus ex convenientibus adigi nequiret, proindeque subiiciatur oportet. - Circa propriae mentis manifestationem, de qua supra, constitutum est *3°. Omnes de consensu vel consilio requisiti* quamvis singulariter, nec aliter iam obligati, canonis huius vi *debent ea qua par est reverentia* quoad modum, *fide* quoad intentionem rectam ac *sinceritate* quoad veritatem, *sententiam suam aperire*.

37. **De praecedentia inter personas.** — Cum in domo ac regno Dei omnia debeant esse ordinatissima, et corpus Christi mysticum pulchritudine sit decorandum ex optima, quantum possibile sit, interna externaque dispositione membrorum, in seq. canonem transferuntur complenturque praec. iuris praescripta in Tit. de maioritate et obedientia (33, I) et aliis in locis. Nec id opponitur doctrinae Christi ac Ecclesiae de humilitate sectanda, qua reprobatur appetitus *inordinatus* propriae excellentiae et honorum; nec doctrinae Apostoli iubentis (ad Philipp. II, 3): « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes », eo quod, ut exponit D. Th.[1]: « humilitas, sicut et caeterae virtutes, praecipue interius in anima consistit... Sed in exterioribus humilitatis actibus, sicut et in actibus ceterarum virtutum, est debita moderatio adhibenda » secundum omnes circumstantias. - Commentandus canon in sex numeris normas generales tradit, quorum duo priores continent principia, in tertio et in quarto personae physicae inter se ordinantur, in quinto personae morales collegiales, in sexto datur de contro-

[1] II-II quaest. CLXI, art. 3, ad 3.

versiis in hac re competens Superior, atque in septimo edicitur qualiter praecedentia inter quasdam personas sit moderanda.

Igitur decernit *can. 106. Circa praecedentiam inter varias personas seu physicas* inter se, ast quandoque cum sequenti, *seu morales* ad invicem, *serventur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis in locis* huius Codicis, vel legum liturgicarum quae vi huius clausulae quoque « vim suam retinent » (can. 2), *traduntur*: secundum regulam iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur ». Uti genus ergo sint hae normae: *1° Qui alius personam gerit*, sive ut procurator, sive supplens illam, fortassis tamquam eiusdem vicarius, utpote illam representans, *ex eadem obtinet praecedentiam;* sequitur limitatio valde iusta: *sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus*, v. gr. conferentiis episcoporum, congressibus, *procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus* v. gr. post Episcopos si charactere episcopali praediti, atque si quis vicarium capitularem repraesentet, post vicarios capitulares *qui intersunt nomine proprio*, etsi repraesentatus deberet horum aliquos praecedere.

2° Cui est auctoritas iurisdictionis praesertim, seu dominativa, *in personas sive physicas sive morales* collegiales v. gr. Capitulum cathedrale, familiam religiosam, *eidem ius est praecedentiae supra illas* evidenter. De his enim plene affirmandum, quod Reiffenstuel habet in Tit. cit. Decretalium « Maioritas in proposito aliud non est, quam excellentia unius personae prae alia. Et ex hac excellentia, seu praerogativa illa, qua maior praestat minori, nascitur reverentia et obedientia, quae debetur Maioribus ».

Salvis duobus principiis, sequitur *3°. Inter diversas personas ecclesiasticas*, exclusis pro nunc laicis, *quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiorem pertineat*, ratione iurisdictionis, dignitatis, aut officii proprie dicti, *praecedunt eis qui sunt inferioris gradus*. Ordo graduum ex qualibet ratione praedicta nobis denunciabitur diversis in locis huius II libri. Sequitur: *inter eiusdem gradus personas*, vel quod in idem redit, nullum habentes gradum supra declaratum, *sed non eiusdem ordinis* sacro ritu recepti, *qui altiorem ordinem tenet praecedit iis qui in inferiore sunt positi; seu* quemadmodum Greg. IX[1] « statuit, ut presbyteri primum locum, Diaconi se-

[1] Cap. 15, tit. XXXIV, lib. I. X.

cundum, Subdiaconi tertium, et sic de reliquis obtineant ordinatim etiam si posterius admittantur ». Idest :sine respectu ad tempus transactum in ordine recepto, vel in alicuius Ecclesiae ministerio. His vero omnibus praeponendi Episcopi, iuxta illud can. 7, sess. XXIII Conc. Trid. « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores,... anathema sit ». - Post graduum ac ordinum obiectivam subordinationem, transit canon 106 ad personarum praecedentiam aliis ex rationibus subiectivis determinandam. Unde prosequitur: *si denique eundem gradum* supra declaratum pertineant *eundemque ordinem* sacro ritu receptum *habeant*, a) *praecedit qui prius est promotus ad gradum:* videlicet: si constet, eo quod diversis diebus promoti fuerunt v. gr. duo Episcopi in diversis consistoriis, Vicarii capitulares duarum dioecesium, vel eodem tempore in eodem actu v. gr. inter duos Episcopos « ille qui prius in (eodem) Consistorio propositus et confirmatus fuit, iuxta. Dec. n. 270, Segobricen » non obstante quod alter prius fuit consecratus, sicut S. Rit. Congr. respondendum censuit in Jaren [1]. Imo « circa praecedentiam inter Episcopos (qua tales) nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum, S. R. C. declarat:....Et hoc inter omnes totius Orbis Episcopos servandum esse censuit et declaravit »[2]. Idque magis declaratur ex praecepto Pii IX « De ordine sedendi » in Conc. Vaticano [3] quando statuit: « Quartum locum tenebunt Archiepiscopi, iuxta suae ad Archiepiscopatum promotionis ordinem. Quintum Episcopi, pariter iuxta ordinem promotionis suae » - « nullo habito respectu ad dignitatem vel praeeminentiam Ecclesiarum » sicut addit Coeremoniale Episcoporum quoad sessionem et ordinem proferendi vota in Conc. Prov. [4]. De Proclamatis tantum in Consistorio, intelligendum est quod in Regni Sardiniae [5] « S. R. C. respondit: Praecedentiam (inter Episcopos) regulandam esse a die Dec[i]. Consistorialis super expeditione Ecclesiae », quam regulam servant folia in Consistorio lecta. Aliud obtinuit antiquitus, quando electiones Episcoporum subsequebatur fere statim consecratio. Ait enim Greg. I [6]: « Episcopos secundum ordinationis suae tempus, sive ad con-

[1] 15 Apr. 1904, n. 4133. — [2] Segobricen. 21 Mart. 1609, n. 270. — [3] Litt. Ap. « Multiplices inter » 27 Nov. 1869, n. IV. — [4] Lib. I, cap. XXXI, n. 15. — [5] 2 Mart. 1641, n. 734. — [6] Dist. XXXIII, cap. 7.

sidendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, et suorum sibi praerogativam ordinum vindicare ». - In defectu expositae prioritatis prosequitur con. 106: b) *si* « eundem ordinem habentes » *eodem tempore promoti sint* ad eumdem gradum, videlicet: eodem die diversis in locis, quin de prioritate constet, *senior ordinatione* secundum tempus sacri ritus peracti, quando in diversis diebus, vel in eadem ordinatione, *nisi iunior*, scilicet: ordinatione, *ordinatus fuerit a Romano Pontifice* post suam electionem acceptatam; et haec limitatio iam poterat argui ex cap. 7, tit. cit. Decret., et admissa erat per communem DD., quando Innoc. III ait: « etsi decens sit ut illis quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius Ordinis honoravit », et subiungitur quid notabile: « per eam tamen ab obedientia, quam alias tibi debent, minime absolvuntur ». - Praecedentia statuta propter prioritatem promotionis ad gradum atque ordinationis susceptae sunt particulares applicationes regulae LIV in 6° « Qui prior est tempore potior est iure ». - Explicit numerus tertius sic.; c) *et si* « ad eumdem gradum pertinentes » *eodem tempore* ut supra declaratum est *ordinem* « eumdem » *receperint*, « praecedit » *senior aetate* cum antea dicta limitatione, quae hic magis urget.

Dicitur 4° *In praecedèntia* sub n. 3° commentata *diversitas ritus non attenditur*. Ergo praescriptum multiplex de praecedentia personarum physicarum « Ecclesiam orientalem afficit » (can. 1), saltem quando ecclesiasticae personae cuiuslibet ritus orientalis conveniunt cum iisdem latini ritus. Ita Bened. XIV pro Italo-Graecis [1], praecepit: « ut in praecedentiis huiusmodi (nempe: in processionibus, sessionibus, aliisque ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine, aut proprio arbitrio, et voluntate promiscuo usu peragere solent) nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus Graeci et Latini diversitas, sed tempus ordinationis praedictorum clericorum, vel qualitas ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel caeterae qualitates, quae iure suo in praefatis solemnitatibus principalem locum sibi vindicare solent ». - Pro isto et aliis praescriptis, reminisci oportet (l. 20, tit. 3, lib. I D.) ex I. R.

[1] Const. « Etsi pastoralis » 26 Maii 1742, § IX, n. XVII.

Iuliani legisperiti dictum: « Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest », de quo ait D. Th.: [1] « verbum illud Iurisperiti intelligendum est in his quae introducta sunt a maioribus circa particulares determinationes legis naturalis (ac divinae), ad quas quidem determinationes se habet expertorum et prudentum iudicium, sicut ad quaedam principia; inquantum scilicet statim vident quid congruentius sit particulariter determinandum. Unde Philosophus dicit: [2] quod in talibus oportet attendere iudicium expertorum et seniorum vel prudentum in demonstrabilibus enunciationibus et opinionibus, non minus quam demonstrationibus ». Hucusque de personis physicis.

Dicitur in 5°. *Inter varias personas morales*, non iam diversae speciei, quarum ordo praecedentiae peculiariter in Codice decernitur, sed *eiusdem* a) *speciei*, idest: inter diversa capitula, diversos ordines, confraternitates, b) *et gradus*, quatenus illae per distinctos canones mutuo subordinantur, v. gr. inter capitula cathedralia et capitula collegialia, ad normam can. 408 § 1, inter ordines atque congregationes iuris pontificii iuxta can. 491, § 1, *illa praecedit* qua collegialis persona, *quae est in pacifica* idest: non litigiosa *quasi-possessione praecedentiae* scilicet: quae solita est praecedere. Haec ergo est prima regula, tantumque in eius defectu additur: *et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est;* unde colligitur posse contigere, ut in una civitate dominicanorum conventus praecedat communitati franciscanorum et viceversa in alia, si de possessione utrobique non constet, atque in priori civitate dominicana domus fuit instituta, non extantibus ibi franciscanis, dum in altera civitate contrarium evenit. Huiusmodi praescriptum est omnino congruens iuri antiquo, ut patet ex pluribus decisionibus S. Rit. Congr., v. gr. in Toletana [3], censuit expresse mandandum inter Dominicanos, Franciscanos necnon Fratres Mercedis « observandam fel. rec. Gregorius XIII const^{m}. super Fratrum mendicantium et confraternitatum laicorum praecedentia, editam die 15 Iulii 1583 quae incipit « Exposcit », videlicet, ut supra in canone. « Et S. R. C. in Thelesina respondit [4], Praecedentiam dandam esse illi Confra-

[1] I-II quaest. XCV, art. 2 ad 4um. — [2] *Ethic*, lib. IV, cap. 11 ad fin.
[3] 6 Jul. 1593, n. 33. — [4] 24 Jul. 1638, n. 653.

ternitati quae prius saccis usa est, iuxta dispositionem Bullae Greg. XIII » cit. Imo in Lunen-Sarzanen [1], addidit: « etiam in concursu cum Confraternitate SSmi. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in Processionibus SSmi Sacramenti (etiam vi can. 701, § 2), dummodo accedat etiam ad alias processiones (ut obligatur ad normam can. 718), et in loco sibi debito incedat ». Fratres autem trium familiarum minoriticarum, nempe: ab Unione Leoniana, Conventuales et Cappuccini, exceptionaliter reguntur quoad mutuam praecedentiam litt. apost. Pii X « Seraphici Patriarchae »[2], quae uti verum pro ipsis privilegium est habendum, contra ius et directe concessum. - Quoad internam personae collegialis cuiuslibet praecedentiam adiungit canon: *Inter sodales vero*, quae particula adversativa monstrat significationem datam verborum *alicuius collegii*, quatenus de ipso speciales normae praeferendae ut supra in canonis initio, non tradantur in Codice, v. gr. religionis, confraternitatis, *ius praecedentiae*, quod urgeri potest, *determinetur ex propriis legitimis constitutionibus* pro dicto collegio rite conditis, collegiumque vocatur persona moralis; quibus deficientibus, idest: *secus ex legitima consuetudine*, quae nempe vim obligandi ad instar constitutionis habeat; *qua deficiente, ex praescripto iuris communis;* ergo prout in n. 3°.

Sequitur 6°. *Loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos*, per normas peculiares, deducentis ea prudenter *ratione habita* a) *principiorum iuris communis*, hoc est: Codicis et legum liturgicarum b) *legitimarum dioecesis consuetudinum*, quae nempe sint rationabiles ac praescripto tempore servatae, et c) *munerum ipsis commissorum* v. gr. in Curia dioecesana; *et omnes de praecedentia controversias, etiam inter exemptos*, potiori ratione inter alios et exemptos, *quatenus ii collegialiter* hoc est: in communitate seu aliquo sub numero, et *cum aliis procedant, componere* a) *in casibus urgentioribus*, videlicet: quando ipsi ad invicem notabiliter dissentiant, b) *remota omni appellatione in suspensivo*, ita ut in casu parere debeant Ordinarii loci decisioni ab ipso vel per alium datae, c) *sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque* forsan contrarii. Est ipsa lex Conc. Trid. [3] breviter exposita: « Controversias omnes de

[1] 18 Jun. 1639, n. 682. — [2] 15 Aug. 1910. C. O. II, 713, num. I-VII.
[3] In cap. 13, sess. XXV, de regularibus et monialibus.

praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella, et aliis similibus, episcopus », ex canone etiam Vicarius generalis et Vicarius capitularis quia « nomine Ordinarii loci veniunt » ad normam can. 198, § 2, « amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque componat ».

Demum declaratur n. 7. *Circa personas* tam ecclesiasticas quam laicas, *quae ad Domum pontificalem pertinent* v. gr. *Mons. Maggiordomo di Sua Santità, Mons. Maestro di Camera, Mons. Elemosiniere Pontificio, Mons. Sacrista* et alii ob titulos ab eadem receptos v. gr. diversi Protonotarii tum de numero participantium, tum supranumerarii, tum ad instar, *praecedentia moderanda est* in Cappella Pontificia praesertim atque extra illam, *secundum peculiaria privilegia* v. gr. quoad Protonotarios ex Motu pr. Pii PP. X « Inter multiplices »,[1] *regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus* sumptae pro familia, ut in usu appellatur. Hoc noscere sufficiat.

38. **Personarum generalis distinctio.** — *Can. 107* continet quamdam generalem physicarum personarum Ecclesiae divisionem in duas classes vel categorias, quae divisio completa est, utpote a Iesu Christo instituta, sed alterutrae personae augere possunt propriam conditionem moralem ac iuridicam per status religiosi assumptionem, manentes in propria classe aut postea se transferentes in alteram. Textus canonis est : *Ex divina institutione*, ut expresse testificatur Evangelium et Actus Apostolorum, *sunt in Ecclesia* qua societate singulari perfecta *clerici* seu vi nominis tanquam sorte electi *a laicis* seu ceteris baptizatis tanquam populo *distincti* peculiari modo, *licet non omnes clerici* etymologice appellati *sint divinae institutionis*, eo quod illud nomen fuit ampliatum : *utrique autem* clerici ac laici *possunt esse* simul ex susceptione compatibilis status *religiosi*.

Hinc sumitur secundi Libri huius divisio in tres partes, videlicet : prima « de clericis », secunda « de religiosis », quia clerici ac laici numerantur in eis, et tertia pars « de laicis ». In his Libri partibus locum etiam apposite occupant diversae per-

[1] 21 Febr. 1905, Dec. auth. S. R. C., n. 4134.

sonae collegiales, pro diversitate personarum ex quibus coalescunt. - Dubium solvendum occurrit: quia si non omnes clerici sunt divinae institutionis, quomodo dicitur: « ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti? ». Ad hoc dicendum: quod ex S. Scriptura in Evangelio constat Dominum Iesum Christum elegisse duodecim ex discipulis, quos Apostolos nominavit, de hisque dicitur Matth. et Lucae dum hi loquuntur de ultima coena: « Vespere autem facto, discumbebat cum *duodecim* discipulis suis », et post institutionem Eucharistiae Iesus dixit eis: « Hoc facite in meam commemorationem » de quibus verbis ait Conc. Trid. in can. 2 de sacrificio missae, sess. XXII: « Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, anathema sit ». - Similiter constat ex Evangelio[1] Iesum *illis duodecim dixisse* promittendo: « quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo ». *Eisdemque* dixit post coenam: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat ». Quapropter merito affirmatur; *undecim* ex his (Thoma excepto) Christum apparuisse post resurrectionem, dum fores essent clausae, et dixisse: « Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt », ut testificatur Ioan. in Evang. (XX, 21 seq.), atque Matth. (XXVIII, 18 seq.) et Marci (XVI, 14 seq.) postquam undecim discipuli abierunt in Galilaeam, « accedens Iesus locutus est, eis dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ». - Demum, quando Apostoli acceperunt adiutores ad ministrandum mensis, quibus Apostoli « orantes imposuerunt manus », nonnisi *septem* illi fuerunt pleni Spiritu Sancto et sapientia, quos constituerunt super illud opus. - Sequitur ex dictis non omnes christianos, sed solum delectos debuisse ex Christi institutione, de qua conscii

[1] Marc., IX, 34 seq. et Matth., XVIII initio et 18.

erant Apostoli, ad hoc assumi, ut essent « ministri Christi ac dispensatores mysteriorum Dei »; sed quorumdam distinctionem a communi Christifidelium conditione verbum « clerici » designat, communem autem conditionem verbum « laici ». Patet ergo quod « ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti » sicut dicitur in 1ª parte Can. 106, quae concordat can. « Duo sunt » [1] in eius parte recepta: « Duo sunt genera christianorum. Est autem unum genus quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi. Cleros enim graece, latine sors. Inde huiusmodi homines vocantur clerici, idest sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit... Aliud vero genus est christianorum, ut sunt laici, laos enim graece, est populus latine ».

Porro Ecclesia ex potestate a Deo accepta in similitudinem ritus sacri ac missionis praedictae ex populo christiano alios seligit, quos ritu quodam applicet minoribus ministeriis, ut divinum ministerium honorabilius ac decentius exerceatur, ac ita illi se praeparent ad hanc mysteriorum dispensationem. His proinde verbum « clerici » convenienter aptatur, vereque potuit canon, a longo tempore communissimam sequens sententiam adiungere: « licet non omnes clerici sint divinae institutionis ».

[1] 7 Caus. 12, q. 1.

PARS PRIMA

De clericis

SECTIO I.

De clericis in genere.

Can. 108. - § 1. Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur.

§ 2. Non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur.

§ 3. Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.

Can. 109. - Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.

Can. 110. - Quamvis Praelati titulo, honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur sine ulla iurisdictione, proprio tamen nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.

39. **Inscriptiones Partis ac Sectionis.** – Ex dictis ad can. 107 patet, quam apte inscribatur haec *Pars prima: De clericis*, cuius logica imponitur divisio talis, quae, praemissis circa omnes clericos dispositionibus, alias subiungat diversarum huiusmodi personarum officia quaelibet moderantes. Quod perfecit Codex duabus in sectionibus, quarum *Sectio I: De clericis in genere* canones refert quibuslibet clericis communes, quamvis praescriptorum varietatem comportent iuxta diversam illorum conditionem. Atque primo tres canones, videlicet: 108, 109, 110 clericorum definitionem ac generalem horum distributionem, diversum modum quo haec rite fiat, et cuiusdam verbi iuridicam significationem successive tradunt.

40. **Clericorum definitionem** tradit *can. 108* § 1. *Qui* subaudiendi « viri baptizati » ex can. 968 § 1, *divinis ministeriis*

idest: socialibus cultus divinitatis actibus, *per primam saltem*, eo quod ei subsequentes ritus sacri eumdem effectum corroborant, *tonsuram* sic dictam ob tonsionis capillorum ritum, *mancipati sunt* seu dedicati ex obligatione voluntarie suscepta coram Ecclesia. Tales *clerici* secundum usum *dicuntur* ac etiam iuridica verbi significatione, quamdiu « mancipati » permanent. Usus antiquissimus est, verba enim legis [1] ista sunt: « Presbyteros autem et diaconos, et subdiaconos, cantores et lectores, quos omnes clericos appellamus ». Prima tonsura in latina Ecclesia est: « ritus ab Ecclesia institutus, quo fidelis confirmatus, per tonsionem capillorum cui subsequitur superpellicei indumentum, prolatis precum formulis: « Dominus pars... » et « Induat te Dominus... » in sortem Domini segregatur, ad sacros ordines praeparandus ». Et sufficit hoc ut quis clericus dicatur; eodem tamen nomine semper appellari potest ac in Codicis iure comprehenditur, etsi alios ritus suscipiat sacros.

De his qui « clerici dicuntur », ait § 2. *Non sunt omnes* qua clerici *in eodem gradu* seu pares, *sed inter eos sacra hierachia* vel principatus *est in qua alii aliis subordinantur*. Proprie quidem eo quod, ut ait D. Th. [2]: « hierarchia est sacer principatus. In nomine autem principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, et multitudo ordinata sub Principe... Sed si consideretur principatus ex parte multitudinis ordinatae sub principe, sic unus principatus dicitur secundum quod multitudo unô et eôdem modo potest gubernationem principis recipere. Quae vero non possunt secundum eumdem modum gubernari a Principe, ad diversos principatus pertinent, sicut sub uno rege sunt diversae civitates, quae diversis reguntur legibus et ministri ». Ergo « una hierarchia est unus principatus, id est, una multitudo ordinata uno modo sub principis gubernatione. Non autem esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines (vel gradus) non essent. Ipsa ergo ratio hierarchiae requirit ordinum (vel graduum) diversitatem. Quae quidem diversitas ordinum (vel graduum) secundum diversa officia et actus consideratur, sicut patet quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus; nam alius est ordo iudicantium, et alius pugnantium, et alius laborantium in agris, et sic de aliis ».

[1] Nov. 123 § Presbyteros.
[2] I P. quaest. CVIII art. 1 et 2.

Nunc ergo si consideremus potestatem Apostolis eorumque successoribus in Ecclesia collatam a Iesu Christo, ut fideles sub ipso invisibili Capite sanctificentur et regantur, inveniemus Hierarchiam seu verum sacrum principatum, qui obiective seu in seipso consideratus, erit: « Potestas ministrorum Christi in Ecclesia quatenus ordinatis gradibus inter eos participatur » et subiective considerata erit « Personarum ordinata series quae in Christi Ecclesia participes sunt potestatis ministrorum eius ». Quae participatio est intelligenda, sicut divisio « non totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi: cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est quaedam participatio ipsius. Et ita est hic: tota enim plenitudo sacramenti ordinis est in uno ordine (seu gradu), scilicet (in Episcopatu prout hic continet presbyteratum) sacerdotio, sed in âliis (inferioribus) est quaedam participatio ordinis » [1]. Et similiter est in iurisdictione: quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Papam: non tamen excluduntur inferiorum (scilicet Episcoporum et aliorum Praelatorum) potestates, quae sunt participationes quaedam illius potestatis.

Haec hierarchia in Ecclesia invenitur esse duplex, hierarchia ratione ordinis et ratione iurisdictionis, quae rationes multiplici ex capite distinguuntur, nam ordo per sacrum ritum confertur et non aliter, quod de iurisdictione affirmari non potest; potestas per ordinem collata tendit ad cultum publicum rite exercendum, animasque fidelium per sacramenta et sacramentalia immediate sanctificandas, dum iurisdictio ad regimen ecclesiasticum est data, seu ad recte ducendos in finem supernaturalem christianos praescriptis, iudiciis ac poenis. Tertio autem: potestas ordinis semel obtenta nequit sive alienâ, sive propriâ voluntate umquam amitti, iurisdictio autem libere deponitur et quandoque nolenti aufertur. Et ex hoc ultimo charactere verbum ordinis absolute dictum priori potestati proprie reservatur, utpote quod semel ordinatus perpetuo remanet cum ordine, quamvis ad laicalem statum in externa Ecclesiae disciplina reducatur.

Dicta suppeditant facilem intelligentiam § 3. *Ex divina institutione*, quam sacrae litterae continent, *sacra hierarchia*, quae singulariter in Codice nominatur propter unicum Principem

[1] Suppl. quaest. XXXVII art. 1 ad 2.m

supremum in duplici hierarchia, *ratione ordinis*, nempe: huius potestatis, *constat Episcopis* qua insignitis huiusmodi charactere, *presbyteris* ob talem sacram ordinationem, *et ministris* seu formaliter diaconis, prout definitum est in sess. XXIII Conc. Trid. can. VI: « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris anathema sit ».

Sequitur in Codicis canone: *ratione iurisdictionis, pontificatu supremo*, ergo unico, *et episcopatu* illi *subordinato*, qui, prout officium est, in pluribus invenitur. Etenim de primo definitum est in Conc. Vat. sess. IV, cap. I. « Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum... honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse, anathema sit » et in cap. II: « Si quis dixerit; non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores... anathema sit ». De episcopatu clamat Apostolus: (Act. XX, 28) « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere* Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo »; ac demum de subordinatione non licet dubitare, cum doceatur in Conc. Vat. sess. IV, cap. III: « Docemus proinde et declaramus... erga Rom. Pont. iurisdictionis potestatem cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, non potest ». Et revera uni Simoni Petro dixit Iesus: « Pasce agnos meos: Pasce oves meas » (Ioan. XXI, 15 seq.) adimplens promissionem: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » (Matth. XVI, 18). - Ratione ordinis in praedictis gradibus constituti conformantur sacerdotio eius, ad quem « iuravit Dominus et non poenitebit eum: " Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech " » (Psal. CIX, 5); atque ratione iuris-

dictionis obtinentes alterutrum ex gradibus participes fiunt potestatis Iesu Christi de quo scriptum est (Psalm. II, 6): « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius », nempe: super populum Dei electum seu Catholicam Ecclesiam.

Explicit canon 108 in § 3: ... *ex Ecclesiae autem institutione* se conformantis divinae institutioni *alii quoque gradus* inferiores *accessere.* Et quidem « ab ipso Ecclesiae initio (eorum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria... in usu fuisse cognoscuntur », ut asserit Conc. Trid. [1]. De utraque ratione Hierarchiae hoc est intelligendum, quia in utraque alios esse gradus scimus, et ex ipsa grammaticali canonis dispositione confirmatur. - Proinde Codicem approbans S. Pontifex praetulit sententiam communissime iam receptam, ordines minores ab Ecclesia institutos esse. Quinam sint hi « alii quoque gradus » ex aliis ss. canonibus discemus.

41. **In hierarchiam cooptatio.** — Iterum singulariter hierarchiam nominat sequens *can. 109. Qui in eclesiasticam hierarchiam cooptantur*, ex praesenti enim disciplina omnes gradus ex diversa ratione profluentes in illa sic invicem ordinantur, ut unius hierarchiae partes potius videantur. Sub verbis canonis: *non ex populi* (civilis nec solius christiani) *vel potestatis saecularis* (cuiuslibet, quamvis haec a catholico possideatur) *consensu* velut necessario *aut vocatione adleguntur*, comprehenditur hierarchia in tota eius amplitudine: sed quoad ordinis gradus continetur definitio dogmatica ex Conc. Trid. (sess. XXIII, can. VII): « Si quis dixerit... Ordines ab Episcopis collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse; ...anathema sit ». Can. 109 pars affirmativa est triplex: 1. *sed in gradibus potestatis ordinis* (omnibus quidem) *constituuntur sacra ordinatione* uti explicabitur in Tit. « de Ordine » Lib. III: *in supremo pontificatu, ipsomet iure divino*, iuxta can. dogmaticum cit. supra ex cap. II sess. IV Conc. Vat.; sed cum hic canon loquatur de successoribus S. Petri, et modus designandi hunc successorem iure divino statutus non sit, sed Ecclesiae potestati relinquatur determinandus, optime animadvertitur: *adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis:* sic enim legitur in vigente const. « Vacante

[1] Sess. XXIII, cap. 2.

Sede Aplca » Pii X [1]. « 87. Post electionem canonice factam consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii requiratur. 88. Hoc consensu praestito intra terminum, quatenus opus sit prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest ».

Ultimum comma can. 109 declarat modum constituendi clericos *in reliquis gradibus iurisdictionis*, nempe *missione canonica* seu peractâ iuxta ss. canones. Notandum hic non excludi gradum episcopatûs, qui iure quidem divino est constitutus quoad officium, sed singulorum iurisdictio Episcoporum per missionem obtinetur. Per missionem hanc intelligitur publicae potestatis communicatio ad regendum fideles determinatos.

42. **Praelati duplex denominatio.** — Pluribus clericis diversorum hierarchiae graduum est communis appellatio quaedam honorifica, excellentiam prae aliis vi nominis implicans. De huius appellationis duplici sensu loquitur *can. 110. Quamvis Praelati titulo, honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur* tum in Curia Romana, tum extra eam, qua tales *sine ulla iurisdictione; proprio tamen nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.* Quid sit iuridictio ordinaria, et qui eam obtineant, edicitur in can. 197, 198; et quid sit forum externum alibi opportunius explicabimus.

43. **Titulorum ordo.** — Ab initio huius libri usque ad hunc canonem posita fuit quaedam introductio, in qua definitiones ac principia praecipuam efformant partem; propterea nunc solummodo incipiunt eiusdem libri tituli, sub quibus canones ordinantur legislationis positivae de personis, et ad hanc sectionem quod attinet, sex titulis illa conflatur sic logice dispositis quod primus sit de norma observanda in clericatûs initio, cui subsequuntur duo alii de iuribus et privilegiis, cum obligationibus clericorum, atque ante Tit. sextum de quadam clericatus amissione saltem externa, duo alii inseruntur Tituli, utpote ad clericos in genere attinentes, tum de officiis ecclesiasticis quae a

[1] 20 Ian. 1904, cap. VII.

clericis solummodo obtineri possunt, tum de iurisdictione ordinaria et delegata, quae quibusdam officiis sunt adnexa vel tantum clericis dari queunt.

TITULUS I.

De clericorum adscriptione alicui diocesi.

Can. 111. § 1. Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur.

§ 2. Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, *incardinatur,* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit.

Can. 112. - Praeter casus de quibus in can. 114, 641, § 2, ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis perpetuae et absolutae; et ab Ordinario alienae dioecesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae.

Can. 113. - Excardinationem et incardinationem concedere nequit Vicarius Generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli.

Can. 114. - Habetur excardinatio et incardinatio, si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum.

Can. 115. - Etiam per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585.

Can. 116. - Excardinatio fieri nequit sine iustis causis, et effectum non sortitur, nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, cuius Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat.

Can. 117. - Ad incardinationem alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi:

1° Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum;

2° Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione, et habuerit praeterea a Curia dimittente sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia;

3° Clericus iureiurando coram eodem Ordinario eiusve delegato declaraverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum.

44. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — Inscriptionis sensus est: de cooptatione clericorum inter eos qui destinantur ad laborem sacri ministerii stabiliter peragendum in aliqua dioecesi. - Sub eo praescripta inveniuntur: de necessitate huius adscriptionis, et hoc in can. 111, de adscripti translatione ab una in alteram dioecesim aut de sola cessatione adscriptionis, et profecto quoad validitatem in can. 112-115, ac denique observanda praesertim circa novam in alteram dioecesim adscriptionem inveniuntur in can. 116, 117. Ex ordine illos perpendamus.

45. **Adscriptionis clerici initium.** — *Can. 111*, § 1. *Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi*, quo nomine venit etiam quasi-dioecesis, *vel alicui religioni* per professionem *adscriptum*, eo quod statuit can. 567, § 2: « Ad ordines (primam quoque tonsuram novitii) ne promoveantur », *ita ut clerici vagi*, scilicet: absque eo quod ad determinatum pertineant coetum clericorum alicui Praelato subiectorum, *nullatenus admittantur*, sicut a remota antiquitate curavit Ecclesia. Et hoc quidem servabitur, si adscriptio cum clericatu simul inita, quin sequatur in religione professio, posthac deficere nequeat.

Primae conditioni providet § 2. *Per receptionem primae tonsurae* factus *clericus* saecularis (hos enim solos respiciunt canones huius tituli) *adscribitur, seu ut aiunt, incardinatur dioecesi pro cuius servitio promotus fuit.* Verbum « incardinatio » non adhibetur ad significandum adscriptionem alicui religioni. Atque notandum non incardinari clericum dioecesi a cuius Episcopo primam tonsuram ille recipiat, si pro alterius servitio id Episcopus praestet.

Praescriptum huiusmodi ad ordinum « receptionem » extenditur in sequenti responsione Pont. Commiss. ad interpretandos auth. canones [1]: « 2° Utrum ille qui ordinetur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta can. 111, § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta canonem 969, § 2. — Emmi. Patres... responderunt: Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ».

46. **Excardinatio et incardinatio.** — Suppositâ incardinatione, ad providendum adscriptionis prosecutioni procedit *canon 112. Praeter casus de quibus in can. 114, 641* § 2, quia tunc adscriptionis translatio per alium actum habetur, *ut clericus*, proinde alicui dioecesi incardinatus saltem vi can. praec. § 2, alteri idest: *alienae dioecesi valide incardinetur a suo* sic dicto propter actualem incardinationem, quod bene notetur, *Ordinario obtinere debet litteras* notandum: a) *ab eodem subscriptas* formalis *excardinationis*, idest: exprimentes facultatem discedendi e clero dioecesis, b) *perpetuae*, hoc est, sine temporis limitatione, c) *et absolutae*, exclusa nempe quacumque conditione. Hoc primum ab Ordinario supra declarato, sed insuper

[1] 3 Aug. 1919. « Il Monitore ecclesiastico », Serie IV, Vol. II, 57.

et ab Ordinario alienae dioecesis in cuius clerum adscribendus sit, itidem *litteras* a) *ab eodem subscriptas* formalis *incardinationis* continentes admissionem in clerum eidem Ordinario subiectum b) *pariter perpetuae* c) *et absolutae*, idest: « nullis sive expressis sive tacitis limitationibus, ita ut novae dioecesi prorsus mancipetur » (ex Dec. « A primis » ut postea). Ordinarii subscriptio sufficit, nec sigilli appositio requiritur.

47. **Ordinarius competens.** — Quinam hic veniat per exceptionem « Ordinarii nomine » (can. 198, § 1) praescribit *Can. 113. Excardinationem*, scilicet: actum iure necessarium ut adscriptio in dioecesi removeatur, *et incardinationem*, seu actum iure efficacem ad clericum dioecesi adscribendum, *concedere nequit* a) *Vicarius generalis sine mandato speciali* ultra illud officium, b) *nec Vicarius Capitularis* (idemque dicatur de Administratore Apostolico, « si ad tempus datus sit » (can. 315, § 2, 1°) *nisi* I° *post annum a vacatione Sedis Episcopalis*, ergo expleto anni sequentis eodem die calendarii, quo Sedes Episcopalis vacavit (can. 34, § 3, n. 3°), non altero in quo incepit officium Vicarii Capitularis, *et* II° *cum consensu Capituli*, subintelligitur cathedralis, et ad normam can. 105, 1°. Prima conditio non viget, ut patet, si Administrator Apostolicus datus fuerit, Sede plena.

48. **Excardinatio et incardinatio ipso facto.** — Sine praefatis litteris contingere potest excardinatio iure valida in duplici facto, scilicet: *Can. 114. Habetur* definita in can. praec. *excardinatio et incardinatio* simul, *si ab Ordinario* competente iuxta can. praec. *alienae dioecesis*, sic dictae quoad clericum transferendum, hic *clericus* a) *beneficium* proprie dictum seu in canonem 1409 definitum, non qualecumque, sed *residentiale* secumferens onus permanendi in loco beneficii *obtinuerit* vere per provisionem b) *cum consensu sui Ordinarii* a cuius dioecesi excardinandus est cum effectu, et *in scriptis dato;* huic autem consensui aequipollet quod in altero disiuntivae propositionis membro ponitur: *vel* c) *cum licentia ab eodem* quamvis non subscripta, *in scriptis* v. gr. notarii testimonio *concessa e dioecesi discedendi in perpetuum.* Id congruit statuto Conc. Carthaginensis in Gratiani Decreto [1]: « Clericum alienum, nisi concedente eius Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in

[1] Dist. LXXII, cap. 2.

Ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores, et psalmistae, et ostiarii retinent ». Iusta praescriptio, ne dioeceses amittant clericos, veluti ablatos, sine illius voluntate qui curam dioecesis habet. Ille consensus et haec licentia, quamvis in scriptis, differunt a litteris excardinationis, saltem quia sub aliqua conditione sunt etiam valida, sed non est sic de illis litteris ab Ordinario quoque subscribendis. Bene autem considerandum, quod sive concessio beneficii sive ille consensus vel licentia, quando ad normam canonis secumferunt incardinationem ac excardinationem, scilicet: coalescunt simul et cum praefatis conditionibus, sub nomine Ordinarii in hoc canone nec Vicarius generalis nec Vicarius capitularis nec « Administrator Apostolicus ad tempus datus » (can. 315, § 2, 1°) venire possunt, nisi ad normam can. 113 propter hunc canonem, nam aliter excardinationem et incardinationem quaslibet concedere nequeunt.

49. **Excardinationis alius casus.** — Alium casum excardinationis absque incardinatione praebet *can. 115. Etiam per professionem religiosam* ipso facto *quis a propria* propter adscriptionem *dioecesi excardinatur, ad normam can. 585*, scilicet tantummodo per professionem « a votis perpetuis ».

50. **Excardinationis normae.** — Sequuntur leges servandae, quamvis earum transgressio actus validitati non officiat. *Can. 116. Excardinatio* adhuc *fieri nequit*, seu « non licet »[1] *sine iustis causis*, v. gr. causa curandae sanitatis, ob magnas in dioecesi difficultates, de quibus causis prudenter iudicare ad concedentem excardinationis litteras vel aequipollentes pertinet; suppositâ vero excardinationis validitate simul et liceitate, prosequitur adhuc canon: *et* illa excardinatio *effectum non sortitur*, ita ut clericus ad dioecesim excardinationis adhuc pertineat, *nisi incardinatione* saltem validâ *secuta* idest: exequutioni demandata *in alia dioecesi, cuius Ordinarius de eadem* scilicet: incardinatione iam peracta *priorem Ordinarium*, non quando libeat, sed *quantocius certiorem reddat*. Modô utique sibi beneviso, qui tamen certudinem alteri Ordinario conferat.

51. **Incardinationis normae.** — *Can. 117. Ad incardinationem* formalem, idest: « praeter casus de quibus in can. 114, 641, § 2 » (can. 112), sic interpretando ad normam can. 6,

[1] Dec. S. C. C. « A primis » 20 Jul. 1898, n. 1. C. O. II. 103.

num. 2°., 4°., *alieni clerici*, unde non vi huius canonis ad incardinationem per primam tonsuram, *Ordinarius* loci competens ad normam can. 113 *ne deveniat, nisi:*

1° *Necessitas aut utilitas*, quae includit etiam commoditatem *dioecesis id exigat*, iuxta generale principium iuris:[1] « nullum esse adscribendum novum clericum nisi pro necessitate aut commoditate diocesis »; atque prosequitur canon: *et salvis iuris praescriptis* relatis in can. 979[2] et seq. *circa canonicum ordinationis titulum* quoad clericos in sacris.

2° *Ex legitimo documento*, nempe: quod scriptum cum subscriptione ac sigillo fidem faciat, *sibi* scilicet: Ordinario clericum incardinaturo *constiterit* cum certitudine circa sequens obiectum: *de obtenta legitima* idest: iuxta praecedentes canones *excardinatione*, videlicet: talem « alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum »[3] *et habuerit praeterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit*, quod innui oportet ab ea, nisi ex rei natura colligatur, *de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia:* semper ergo, sed *maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis*, « nam oportet ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant »[4]; his vero habitis testimoniis, relinquitur arbitrio prudenti Ordinarii incardinantis, utrum concedat incardinationem vel secus. *Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia* illa suae Curiae *sint veritati conformia*, ne scilicet fallatur incardinans Ordinarius, cui proinde illa credere opus est, nisi de contrario constet.

Hae sunt obligationes Ordinariorum et Curiae dimittentis, quibus addatur *3°. Clericus iureiurando coram eodem Ordinario* scilicet: ad incardinationem deveniente, iuxta grammaticalem contextum, *eiusve delegato declaraverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici* et quidem *ad normam sacrorum canonum*. Iurata declaratio haec verbotenus facta sufficit, sed oportet de illa documentum in Curia servari. - Ita in canones redactae sunt praescriptiones Dec. « A primis »[5];

[1] Dec. cit. n. 4. — [2] Lib. III, tit. VI, de Ordine. — [3] Dec. cit. n. 3. — [4] Dec. cit. n. 5.
[5] CO., II, p. 104, nn. 1, 2, 3, 5 partialiter.

omisso, et consequenter abrogato ad normam can. 6, 6°, [1] altero eiusdem S. Congregationis « Decreto » [2] S. Congr. Conc. de litteris excorporationis aut exeat, quibus laici a propria dioecesi dimitterentur, et hoc titulo valerent ab Episcopo benevolo receptore ad clericalem tonsuram et ordines promoveri, quae litterae nunc inutiliter concederentur.

E converso viget unice tamquam « peculiaris lex » ultimo data exclusive Dec. S. Congr. Consistorialis « Magni semper negotii »[3] sub finem Tituli « de obligationibus clericorum » afferendum, in cuius num. 6 praescriptum est: « Hisce servatis normis quinque numerorum inibi praec^{m}. aliisque quae in (hoc) tit. I Lib. II Codicis statutae sunt, sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi, in Americae et insularum Philippinarum dioecesibus, utroque Ordinario consentiente, incardinari etiam poterunt ».

TITULUS II.

De iuribus et privilegiis clericorum.

CAN. 118. - Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.

CAN. 119. - Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint.

CAN. 120. - § 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

§ 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.

§ 3. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.

CAN. 121. - Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

CAN. 122. - Clericis qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria, firma ta-

[1] Can. 6... 6° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

[2] 24 Novembris 1906, CO., II, p. 105.

[3] 30 Dec. 1918. CO. XI, 39.

men eorundem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

Can. 123. - Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 213, § 1, 2304; recuperat vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur.

52. **Inscriptio tituli.** — Haec videtur esse differentia inter utraque; iura quidem subiectiva clericorum uti eorum peculiares facultates morales in iure enuntiantur, et constituunt quidem favores solum proprios ipsorum, quod postremum innuit etiam vox privilegiorum; sed ut ait Innoc. III [1] « cum privilegium sit *lex privata*,... nec esset privata nisi aliquid specialiter indulgeret », in iure privilegia clericorum tanquam leges proponuntur, quae alios quadantenus obligant, dum clericis concedunt aliquid speciale praeter aut contra ius quod viget ceteris commune. Quinam « dicuntur clerici » hoc in loco scimus ex can. 108, § 1, cum eiusdem explanatione data.

53. **Canonum ordo.** — De iuribus adest can. 118 et partialiter can. 119 in quo et seq. successive quatuor privilegia continentur, quae appellari possunt: privilegium personae sacrae, privilegium fori, quod verbum in can. 120 retinetur, privilegium immunitatis secundum canonis verba, et privilegium honestae sustentationis, antea dictum competentiae. His sequitur ultimus tituli canon de horum amissione privilegiorum.

54. **Iura.** — Igitur quaenam sint iura illa dicit *can. 118. Soli clerici* propter statum clericalem, quem adhuc retinent, *possunt* licite *potestatem* a) *sive ordinis* b) *sive iurisdictionis ecclesiasticae* a divino Ecclesiae fundatore provenientis *et* c) *beneficia ac* d) *pensiones ecclesiasticas*, prout hae a pensionibus ob civile servitium praestitis ab Ecclesia distinguuntur, *obtinere*. Obiecta obtinenda et istae potestates capta opportunitate in suis titulis explicabuntur. « Soli clerici ea obtinere possunt » idem est ac dicere: illi qui saltem primam tonsuram susceperunt, et non alii, etsi religiosi, habent ius passivum obtinendi omnia illa, ita ut ex ss. legibus capaces habeantur illarum potestatum, beneficiorum ac pensionum. Haec vero facienda est distinctio, quod iurisdictio, beneficia et pensiones

[1] C. 25 de Verb. sign., V, 40.

voluntati Ecclesiae relicta omnino quoad collationem soli clerici valide obtineant, servatis aliis ss. canonibus: quibus etiam servatis, alii non clerici valide obtinere nequeunt: potestas vero ordinis, etiam ex Ecclesiae institutione in minoribus gradibus, quia connectitur cum validitate ordinationis extra Ecclesiae arbitrium posita, solum illicite obtineant quicumque clerici non sunt, praedicta quidem de causa; sed insuper coram Ecclesia sunt habendi perinde ac si eamdem potestatem non haberent, a cuius exercitio ex consequenti arcentur equidem valido quantum possibile sit, semper autem ab eius licito exercitio.

Falsus quidam sensus tribui posset huic canoni: solum de praedicta liceitate obtinendi potestatem non de validitate per canonem statui. Ad cuius falsitatis evidentiam, sufficeret verbum can. *possunt* potentiam significans, qua negata, consequenter actus obtinendi negatur. Validior est ratio sumpta ex inscriptione Tituli; agitur enim de iure quod necessario praecedere oportet ipsius exercitio, illudque dicitur abesse in eis qui clericatu carent. Ergo non obtinentur ullo modo ipsa obiecta iuris, quae sunt dictae potestates.

Alius sensus adinveniri posset. Scilicet: canon asserit coexistentiam clericatus necessariam cum possessione illarum rerum. Hoc quidem verificatur etiam de illo homine non tonsurato cui valide sacerdotium conferatur, nam simul clericus fit ac sacerdotii potestatem consequitur. Attamen hic sensus etiam reiiciendus propter supradictam rationem. Ius enim subiectivum lege praeexistit illius exercitio, et iuris ad obtinendas praedictas potestates subiectum ex canone est solus clericus, ille nempe qui talis iam est factus.

55. **Ius ac privilegium.** — Duas partes habet, ius nempe ac privilegium confert sequens *can. 119. Omnes fideles debent*, debito autem correlativum est ius, *clericis, pro diversis eorum gradibus* in hierarchia tum ratione ordinis, tum ratione iurisdictionis, *et muneribus*, quae ultima adiunguntur, quia possunt cum gradu aliquo determinato non copulari. Debent quidem *reverentiam.* Haec dictis atque factis patefit, cum sit externum testimonium aestimationis excellentiae alterius personae. Qualiter debeat tribui non dicitur, nisi ut sit diversa « pro gradibus et muneribus clericorum ». Servanda sunt ergo illa verba et facta quae, iuxta regiones et personas reverentiam exhibentes sint

in usu, praeter alia quae a sacris legibus sive liturgicis sive Codicis designentur. - Notandum est hac obligatione teneri « omnes fideles », sive reges, sive clavum reipublicae habentes, eorumque ministri; quamvis non extendenda erga omnes clericos, pro his enim et verbum « omnibus » omissum est, et adiecta clausula « pro diversis eorum gradibus et muneribus », quae discretionem innuit adhibendam, ita ut reges eorumve ministri reverentiam exhibere non teneantur erga inferiorum graduum clericos, e contra certo tenentur erga Episcopos. Utile visum est hic memorari duos praecedentis iuris textus; videlicet: quoad Reges ac Principes temporales recolendum quod ait Innoc. III in c. « Solitae » [1], « cum alii Reges et Principes Archiepiscopis et Episcopis suis (sicut debent) reverenter assurgant, et eis iuxta se venerabilem sedem assignent ». Et quoad illorum ministros Episcopi meminerint oportet quod ait Conc. Trid. [2]: « non potest S. Synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehonestare: qui cum regum ministris, regulis et baronibus in ecclesia, et extra, indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris, nimis indigne non solum locum cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare... praecipit, ut ab huiusmodi in posterum episcopi se abstineant; mandans eisdem, ut tam in Ecclesia quam foris suum gradum, et Ordinem prae oculis habentes, ubique se patres, et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus, quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia prosequantur ». - Iuri praefato sequitur in canone privilegium: *seque sacrilegii delicto commaculant* « omnes fideles », ubi adnotanda verborum proprietas, vitatur enim verbum « peccato sacrilegii », quia improprie diceretur de tonsurati percussione, cum ille persona vere sacra non sit; percutiens autem illum a sacrilegii delicto immunis non esset, cum revera violetur lex pro personis sacris tuendis lata et « cui addita est sanctio canonica »; huiusmodi autem « actio externa et moraliter imputabilis nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur » (can. 2195, § 1). - Insuper verbum « commaculant » magna proprietate gaudet, utpote innuens quidquam ex positiva lege pravum tali actione fieri, praeter pec-

[1] 6 h. tit. 33, Lib. I Decretal.
[2] Cap. 17, sess. XXV de Ref.

catum ipsius actionis naturae morali proprium, contra quamlibet personam illa actio posita fuerit. Commaculant igitur sese omnes fideles, *si quando clericis realem iniuriam intulerint.* « Realis iniuria » non dicitur hoc in loco, actio qua clericorum bona furentur vel noceantur, utpote proprie « clericis inferenda » non eorum rebus; nec « realis » prouti vera iniuria oppositionem dicit fictitiae aut solum apprehensae; sed per « realem iniuriam non inferendam clericis » designari voluit legislator iniuriam, quae non verbis tantum sed facto fiat, dummodo tale factum iniuria personam clerici afficiat, quamvis eius corpus aut bona minime noceat, et quae haberetur etiam in clerici persecutione, incarceratione, proiectione luti aut lapidum in eum. Hae iniuriae quidem inter delicta contra personas ecclesiasticas recensentur in Titulo XIII Libri V, can. 2343, cuius commentarium in Libro V Codicis ponendum est.

56. **Privilegium fori.** In sequenti canone praeprimis menda est corrigenda iuxta declarationem Secretariae Status [1] hoc modo: in § 2, lin. 2 verbum *maiores* mutandum in *supremos* et in sequenti linea est omittenda coniunctio *et.*

Can. 120. § 1. *Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus*, ita distinctis secundum earum obiectum ad normam can. 1552 § 2 [2], *apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent,* ac loquitur de clericis quasi principalem reorum partem habentibus in iudicio, quod bene animadvertendum. Exceptio est posita: *nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit*, saltem de quibusdam causis aut clericis, v. gr. in Concordatis, vel ex consuetudine iuridica sicut in Germania, vel propter particularem canonicam legem localem. - Videtur clericos numquam posse apud iudicem laicum conveniri, nisi praefata exceptio locum habeat. Et hoc quandoque foret his temporibus inconveniens. Propterea statuto principio § 1 est additus § 2. *Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae*, prout in cap. V tit. VII enumerantur diversi, *Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati nullius* definiendi can. 319, § 1, non autem Abbates

[1] 15 Octobris 1917. CO. IX-I, p. 557.

[2] Can. 1552. § 2. Obiectum iudicii sunt:

1° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est contentiosum;

2° Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est criminale.

regulares de regimine tantum, *supremi religionum iuris pontificii Superiores*, quamvis non sint clerici, *Officiales maiores Romanae Curiae*, sic proprie dicti eo quod in ea officium habent, qui cognosci possunt ex Annuario Pontificio ac sunt Auditores S. R. Rotae, Assessores, Secretarii, Subsecretarii Congregationum, sed isti *ob negotia ad ipsorum munus pertinentia*, quae verba referri nequeunt ad praecedentes, inter eos namque sunt Episcopi titulares absque munere. Illi omnes *apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae*; *ceteri privilegio fori gaudentes*, et hoc dicitur tum propter exceptionem § 1, tum ad includendos religiosos utriusque sexus non clericos, et viros ac mulieres in communitate viventes, quamvis hi nec religiosi nec clerici sint (can. 614, 690), tum ad excludendos clericos, qui clericorum privilegia amiserunt. Omnes « ceteri » apud iudicem laicum conveniri nequeunt, etiamsi exemptione gaudeant, *sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur*, hic enim potest circumstantias melius perpendere: quamvis non fuerit actoris nec conveniendi rei Superior ecclesiasticus, secus ac statutum fuerat in litts. encycl. S. C. S. Officii, unde hic paragraphus videtur desumptus [1]. Canon in hac parte congruit Dec.° Pelagii in Conc. Agathensi: « Clericum nullus praesumat apud saecularem iudicem, episcopo non permitente pulsare ». Subiungitur norma ab Ordinario illius loci sequenda: *quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus*, nam propter hos §us 2 videtur adiunctus, quibus non luberet ecclesiasticum tribunal adire, uti ab eis praesumptum vel civilis iuris de negotiis temporalibus imperitum, vel nimis favens clericis, *ne degenet sine iusta et gravi causa*, hac ergo non existente, licentia est concedenda; illa vero facilius invenietur quando actor sit etiam clericus. - In fine indigitatur modus quo poterit prudens Ordinarius vitare, ne inconveniens litigandi apud iudices saeculares adversus clericos vel inter clericos verificetur, et quo inutiliter probato facilius licentiam tribuere poterit. Sic enim clauditur § 2: *tum maxime* scilicet « numquam denegabunt »[2] *cum controversiae inter partes componendae* (ad quod tamen hoc canone non est obligatus) *frustra operam dederit*.

[1] 23 Jan 1886. Collect. S. C. de P. F. n. 1652.

[2] S. C. S. Offici loc. cit. et S. Congr. de Prop. Fide 17 Maii 1886. Collect. cit., n. 1656.

Praevia obligatio illa est actoris; reo autem, quando illa non fuerit observata, sequentem permissionem dat § 3. *Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit* necessariam ex § 2 *veniam, conveniantur* recensiti sub § 2 expositione, *possunt*, sed motivum concessionis subiungitur, a) *ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere*, unica vero praevia conditione, videlicet: b) *certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit*, cum ab eo debuisset obtineri. Sic enim monstrat clericus non libenter agere contra privilegium illud, cui renuntiare nequit ad normam can. 123. - Uti vidimus nulla mentio de his clericis facta est, qui ad testificandum vel alia de causa in tribunal laicale vocentur. - Haec pro praxi cavet Ecclesia, dum in Syllabo Pii IX manet damnatio Prop^is^. XXXI. « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede ».

57. **Clericorum immunitas personalis.** — Sicut in § 1 can^s^. praec^s^. fori privilegium vindicatum fuit velut iuris principium, de immunitate clericorum personali non minore firmitate statuit *can. 121. Clerici omnes* etiam mere tonsurati *a servitio militari, a muneribus* v. gr. curatorum, tutorum, iuratorum *et publicis civilibus officiis* non quibuscumque, sed *a statu clericali alienis* vel propter distractionem a clericalibus obligationibus vel propter status illius decorem, *immunes sunt;* ita ut nec legibus sint ad illa obligandi. - De iuridico fundamento huius immunitatis invenimus duas propositiones sequentes damnatas in Syllabo Pii IX, scilicet: XXXII. « Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero obligationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regimis constitutam ». Et generaliter Propositio XXX. « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ». - E converso legimus in Conc. Trid. c. 20 sess. XXV de Ref. « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam », quam sententiam ab adversis opinionibus vel erroribus propugnare ad ius publicum ecclesiasticum pertinet. - Aliter ac de fori privilegio cautum est, in hoc canone desiderantur normae practicae quoad illas leges civiles vigentes

adversus praedictas immunitates. Puto ergo ad Ordinarios pertinere has normas tradere, pro quibus ferendis consuli possunt circa servitium militare Dec. « Inter reliquas » S. C. de Religiosis [1] et Instructio Congr. S. Officii [2] pro Italiae clericis, quae insuper sunt in vigore habenda quia implicita pro praxi hoc in canone. Insuper non amiserunt vim suam, utpote ss. canonibus non oppositae particulares normae in dioecesibus aut regionibus hucusque adhibitae legitime.

Opportune considerandum est Codicem tacere de clericorum immunitate a legibus civilibus circa quaedam alia onera, v. gr. tributa personalia vel realia, quando non respiciunt bona proprie ecclesiastica, quia de his cavet in eorumdem titulo lib. III. Haec immunitas inferebatur ex cc. 7 et 10 Innocentii III tit. « de Constitutionibus » (I, 2). In eorum capitum altero dicitur: « Ecclesia S. Mariae: Nos attendentes quod Laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii, de non alienandis praediis rusticis vel urbanis, ministeriis et ornamentis Ecclesiarum: illa reprobatum fuit potissima ratione, quod auctoritate non fuit Rom. Pont. roboratum ». Hoc ex capite infertur, vi canonici iuris praecedentis leges civiles quae ferebantur sine consensu Ecclesiae de rebus temporalibus, et a fortiori de spiritualibus tum Ecclesiarum, tum clericorum, carere obligandi vi, etiamsi ipsarum et eorum commodum respicerent.

Haec sunt quidem iuris principia; sed nunc temporis distinguendum videtur inter civiles societates. Ex his quarumdam gubernantes inierunt conventiones cum S. Sede, in quibus haec remisit hoc privilegium explicite aut implicite, ac tunc leges latae secundum hanc normam poterunt clericos obligare, atque citata lex ecclesiastica salva manet, utpote quod leges illae civiles Ecclesiae gaudent approbatione. Idem asserendum de societatibus in quibus ex canonica consuetudine idipsum obtinuerit. Vel sermo est de societatibus, quae, nullo habito respectu

[1] 1 Ian. 1911, CO. III, pag. 37. — [2] 16 Sept. 1875, A. S. S. XXIII. 40.

ad Ecclesiam, non reverentur praedictam immunitatem, atque tunc leges adversantes iuri canonico vel clericorum officiis ac dignitati, manent irritae neque sunt observandae, nisi quantum sit necessarium ad vitandum maius malum aut scandalum; leges vero aliae quae ad reipublicae bonum ordinantur, observari queunt ac debent, tamquam ob Ecclesiae de iure suo remissionem implicitam in praedictae immunitatis omissione propter hodiernos mores forsitan idipsum requirentes.

Demum quod leges civiles quascumque circa ecclesiasticarum legum obiecta vel circa clericos aut res eorum, valde utilis esse potest doctrina generalis sequens D. Thomae, praemissis duabus propositionibus damnatis in Syllabo Pii IX nempe: Prop. XLII. « In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet », Prop. XLIV. « Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere ». Doctrina consulenda D. Thomae inveniri potest (1ª 2ªᵉ quaest. XCVI art. 4): « Utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiae », ex quo illud expresse adnotandum censeo: « sicut Augustinus dicit (De lib. arbitr., lib. 1, cap. 5 parum a princ.): lex esse non videtur quae iusta non fuerit. Unde tales leges (iniustae) non obligant in foro conscientiae, nisi propter vitandum scandalum vel turbationem; propter quod etiam homo iuri suo debet cedere, secundum illud (Matth. V, 41): Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo; et qui abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium ». Hinc sequitur Ecclesiam in iurium suorum exercitio rite cedere, tolerando iniquas leges civiles, sed tantum propter maiora mala vitanda, cui se conformare tunc possunt clerici. Et sic explicit art. D. Th.: « Alio modo leges possunt esse iniustae per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud quod sit contra legem divinam; et tales leges nullo modo licet observare, quia sicut dicitur (Act. IV) *obedire oportet Deo magis quam hominibus* ».

58. **Privilegium competentiae.** — Postremum privilegium huius tituli prius appellatum « privilegium competentiae » in-

ductum est in praxim propter canonicam aequitatem et ex analoga Iur. Rom. dispositione in militum favorem, et Canonistae ipsum deduxerunt perficientes determinationibus ex c. « Odoardus » 3 Greg. IX « de solutionibus » (III, 23). - De illo tractat *can. 122. Clericis qui creditoribus satisfacere coguntur*, a) *salva sint quae ad honestam sui sustentationem*, omnibus perpensis personae ac locorum adiunctis, *prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria*, b) *firma tamen eorumdem obligatione* naturali *creditoribus quam primum satisfaciendi*. Nec sunt necessariae amplius conditiones per canonistas recensitae, utpote in iure veteri non expressae, sed ab eis superadditae, vel plene omissae in canone. In foro ecclesiastico servandum absque dubio est hoc privilegium. Sed huiusmodi causae a creditoribus facile ad tribunal laicale deferentur. Tunc pro praxi confugiendum erit clerico ad favores similes, quos leges civiles fortassis concedant, ut aliquo saltem modo huiusmodi privilegium salvum fiat. - Cuius ratio iuridica potest accipi ex c. 2 sess. XXI de Ref. in Conc. Trid. « Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis (vel status clericalis) dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questum exercere ».

59. **Privilegiorum amissio.** — De renunciatione atque amissione privilegiorum praedictorum agit *can. 123. Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit*, tum quia non in favorem solum personae sed conditionis clericatus constituta sunt, tum eo quod lege praecipiuntur, a qua nemo se proprio arbitrio eximere potest. Sic enim legitur in cap. 12 « de foro competenti » (II, 2): « Manifeste patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarii, pacisci non possunt (clerici) ut saecularia iudicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum: cui (utpote iuri publico) privatorum pactio derogare non potest. Nec iuramentum licite servari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur ».

Attamen illa privilegia pro singulis clericis amissibilia sunt, et propter hoc statim subiungitur in can.: *sed eadem* scilicet: privilegia *amittit*, duplici autem de causa: 1ª *si ad statum laicalem reducatur* et 2ª *aut privatione sed perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam* quidem quoad primum *can. 213* § *1*, quae citatio addita est in « ad-

denda et corrigenda » alterius editionis Codicis, et quoad privationem ad normam *can. 2304* [1]; utraque vero amissio remedium consequi potest, declarante Summo Pontifice in can. calce: *recuperat vero* clericus privilegia, *si haec poena* perpetuae privationis antedictae *remittatur aut* respectu prioris motivi, ad statum laicalem reductus *ipse rursus inter clericos admittatur*. Quo modo id faciendum, videbimus in can. 212.

Ita expositus praesens Titulus satis erit ad intelligentiam canonum 614 et 680, in quibus id elargitur: « iidem, etiam laici ec novitii fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123 », quae ultima citatio omittens can. 118 confirmat quae diximus tum de distictione praescriptorum Tituli secundum verba inscriptionis eius, tum religiosos laicos non venire sub nomine clericorum.

Imo animadvertatur can. 123 moderari privilegia recensita in can. 119-122, quin de iuribus intelligendum sit directe. Attamen iura quoque « amittit clericus », 1° « si ad statum laicalem reducatur ad normam can. 213 § 1 », quia ex tunc non dicitur clericus in Codice, ac ex can. 118 « soli clerici » ius illud multiplex possident; 2° antequam « privatione perpetua clericus plectatur » de qua in can. 2304, propter praeviam depositionem ex can. 2303 § 1 clericus manet « suspensus ab officio et inhabilis ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus ». Quae omnia aequipollent amissioni iurium ex can. 118.

TITULUS III.

De obligationibus clericorum.

Can. 124. - Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere.

Can. 125. - Curent locorum Ordinarii:

1° Ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant;

2° Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem ma-

[1] Can. 2304 § 1. Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.

§ 2. Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2.

- De obligationibus clericorum [1]
  - positivis
    - generale iuris principium — Can. 124
    - quoad spiritus exercitia
      - ordinaria — » 125
      - tertio quoque anno — » 126
    - de obedientia erga Ordinarium
      - et reverentia — » 127
      - in suscipiendis muneribus — » 128
    - circa studium
      - quoad doctrinam et modum — » 129
      - quoad examina annualia — » 130
      - quoad conferentias casuum — » 131
    - castitatis servandae
      - cum coelibatu — » 132
      - sine mulierum cohabitatione — » 133
    - vitae communis suadendae vel servandae — » 134
    - recitationis horarum canonicarum — » 135
    - gerendi habitus ecclesiastici — » 136
  - negativis seu prohibitionibus
    - inconsulto loci Ordinario — » 137
    - eorum quae
      - statum clericalem dedecent — » 138
      - a statu clericali sunt aliena — » 139
    - quorumdam oblectamentorum — » 140
    - militiae voluntariae — » 141
    - negotiationis — » 142
    - discessus a dioecesi
      - sine licentia — » 143
      - ultra permissionem — » 144

[1] Vide pag. 76, 78, 79, 96, 97.

riano rosario colant, conscientiam suam discutiant.

CAN. 126. - Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia.

CAN. 127. - Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi.

CAN. 128. - Quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum.

CAN. 129. - Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

CAN. 130. - § 1. Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.

§ 2. In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt.

CAN. 131. - § 1. In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.

§ 2. Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.

§ 3. Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt.

CAN. 132. - § 1. Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo praescripto can. 214, § 1.

§ 2. Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt.

§ 3. Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorundem ordinum exercitio prohibetur.

CAN. 133. - § 1. Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.

§ 2. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.

§ 3. Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere.

§ 4. Contumaces praesumuntur concubinarii.

CAN. 134. - Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda.

CAN. 135. - Clerici in maioribus

ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214, tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros.

CAN. 136. - § 1. Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant.

§ 2. Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.

§ 3. Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.

60. **Tituli inscriptio et canonum ordo.** — Generaliori formula haec inscriptio includit duas rubricas Titulorum primi et ultimi Libri III Decretalium, scilicet: « De vita et honestate clericorum » et « Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant »; et sicut hic alter continebat capita non solum clericis, verum etiam monachis communia, ita etiam est sentiendum de Codicis titulo nunc interpretando, prout constat ex can. 592 aiente: « Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142 », (exceptis ergo duobus ultimis), « etiam religiosi omnes tenentur », ac idipsum in can. 679 § 1 extensum fuit ad sodales societatis in communi viventes sine votis. In utroque autem loco invenitur eadem clausula nullo modo parvi pendenda: « nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet ». Curam igitur adhibere intendo, ut lectorem commoneam de huiusmodi exceptionibus, quando sint notandae in singulis praescriptionibus; silentiumque signum erit de clericorum obligationibus plane ad illas personas extendendis. - Canones huius Tituli tertii sic disponuntur inter se, ut praemisso generali iuris principio in can. 124, successive tractetur de animae exercitiis in can. 125, 126, de obedientia in duobus seq., de studiis colendis in can. 129-131, de castitate servanda in duobus aliis, de vita communi atque horarum canonicarum recitatione in can. 134, 135, de cultu vestium in can. 136, cui subsequuntur octo ultimi canones diversarum prohibitionum, quas ante can. 137 recensebimus breviter ac nunc egimus de prioribus.

61. **Generale principium:** — Principium, dixi, continet *can. 124. Clerici debent sanctiorem prae aliis* fidelibus, quia quaedam est perfectio gratiae in via non status, sed meriti « charitatis (I, Joan. IV, 18); Perfecta charitas foras mittit timorem

(servilem): ad quam tenentur omnes » iuxta D. Thomam [1], cum alia sit « meriti quoque sed excellentiae vitae (Gen. IV, 9); Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, et ad hanc tenentur clerici super laicos » a) *vitam interiorem* per actus virtutum voluntate elicitos, ex quibus constat vitae sanctitas, *et exteriorem* illi conformem per externos actus, (non enim hypocrisim desiderat Ecclesia) *ducere*, b) *eisque* « laicis » *virtute* adversus passiones ac in adversis *et recte factis in exemplum excellere*, ut ex ipsis velut altioribus moraliter queant fideles exhortationem recipere. Hoc ultimum, quia ipsis Apostolis, quibus dixerat Iesus Christus: « Vos estis sal terrae, vos estis lux mundi »; ait statim: « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est » (Matth. V, 16). Ergo ea mensura qua unusquisque clericus in sortem Domini prae laicis vocatus est, appropinquans dignitati officioque discipulorum Christi, quibus illa verba directa sunt, ea ipsa debet in exemplum praelucere. - Idem argumentum quoad priorem canonis partem deduci potest ex praecepto Domini Sacerdotibus Veteris Testamenti, quod urget fortius in Novo Testamento: « Sancti estote qui *offertis* incensum Domini, quoniam ego sanctus sum ».

Hic canon ius praecedens refert alio modo contentum in Conc. Trid. [2]: « Monebunt praeterea episcopi suos clericos in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone et scientia, commisso sibi Dei populo praeeant memores eius, quod scriptum est: Sancti estote, quia et ego sanctus sum. (Lev., XIX, 1). Et iuxta Apostoli vocem: (II ad Cor., IX in princ.) Nemini dent ullam offensionem (etsi exemplo), ut non vituperetur ministerium eorum; sed in omnibus exhibeant se, sicut ministros Dei.

62. **Exercitia ordinaria.** — Porro ut illa sanctior vita interior foveatur, media proponuntur a loquente legislatore directe cum Ordinariis, veluti securiorem executionem expectante saltem ob Patris ac Iudicis timorem, nam ex canonis iniunctione consequitur posse Ordinarios prudentiori modo monitionum aut poenitentiarum negligentes stimulo urgere. Statuit igitur *can. 125. Curent locorum Ordinarii*, debent ergo pro eorum prudentia et possibilitate obtinere « solis adhortationibus

[1] In Matth., cap. V, n. 9 in fine.
[2] Sess. XIV. Proemium Dec. de ref.

et admonitionibus, nec possunt monere sub poenis et censuris », prout S. Congr. reposuit circa eamdem clausulam Conc. Trid. in cap. 14 sess. XXIII de Ref.; (nec de religiosis vi huius canonis cura est Ordinariis): - 1° *Ut clerici omnes* etiam mere tonsurati usque ad dignitates in dioecesi *poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant*, quae sufficiens frequentia esset hebdomadaria vel bis in mense. 2° *Ut iidem* supra declarati *quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant*, sufficiet certo per dimidiam horam, *sanctissimum Sacramentum visitent*, ac per quadrantem sufficeret, *Deiparam Virginem mariano rosario*, equidem tertia ipsius parte, *colant*, *conscientiam suam discutiant*.

63. **Exercitia spiritualia.** — Illa sunt media ordinario adhibenda, sed alia ut selectoria iniungit *can. 126. Omnes sacerdotes saeculares*, nam de religiosis ac in communi viventibus sunt alii canones. Praescriptum non obligat nisi sacerdotes, qui *debent* a) *tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis*, et quaestioni: quot diebus; satisfit statim: b) *per tempus a proprio Ordinario determinandum*, cuius nempe dioecesi sunt incardinati, vel si a dioecesi legitime absint, in cuius dioecesi ad normam can. 94 § 1 commorantur: dicitur autem ubi, scilicet: c) *in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare;* quia vero ista vacatio est quid externum ac facilis probationis, omnino urgetur his verbis: *neque ab eis quisquam eximatur, nisi* a) *in casu particulari*, non generali quorumdam exemptione, b) *iusta de causa* c) *ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia*, proinde non sufficit praesumpta vel tacita. Hi duo canones primo per Codicem sunt inducti.

64. **Reverentia et obedientia.** — Consequuntur canones de obedientia, utpote quod est debitum erga Superiores, secundum equidem post alia interiora erga Deum. *Can. 127. Omnes clerici* ob eorum mancipationem divinis ministeriis sub Praelati ductu, *praesertim vero presbyteri propter* horum promissionem in ordinatione emissam, *speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi.* « Speciali » dicitur, quia ut meminit Clem. III c. 4 de maioritate et obedientia: « Omnes principes terrae et ceteros homines, Episcopis obedire, beatus Petrus praecipiebat » scilicet: unumquemque suo Episcopo. Et reverentia est alia pars observan-

tiae quae Superioribus debetur. - Ordinarius clerici est Praelatus loci vel incardinationis vel ubi sita est domus tum religiosa tum in communi viventium quando sit clericorum, aut Superior maior religionis clericalis exemptae; sed in genere Ordinarius ille cui actu subiiciatur clericus quocumque legitimo modo. - Huc pertinet quod S. Congr. Consist. monet in Dec°. « Nemo de sacro »[1] num. « 4. Expletis demum in laica quavis Universitate praescriptis studiorum cursibus, sciant Sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subiectos ac dioecesis servitio manere mancipatos ».

65. **In muneribus adimplendis.** — *Can. 128. Quoties et quamdiu* circa durationem et iterationem *id, iudicio proprii* ratione incardinationis, vel si ab huius dioecesi discesserit legitime clericus, ratione quasi-domicilii « proprii » *Ordinarii*, cuius sententiae deferendum est, a) *exigat Ecclesiae necessitas*, b) *ac nisi legitimum impedimentum excuset*, scilicet: proportionatum muneri, non solum molestia sustinenda, labor, privatio alicuius occupationis, a) *suscipiendum est clericis* b) *ac fideliter implendum munus*, etsi ad officii proprie dicti naturam non pertingat, *quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum*. Ex ultimis verbis « ab Episcopo commissum » et ex praecedentibus « Ecclesiae necessitas » liquet « Ordinarii proprii nomen » hoc in canone restringendum ad Ordinarium loci, ac de clericis solum intelligendum, qui eidem ita subiecti sunt, ut ab illo munere exercendo regulari observantia vel vita communi quamvis sine votis non impediantur.

66. **Circa studium.** — Consequenter, de virtutum obligationibus quae ipsum clericum respiciunt, tradit Codex praescripta; primo quidem circa mentis culturam proprio statui necessariam iuxta veterum dicta: « Doctrina sine vita ecclesiasticum Doctorem arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit » et « Duo nobis necessaria sunt, vita scilicet, et doctrina, alterum propter nos, alterum propter proximum ». Itaque iubet *can. 129. Clerici studia* utpote occupationem decoram utilemque contra otium, *praesertim sacra* ad quae tenentur, *recepto sacerdotio*, ut non obliviscantur quae didicerunt, imo in eis progrediantur: I° *ne intermittant;* de sequenda vero

[1] 30 Apr. 1918. C. O., X, 238.

norma in deligendis libris quos studeant, subditur: II° *et in sacris disciplinis* a) *solidam illam doctrinam*, non levem utpote illa est quae minus fundata, b) *a maioribus traditam*, quia per traditionem ad nos pervenit fidei disciplina, c) *et communiter ab Ecclesia receptam sectentur* tamquam securiorem, quia Sponsae suae Christus assistit, ut eidem per fidem desponsata maneat, « Sponsabo te mihi in fide » (Oseae, II, 20), d) *devitantes profanas vocum novitates*, sub his enim non raro mentis latent deviationes, e) *et falsi nominis scientiam*, de qua pronunciatum est in Conc. Later. V [1] et confirmatum in Conc. Vaticano (sess. III, cap. IV) « Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus ». Verba canonis postrema sunt desumpta, ut notum est, ex I ad Timoth. (VI, 20); ubi ratio traditur: « Quam scientiam quidam promittentes, circa fidem exciderunt ». Sic igitur valde cavenda.

67. **Circa examina annualia.** — Ne tam utilis ac necessaria obligatio, si relinqueretur singulis, ab aliquo negligeretur, a providentia Ecclesiae materna positus est *can. 130* § 1. *Expleto studiorum curriculo*, antea enim sufficienter studia promoventur, *sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti*, absque ulla ergo exceptione, *nisi ab Ordinario loci* non ad libitum, sed *ob iustam causam* idest: proportionatam v. gr. eo quod s. theologiam doceant in Seminario, pluribus s. ministerii occupationibus necessario detineantur aliquo anno, vel gravi praeoccupati infirmitate *fuerint exempti* hoc vel altero anno, sed « qui... ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab his examinibus minime eximantur (hac de causa), quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, prafanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant contra praescriptum can. praec. » Ita in cit.° Dec.° « Nemo de sacro ». - Quod autem in praesenti canone praescribitur est: *examen singulis annis saltem per integrum triennium*, posset igitur Ordinarius hanc obligationem augere saltem pro quibusdam ex proportionata causa, et pro omnibus ex simili ratione generali, *in diversis sacrarum scientiarum disciplinis*, non quidem omnibus, sed *antea oppor-*

[1] Sess. VIII 19 Dec. 1513.

tunc designatis, subeant (examen) *secundum modum ab eodem Ordinario determinandum* quoad durationem ac ceteras circumstantias. Animadvertendum hanc praeceptionem non respicere, sicut liquet ex seq. §, sacerdotes religiosos, de quibus severior canon 590 determinatus est.

Utque nascatur aemulatio in studiis colendis, statuit § 2. *In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum,* quorum definitiones dantur in can. 145 et 1409, *ratio habeatur eorum,* seu praeferantur illi, *qui, ceteris* qualitatibus moraliter *paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt.* Iusta enim laboris retributio. Quae praescriptio ulterius citanda e memoria non excidat. - « Poterunt demum Ordinarii (can. 198, § 1) suis clericis (etiam religiosis) praescribere ut aliquo annorum spatio, examen de praedicatione in curia (seu religiosi clerici exempti apud designatos examinatores) quotannis subeant tam voce quam scripto, ea quidem methodo quae ipsis magis probabitur, conformiter scilicet ad praescriptiones Codicis pro examinibus annuis a clericis subeundis post sacerdotii susceptionem ». Ita vigentes « Normae pro sacra praedicatione » num. 40 [1].

68. **Collationes seu conferentiae casuum.** — Ad eumdem antedictum finem novi omnino praec.^is canonis ducit sequens iam prius vigens *can. 131.* § 1. *In civitate episcopali* non solum, verum *et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno* Episcopi iudicio, sed quater saltem, *diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos collationes seu conferentias vocant, de re morali et liturgica,* et notanda harum conferentiarum materia; *quibus addi possunt,* non iubentur, *aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam;* v. gr. docti cuiusdam sacerdotis conferentiam, pietatis exercitium forsitan cum concione pro sacerdotibus; et si Ordinarius hoc iure utens addat eas exercitationes, qui ad collationes conveniant illis etiam interesse debent. - Cum locorum ac temporum circumstantiae facile variari queant, illarum conferentiarum substantiam salvam custodit § 2. *Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones,* quae supponuntur fuisse propositae, *scriptae mittantur* ab omnibus qui § 3 obligantur, *secundum normas ab Ordinario statuendas,* ut nemo fraude possit ab hac missione liberari.

[1] S. Congr. Cons., 28 Jun. 1917., C. O., IX, 334.

§ 3. *Conventui interesse*, de quo in 1° §, *aut, deficiente conventu*, ad normam § 2[i] *scriptam casuum solutionem*, ubi designatur resolvendarum quaestionum forma, *mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint*, nec sufficit eam praesumere; his ergo tantummodo exceptis, *tum* a) *omnes sacerdotes saeculares, tum* b) *religiosi licet exempti* I° *curam animarum habentes*, atque hi absolute, *et etiam* II° sub conditione: *si collatio in eorum domibus non habeatur* ad normam can. 591, *alii religiosi* cum notanda designatione: *qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt*. Heic Ordinarius loci accipiatur propter connexionem cum eodem antea sic expresso. Et ex contextu apparet, non respicere hunc canonem ceteros viros religiosos.

69. **Caelibatus.** — Sequuntur canones de caelibatus obligatione, quae adeo est antiqua, ut Leo Papa ita scripserit ad Anastasium [1]: « Omnium Sacerdotum tam excellens est electio, ut haec, quae in aliis membris Ecclesiae vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectae continentiae puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares ». Hoc vero servandum esse ex voto iubet B. Greg. scribens [2]: « Nullum facere Subdiaconum praesumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit ». Quae promissio tacite inest ordinis subdiaconatus susceptioni, iuxta Episcopi ordinantis praeviam exhortationem, adhuc faciendam vigente Codice, secundum can. 2 in fine [3].

Nunc explicandus *can. 132.* § 1. *Clerici in maioribus ordinibus constituti* in subdiaconatu et supra, etiamsi religiosi aut in communi viventes sine votis existant, *a nuptiis arcentur*, quod proprie significat saltem prohibitionem de qua legislator in hoc titulo videtur sollicitus, etsi verbum arcere stricte sumptum deneget possibilitatem accedendi ad nuptias, et revera ita est ad normam alterius canonis 1072 [4]. Iidem *et servandae casti-*

[1] Cap. 1 D. XXXII. — [2] Cap. 1 D. XXVIII. — [3] Can. 2 . . . Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

[4] Can. 1072. Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.

tatis obligatione, quae virtus non tantum opera sed verba et cogitationes contraria vetat, *ita tenentur*, atque statim explicat specialem in eis deformitatem, *ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint*, duplici nempe peccato se coinquinant, contra castitatem et adversus religionem indigne tractantes propriam personam sacram. Non exprimit alterius motivum deformitatis, nempe: « sacrilegii », quod absdubio existit supposita voti tacita emissione, sed cum de hoc sileat et absque exceptione aut conditione loquatur, dicendum est canonem cum sententia concordasse quae asserit: etiam illum qui ob ignorantiam vel pravam voluntatem votum omisisset, tamen ad castitatem ex religione servandam teneri propter consecrationem personae ex ordine cum lege ecclesiastica. In calce canonis habetur: *salvo praescripto can. 214* § 1 tempore suo explicandi de « clerico qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit ».

De aliis inferioribus clericis loquitur § 2. *Clerici minores possunt quidem nuptias inire*, idest: non sunt prohibiti ex canone, *sed*, si ineant, etiamsi ex alia causa v. gr. propter spiritualis cognationis impedimentum fuerint invalidae, *nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso*, nec sufficit vis aut metus contrahenti alteri incussus; ergo in quocumque casu ineundi matrimonium, salva illa exceptione, *ipso iure e statu clericali decidunt*. Nempe ad statum inferiorem laicalem reducuntur, amittentes ad normam can. 123 privilegia clericalia. - Fuit ergo revocatum cap. unicum de clericis coniugatis in 6° (III, 2) in quo Bonif. VIII statuerat: « Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt... privilegium retineant canonis ab Innoc. II editum in favorem totius ordinis clericalis. Et... praesenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicium saeculare: nec ab ipsis saecularibus iudicibus... ullatenus condemnari. In ceteris autem... eos gaudere nolumus privilegio clericali... » - Et in c. 6 sess. XXIII de Ref. Conc. Trid. post alia sequitur: « In clericis vero coniugatis servetur Const. Bonif. VIII., quae incipit: " Clerici, qui cum unicis ", modo hi clerici 1° alicuius Ecclesiae servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiae serviant, vel ministrent; et 2° clericali habitu et tonsura utantur: nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine, etiam

immemorabili, suffragante ». Unde liquet parum praxi hodiernae accommodam fuisse hanc legislationem merito abrogatam.

Denique de eo qui matrimonio iam ligatus ordines cumulat in se, statuit § 3. *Coniugatus qui sine dispensatione apostolica*, praesupponit ergo cum hac necessario habenda promoveri posse, atque tunc de ipso non intelligenda esset praesens praescriptio; alias si *ordines maiores, licet bona fide, suscepit*, nempe: sine peccato, quia et uxor consensit, ipseque prohibitionem probabiliter ignorabat, vel alia de causa, *ab eorumdem ordinum*, idest: sic susceptorum *exercitio prohibetur.* Igitur meram statuit prohibitionem, minime proprie dictam suspensionem, quae ceteroquin incurri non posset ab eo qui bona fide legem transgressus esset. Hocque memoriae tradere opus est. De coniugato minores ordines suscipiente nihil cavet legislator, nec opus fuerat eo quod ex § praec. statum non mutat.

70. **Cohabitatio cum mulieribus.** — Cum ex S. Scriptura et ex historia edoceamur quam periculosa sit homini assidua cum femina conversatio et familiaritas, optime coelibatus legi subiunguntur immediate ipsius repagula, quod praestat *can. 133.* § 1. *Caveant clerici*, utpote sanctiorem vitam prae laicis sectantes, *ne mulieres, de quibus suspicio esse possit* propter circumstantias diversas: sive physicas v. gr. corporis, aetatis, etc., sive morales v. gr. levitatis morum, immodestiae, etc., sive domesticas, v. gr. quia solae in domo, coniunctis carentes, sive sociales, v. gr. suspectas circa religionem, quoad mores, etc.; has igitur quae ansam praebent prudentis suspicionis de proximo clerici periculo, nec *apud se retineant*, idest: cohabitantes in eadem domo quamvis solum interdiu, *aut quoquo modo frequentent* v. gr. per visitationes, per colloquia, per negotia cum eis. Et legis motivum evidens est: curam habe de bono nomine; indirecte autem periculorum remotio. - De permissiva huius canonis parte cum limitatione inseritur § 2. *Eisdem* (clericis nempe) *licet cum illis tantum mulieribus cohabitare* domestice sub eodem tecto *in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi*, propter quod verbum personae hic expresse nominatae sunt veluti exempla clausulae generalis. Idque desumptum est ex c. 9 tit. de cohabitatione clericorum et mulierum (III, 2) in quo Inn. III ait Pistoriensi Episcopo: ... « Cum clericis quoque non per-

mittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari ». - Proinde ad normam can. 6, n. 2° [1] admittenda interpretatio Bened. XIV [2], dum esset Archiep. Bononien.: «tamen inhaerentes recentiori disciplinae concedimus, ut in societatem contubernii recipiant eas mulieres tantum, cum quibus cognatio intercedit in 1° et 2° gradu, nempe cum matre, avia, amita ac matertera, cum neptibus etiam sive ex fratre, sive ex sorore; item cum mulieribus affinibus in 1° gradu, nempe cum noverca, cum nuru, et cum uxore fratris sive ipse inter vivos agat, seu vita decessit; tandem concedimus, ut idem contubernium habeant cum mulieribus, cum quibus affinitatis 2us tantum gradus intervenit, *si alter alteri reverentiam debeat;* uti tradunt Scriptores; inter has mulieres uxor defuncti avunculi adnumeratur ». Haec doctrina etiam nunc secura est, quando in Codice fere in omnibus praedictis casibus dirimens matrimonii impedimentum ex praefatis cognationis gradibus est relictum.

Age vero generalis regula de cohabitatione vetita clericorum ac mulierum invenitur [3] ab antiquo tradita per concilium Nicaenum: « Interdixit per omnia S. Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, vel alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem (i. e. cohabitare cum ea), nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam idoneas personas (i. e. propter cognationem, propter necessitatem simul ac aetatem) quae fugiant suspiciones ». Haec etiam ultima exceptio relata est in § 2, quando hic subiunxit determinans ipsam: *aut a quibus* a) *spectata morum honestas*, b) *cum provectiore* saltem 40 annorum *aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.*

Cum autem praecedentes §^i^ tradant normas, quae applicandae sunt pro diversitate locorum, personarum, temporum, etc., et hoc sit Episcoporum Praelatorumque munus, atque alia ex parte sit scriptum in c. 1 huius tit. Decretal. « Inhibendum est ut nullus Sacerdos feminas de quibus suspicio esse possit, retineat »: (et hoc fuit ipso iure extensum in § 1° ad omnes cle-

[1] Can. 6... 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos Auctores interpretationibus, sunt aestimandi.

[2] Instit. eccles. LXXXII, n. 1. — [3] C. 16, D. XXXII.

ricos). « Sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam, et sororem; quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur: aut etiam in pedissequis earumdem ». Propter has rationes optimo consilio sic redactus est hic § 3. *Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit*, et propterea permissas in praecedente §, *in peculiari aliquo casu* a) *scandalo esse possit aut* b) *incontinentiae afferre periculum*, quam duplicem causam prohibitionis canonis assignavimus supra, *ad Ordinarium loci pertinet, cuius est* consequenter *clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere*. Animadvertatur scandalum esse motivum deferendi de hac re iudicium ad loci Ordinarium, quapropter cum religiosos teneat iste canon etiam exemptos saltem quoad frequentationem mulierum, sequitur Ordinarii loci iudicio in hac re acquiescendum esse ab exemptorum Praelatis, ut talem frequentationem prohibeant, et quoad ceteros religiosos non exemptos huiusmodi prohibitiones loci Ordinarius dare potest, saltem si mulierum domos tali frequentia petant. De incontinentiae vero periculo unusquisque Superior religiosorum videat.

Demum § 4. *Contumaces* i. e. contravenientes pervicaciter prohibitioni *praesumuntur concubinarii*. Hoc est: de tali delicto concubinatus sunt puniendi propter admissam a canone coniecturam rationabilem de huius existentis delicti connexione cum illa contumacia. De modo autem procedendi a Praelato contra eos clericos normae habentur in l. IV Cod., tit. XXXI, can. 2176 et seq.

71. **Vita communis.** — Dicitur in Proverb. [1] « Frater qui adiuvatur a fratre sicut civitas firma ». Hinc patet quam sapientem animadversionem contineat *can. 134. Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est*, tamen non iubetur, nisi in casu et cum moderamine, scilicet: *eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda*. Et id urgere posset Episcopus. Sed haec vita communis est valde diversa a vita religiosorum communi de qua infra, nam inter clericos non aderit communitas bonorum, sed cohabitatio sola sub eodem tecto, forsitan communis mensa atque fusio precum in communi. Tamen facile perspicitur inde plura bona in ipsos promanare

[1] XVIII, 19.

posse, ac etiam in populum, si tamen sit etiam communitas animorum.

Huc pertinet praescriptum in Dec.° « Magni semper negotii » S. Congr. Consist.[1] contentum sub n°. « 8. Curae et sollicitudini Ordinariorum Americae et insularum Philippinarum enixe commendatur ut provideant quo emigrati sacerdotes in domibus privatis vel in diversoriis, sive publicis hospitiis, non commorentur, sed in aedibus ecclesiasticis ad rem instructis vel instruendis, aut penes aliquem parochum vel religiosos viros. Quod si absque legitima causa parere recusent, eos post factam monitionem peremptoriam a missae celebratione interdicant ».

72. **De horarum canonicarum recitatione.** — Occasio sese offeret nobis inveniendi canones in quibus loquentibus de clericis maiorum ordinum simul memorantur duae obligationes eorum peculiares, scilicet praeter caelibatum de quo tractavimus, horarum canonicarum recitatio, quapropter apte post praecedentes positus est *can. 135. Clerici in maioribus ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214*, scilicet: « omnes qui a clericali statu ad laicalem legitime » i. e. ad normam ss. canonum ipso facto vel Superioris auctoritate « redacti aut regressi sunt », atque hi bene adnotandi, quia in can. 213 nihil explicite de canonis quem commentamur exceptione dicitur, et in can. 214: « clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit » sub conditionibus in illius canonis studio explicandis. Praeter hos exceptos ceteri clerici maiorum ordinum *tenentur obligatione quotidie* idest: urgentur ea singulis diebus *horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros*. Quoad obligationis originem, en testimonium Bened. XIV in Const. seu Inst. « Eo quamvis »[2]. « In Ecclesia occidentali imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum ecclesiasticum Beneficium fuerint assequuti. Cohaeret enim Ordini sacro diurnum pensum Horarum canonicarum; illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio ». Horae canonicae vocari videntur, quia sunt preces iuxta ss. canones fundendae

[1] 30 Dec. 1918, C. O., XI, 41.
[2] 4 Maii 1745, § 43.

cum relatione originis ad horas diei. Quaenam sint rae horae canonicae per liturgicam legem (adhuc vigentem iuxta can. 2) [1] edocemur contentam in c. 1 de celebratione missarum... et divinis officiis: « Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutini, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et Completorii tempore, nostrae servitutis officia persolvamus: Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam, etc. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super iudicia suae iustitiae referamus ». Sub nomine Matutinarum etiam Laudes comprehenduntur. Et quamvis canon 135 dicat « quotidie », non reprobat nec aufert liturgicam consuetudinem, quae canoni non opponitur, sed interpretatur eum, qua Matutinae cum Laudibus anticipari queunt diei praecedentis vespere. Immo viget Decretum S. Rit. Congr. in Placentina [2]: « I. Utrum in privata recitatione, Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae Directorii dioecesani, omni tempore. - II. Utrum etiam in publica seu chorali recitatione Officium incipi possit hora secunda pomeridiana? - Et S. eadem Congr. ... respondendum censuit: Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. - Ad. II. Negative »[3].

Ratione similis consuetudinis tempus determinatum pro singulis horis est sic moderatum, quod ante meridiem recitentur omnes usque ad nonam, et post meridiem Vesperae ac Completorium. Libri liturgici, nunc primo et pluries in posterum memorandi, appellantur in genere « libri qui solummodo Ritus,

[1] Can. 2. Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia latina probati, celebrandas praecipiunt, in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

[2] 12 Maii 1905. Dec. auth. n. 4158.

[3] Vicarii et Praefecti Apostolici (ex omnibus quinque formulis) facultatem obtinent, sine potestate subdelegandi eam, « Concedendi (tantum intra fines suae iurisdictionis) ut, a) expleto Divino Officio diei, (proinde completorio etiam ante meridiem), b) legitima (seu per leges ac disciplinam iuxta Doctores) concurrente causa, privatim (non choraliter) recitari possit (cum obligationis huius canonis adimplemento) *matutinum cum laudibus* diei sequentis, statim post meridiem » computandam ad normam can. 33, § 1 in fine. Concessio singulls danda potest esse ad tempus pro casibus forsan superventuris.

Preces, Sacrasve caeremonias docent simul ac praescribunt quae in cultu liturgico (seu stricte publico alias explicando) adhibendae sunt ».

Praecipui huiusmodi libri (ex Dec. S. R. Rit., 17 Maii 1911) sunt: a) *Breviarium Romanum*, b) *Missale Romanum;* hi duo cum mutationibus propter *Psalterium Breviarii Romani cum Ordinario Divini Officii* et *Novas Rubricas* ipsi adiectas ex Const. « Divino afflatu » et ob subsequentia S. C. Rituum Decreta. c) *Rituale Romanum*, d) *Pontificale Romanum*, e) *Martyrologium Romanum* et f) *Caeremoniale Episcoporum.* Canon dicens « secundum proprios et probatos liturgicos libros » se refert ad *Breviarium Romanum* cum praedictis mutationibus et ad *Horas diurnas* seu *Diurnale Romanum* ex Breviario excerptas. Illud uniuscuiusque recitantis « proprium » esse oportet, ad quod intelligendum cognoscenda omnino est Const. «Quod a nobis» Pii V[1] aientis: « Omni itaque alio usu (Breviarii) quibuslibet interdicto, hoc nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus et locis, etiam exemptis, in quibus officium (bene notetur) ex more et ritu dictae Rom. Ecclesiae (non ergo ritu orientali, vel mozarabico vel ambrosiano, quorum libri liturgici sunt proprii pro eorumdem rituum clericis) dici debet aut consuevit, salva praedicta institutione vel consuetudine praedictos ducentos annos superante (et en alius fons diversi proprii libri liturgici, unde Breviarium monasticum, Dominicanum, Carmelitanum, etc. pro clericis horum rituum), praecipimus observari. Statuentes... quoscumque qui horas canonicas, ex more et ritu ipsius Romanae Ecclesiae, dicere vel psallere debent, propositis poenis per canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac... ex huius Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri, neminemque ex iis... nisi hac sola formula satisfacere posse ». Et in § 5 « eisdem exceptis si forte hoc nostrum *Breviarium* magis placet, dummodo Episcopus (vel Regularis Superior competens) et universum Capitulum in eo consentiant, et in choro dicere et psallere possint permittimus ». Et hac in hypotesi eis factum est proprium « Breviarium Romanum ». - Additur in no-

[1] 9 Iulii 1568, § 7.

stro canone 135 « et probatos », ut innuatur formulam recitationis seu « Breviarium proprium » debere conformari editioni typicae vigenti nunc ac pro tempore.

De recitandi modo canon Codicis nihil explicite cavet. Igitur ad normam can. 6, 6° [1], cum recitatio horarum canonicarum sit oratio, debet fugere reprehensionem iuris divini : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me », et esse conformis Salvatoris sententiae : « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » (Io. IV, 24), atque sequenda regula Innoc. III (c. 9, tit. cit. Decretal.). Pontifex ille « districte praecipit in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote ». Iuxta Glossam et optime ; « Studiose : quantum ad officium oris, idest sine syncopa », et adderem cum diligentia humana orationi debita. « Devote : quantum ad officium cordis » [2].

73. **Habitus ecclesiasticus.** — Iam exponendus de obligationibus clericorum positivis ultimus *can. 136.* § 1 habet tres partes : I^a *Omnes clerici decentem* seu sum decore ac « proprio congruentem ordini » (ut ait Conc. Trid.) *habitum ecclesiasticum*, quatenus per illum a laicis discernuntur, *secundum* a) *legitimas* saltem ob temporis praescriptionem probatas quoad indumentum, distinctivum, capitisque forsan tegumentum, *locorum* diversorum *consuetudines et* b) *Ordinarii loci praescripta, deferant.* Unde sufficit habitus a laicali distinctus, et clericis proprius, cuius determinatio regenda est Episcopi ordinatione ac mandato, quod tacite habetur in consuetudine loci approbata. Concordatque substantialiter cum Conc. Trid. [3] verbis :

[1] Can. 6... 6° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

[2] In quatuor formulis (exclusa Form. prima) Vicarii ac Praefecti Apostolici augentur sine potestate subdelegandi facultate « Concedendi (tantum intra fines suae iurisdictionis) ut ob legitimam (seu in ecclesiastica disciplina sufficientem) gravemque rationem (v. gr. ad iuvamen missionarii in hac re multum scrupulis agitati, nimii laboris in exequutione ministerii, nec requiritur moralis impossibilitas, etc. quae a canonica obligatione excusaret) de qua (ratione iudicanda) eius (concedentis) conscientia oneratur (si deficiat, sed absque scrupulo ponderanda iuxta prudentiam), loco *Divini Officii* (iuxta canonem recitandi) rosarium (nempe tertia eius pars) vel aliae praeces (in gravi etiam minore quantitate) recitari possint » (singulis diebus).

[3] Cap. 6 De ref., sess. XIV.

« iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum », quod caput initio suo iuridicam rationem ac historicam refert canonicae praescriptionis, modo sequenti : « Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes *proprio congruentes ordini* semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inovelit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus » etc. - Secunda pars huius § talis est : *tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant*, scilicet : quamvis expresse non dicatur, consuetudinem faciunt legitimam, v. gr. in America Sept. et alibi, *gestent*. Et notetur exceptionem eisdem clericis suffragari, quando peregrinantur per loca diversorum morum, vel parvo tempore in eis commorari intendunt. - Demum tertia pars est absoluta : *et capillorum simplicem cultum adhibeant*, idest : modestiam in eo servent, non sequentes in hac parte quosdam laicos. - Excepta ultima parte religiosis etiam communi simul sum secunda, eisdem peculiaris quoad primam est norma in can. 596 posita. Circa hunc §m notanda immutatio disciplinae, quia omnibus clericis minorum ordinum ille fuit extensus [2].

In cap. 5 « de vita et honestate clericorum » (III, 1) legitur : « Clericus neque comam nutriat, neque barbam ». Porro in § praec. tantum de illa Codex ait explicite : « capillorum simplicem cultum adhibeat », hinc occasio controversiae inter canonistas, quae induxit S. Congr.m Concilii ad sequentem decisionem in una Wratislavien. et aliarum : « An Codice Juris canonici data sit quibuscumque clericis saecularibus libertas gestandi barbam, et respective, an Episcopis competat prohibitionem (in Statutis dioecesanis vel aliis legibus particularibus) vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis » ... « Porro... die

[2] Facultas quae in § 3 est Ordinariis implicite attributa pro clericis minorum ordinum, sic extenditur in quinque Formulis favore Vicariorum ac Praefectorum Apostolicorum. Eis concedit S. C. de P. Fide facultatem : « Permittendi suis (ob subiectionem) missionariis ut *vestes laicales* (contra hunc canonem) induere (etiam publice) possint (licite), si aliter (idest : servato saltem partialiter canone) a) vel transire (solum etiam per fines alterius iurisdictionis) ad loca eorum curae commissa, (non ad alia), b) vel in eis (taxative) commode (quod non exigit motivi gravitatem) permanere (quantum velint) non potuerint ».

10 Januarii 1920, precibus Emi. Episcopi Wratislavien. Emi. Patres rescribendum censuere: Negative ad primam partem; affirmative ad alteram »[1]. In Secretarii Congrs. animadversionibus conspici queunt resolutionis rationes iuridicae.

74. **Annuli prohibitio.** — § 2. *Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.* Hinc «leges liturgicae » de annuli usu in sacris functionibus « vim suam retinent » (can. 2) simul ac privilegia per S. Rit. Congr. concessa. Verba « a iure » Codicem designant, etsi privilegium exprimatur in eiusdem canone, alia vero « aut apostolico privilegio » intelligantur de concessione annuli per Sedem apostolicam, sive personae singulari per rescriptum, sive coetus cuiusdam personis ex Brevi, Motu proprio, etc. Qui § plenius tradit quod in cap. 15 de vita et honestate clericorum ita exprimebatur: « sed nec annulos (ferant), nisi quibus competit ex officio dignitatis ».

Annuli usus « a iure » concessus est, *a*) S. R. E. Cardinalibus etiam diaconalis ordinis, implicite sub n.° 13° can.is 239, itemque *b*) « Episcopi sive residentiales sive titulares (can. 349, § 1, 2°) ius habent deferendi insignia episcopalia (inter quae « annulus Pontificalis » enumeratur in Coerem. Episcoporum [2]) ad normam legum liturgicarum » scilicet: post consecrationem; *c*) « Abbas vel Praelatus *nullius*... annulum cum gemma potest etiam extra territorium deferre » (can. 325), imo et *d*)[3] « Abbates regulares de rigimine legitime electi... postquam benedictionem receperint », nam « fruuntur privilegiis de quibus in can. 325 (isto non) excepto ». Demum: *e*) « Ius est Doctoribus rite creatis deferendi, extra sacras functiones (quae clausula de supradictis non viget) annulum etiam cum gemma » (can. 1378). Apostolico privilegio est annuli usus concessus pluribus protonotariis aplcis [4], videlicet: « Protonotarii apostolici de numero Participantium habitu quotidiano incedentes... gestare poterunt annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus ». Protonotarii apostolici supranumerarii, atque ad instar, privilegia potiti solum-

[1] CO. XII, 44, 47.

[2] De consecratione electi in Episcopum. — [3] Can. 625.

[4] Pius X Motu pr. « Inter multiplices ». 21 Febr. 1905, n. 4, 27, 28, 31, 47, 49.

modo in sacra liturgia et quoad determinatas functiones pontificaliter celebrandas, utuntur annulo cum unica gemma, « non tamen Crucem pectoralem et annulum assument ad Missam lectam etiam cum aliqua solemnitate celebrandam », ut videri magis determinatum poterit citatis in locis.

Demum relicta Libro V Cod^is punitione clericis maiorum ordinum contra hunc canonem agentibus infligenda, haec habet § 3. *Clerici minores qui a) propria auctoritate*, non iussu illegitimo civilis auctoritatis, vel cum Ordinarii loci permissione, et *b) sine legitima causa* scilicet: vi can. 84, § 1 [1] proportionata; v. gr. quae habetur in c. 17 tit. cit. Decretalium: « nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari », vel ab Ordinario loci approbata. Ergo illi clerici, sub illis duabus conditionibus, qui *habitum ecclesiasticum et tonsuram* § 1, sed duo haec simul *dimiserint*, hoc posito et insuper *nec, ab Ordinario moniti* quamvis semel, *sese intra mensem emendaverint*, post diem calendarii eiusdem numeri ac ille in quo fuit monitio peracta transactum, *ipso iure e statu clericali decidunt*. Et hic est secundus casus descensus, quem invenimus. Unde propter hanc solam habitus ecclesiastici et tonsurae derelictionem adoptata est pro universa Ecclesia illa dispositio S. Congr. Imm. eccles. [2] quam AA. quidam probabiliter asserebant restringi ad Statum Pontificium pro quo data erat, aliis contradicentibus. En dispositio: « Pius PP. IX declaravit, Clericum in ss. ordinibus non constitutum, sive coelibem, sive matrimonio iunctum, cum, quod ea quae Sacrosanctum Conc. Trid. (sess. XXIII, cap. 6 de Ref.) disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendum esse destitutum, atque ipso iure et ipso facto destitui omnibus clericorum privilegiis,... quin iam nunc ac deinceps triplex admonitio, sive peculiaris declaratio, ipsum in hanc poenam incidisse opus sit ».

Can. 137. - A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario.

Can. 138. - Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant: indecoras artes ne exerceant; aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent; arma ne gestent, nisi quando iusta timendi causa subsit; venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant; tabernas aliaque simi-

[1] Can. 84, § 1. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore lata illicita et invalida est.

[2] 20 Sept. 1860, A. S. S. III, 433.

lia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur.

Can. 139. - § 1. Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.

§ 2. Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant; tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant.

§ 3. Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum; procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.

§ 4. Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est.

Can. 140. - Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.

Can. 141. - § 1. Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant.

§ 2. Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.

Can. 142. - Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

Can. 143. - Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant.

Can. 144. - Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam diocesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest, iusta de causa et naturali aequitate servata; et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex iusta causa eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit.

75. **Ordinatio praecedentium canonum.** — A can. 137 incipiunt prohibitiones a clericis servandae; memoriaeque iuvandae causa, consideremus eas successive ita dispositas esse: 1ª sub conditione « inconsulto loci Ordinario », 2ª de iis quae « statum clerici dedecent », 3ª de iis « quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt », 4ª in tres canones distincta circa oblectamenta quaedam, militiam, negotiationem, et 5ª in duos canones prohibitio, quae ordinata videri potest ad vigilantiam et promotionem omnium obligationum in hoc Titulo contentarum.

76. **Fideiussio prohibita.** — *Can. 137.* A *fideiubendo*, idest: a suscipienda in seipso securitate de alterius quoad solvendum debitum fidelitate erga tertiam personam, *etiam de bonis propriis*, nempe: ad illam obligandis, quae non sint ecclesiastica, proindeque inveniantur sub libera fideiubentis dispositione, *cleri-*

cus quicumque *prohibetur* (quando sit magna quantitas obligata) non absolute sed *inconsulto loci Ordinario*. Ut sic illud prudentius fiat. Proinde, quamvis non requiratur consensus Ordinarii, non est parvipendendum eius consilium necessario requirendum. Et quia de Ordinario loci loquitur, patet religiosos hoc canone non teneri, nisi quando omnino seu quoad omnia ab illo pendeant.

77. **Quae statum clericalem dedecent.** — *Can. 138. Clerici ab omnibus*, sive officiis sive actionibus tantum, *quae statum suum dedecent, prorsus abstineant:* haec est norma generalis atque absoluta, sed subiunguntur peculiaria de quibus erant expressae dispositiones in praec. iure. *Indecoras artes ne exerceant;* v. gr. tabernarii, actoris theatri, etc.; *aleatoriis ludis*, qui nempe fortuna potius quam arte reguntur, sed *pecunia exposita*, ne vacent, quamvis idem possit raro fieri licite, sicque moderata est in determinatione amplior dispositio [1]: « Clerici ad aleas et taxillos non ludant: nec huiusmodi ludis intersint ». Quod ultimum abrogatum est; ludi etenim moderati ni dedeceant, ad eutrapeliae virtutem pertinent. Sequitur: *arma ne gestent*, (quamvis omnibus licentiam potestatis civilis habentibus nunc ex legibus liceat), cum limitatione: *nisi quando iusta timendi causa subsit*, tunc enim non dedecet Christi ministrum. Venatio de qua statim, duplex ab Auctoribus distinguitur: simplex et clamorosa, quae ultima exercetur pluribus convenientibus et cum apparatu canum, equorum, etc.; his praesuppositis canon sequitur: *venationi ne indulgeant*, i. e. immoderate qualibet de causa. *clamorosam autem numquam exerceant* in eadem sumentes partem. Hoc iam innuebatur a Conc. Trid. [2] quando aiebat: « ab illicitisque venationibus... abstineant », unde probabilior sententia arguebat, aliquas venationes licitas esse, dummodo status clericalis decentia muniaque servarentur. Et rationabiliter, nam in c. 1 tit. 50 Decretal. legitur: « Canes et aves sequi ad venandum », atque subditur: « Ecce talia et his similia ministris altaris Domini, necnon et monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ». Proindeque omnes hi canones, exceptis can. 143, 144 debent a religiosis perfectius observari. -

[1] Cap. 15, tit. I., Lib. III Decretal.
[2] Cap. 12, sess. XXIV de Reform.

Prosequitur canon: *tabernas aliaque similia loca* v. gr. vulgo: Bar. café, restaurant, *sine* a) *necessitate aut* b) *alia iusta causa ab Ordinario loci probata* saltem tacite, vel si agitur de singulari tantum casu etiam praesumptive, atque probatio necessaria non est ad necessitatem extendenda. His deficientibus: *ne ingrediantur*, quod minus est quam in eis locis morari. Apte hodiernis moribus extensa est dispositio (cap. 15, tit. I Decretal.) « Et tabernas prorsus evitent clerici; nisi forte causa necessitatis in itinere constituti ». Admissa est igitur in canone interpretatio huius capitis extensiva a canonistis e. gr. Wernz proposita. Notare lubet: tamquam minus in maiori contentum adhuc vigere illud naturali lege vetitum [1]: « A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent et se vino ».

78. **Ab statu clericali aliena.** — Praescribit generaliter *can. 139*, § 1. *Ea etiam quae, licet non indecora*, de his enim in praec. can., *a clericali tamen statu aliena sunt* propter alias rationes, v. gr. ob impedimenta quae sacro afferunt ministerio multiplici ex causa, *vitent*. Postea distribuit ea in tres §§, eo quod ad quaedam necessarium est *apostolicum indultum*, ad altera *licentia proprii Ordinarii*, et ad alia sub distinctione unum vel aliud. - De prioribus agit § 2. *Sine apostolico indulto*, quod continetur in utraque formula tertia facultatum S. Congr. de Prop. Fide, a) *medicinam vel chirurgiam non exerceant*, etsi fiat extra medici vel chirurgi professionem, dummodo proprie dicatur exercere illas, quod non esset censeo, si quandoque ut amicus vel domesticus medicinam consuleret clericus aut parvam chirurgiae operationem perageret; b) *tabelliones seu publicos notarios*, sive in iudicio sive aliis in negotiis ad fidem faciendam, *nisi in Curia ecclesiastica*, seu « nisi » quando apud Ecclesiam iudicia vel negotia pertractantur, *ne agant*; c) *publica officia, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt*, v. gr. praefecturam urbis, reipublicae, caput municipii *ne assumant*. Quod verbum non includit huiusmodi officium alicui Sedi ecclesiasticae forte coniunctum. In iure praec. canonico vigebant hae prohibitiones saltem pro clericis maiorum ordinum; v. gr. de medicina ex Conc. Later. II, sub Innoc. II can. IX: « Ipsi quoque neglecta animarum cura,

[1] Cap. 14 de vita et honestate clericorum, III 1.

ordinis propositum nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum curatores se faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuntius; illa, de quibus loqui erubescit honestas, non debet religio pertractare. Ut ergo ordo monasticus et canonicus, Deo placens in sancto proposito inviolabiliter conservetur; ne hoc ulterius praesumatur, apostolica auctoritate interdicimus »; de chirurgia vero, sic legitur cap. 9 tit. L, in Decretalibus:... « nec ullam chirurgiae artem subdiac. diac. vel sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit... » et in cap. 19 de homicidio (V. 12) « de quodam monacho qui... ut chirurgicus cum ferro tumorem... aperuit », respondet Innoc. III « quod... ipse monachus multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat »; ac demum de officio antea dicto tabellionatus in cap. 8 cit. tit., de praedictis officiis publicis in capp. 4 et 5 (III, 50) Decretalium.

§ 3. *Sine licentia sui Ordinarii*, nempe: Ordinarii loci pro clericis saecularibus aut in communi viventibus sine votis et pro Religiosis non exemptis, Praelati vero regularis maioris pro exemptis. « Sine hac licentia », I° *ne ineant* a) *gestiones bonorum ad laicos pertinentium*, uti eorum procuratores, tutores, etc. b) *aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum* v. gr. praesidis, arcariive mensae argentariae, capsae parsimonialis, etiam quoad instituta opera in temporale fidelium auxilium. Quapropter moderata est quoad obtinendam veniam prohibitio huiusmodi facta per Dec. S. Congr. Cons. [1] in quo « Pius X... prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive saeculares, sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta, (quoad instituta... opera in temporale fidelium auxilium, prout in primis sunt arcae nummariae, mansae argentariae, rurales, parsimoniales), quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similium. Statuit itaque ac decernit... ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito Dec., nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere

[1] 18 Nov. 1910, CO. II, 1910.

queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus ». Idque confirmatur per declarationem authenticam Pont. Commiss. ad Codicis can. auth. interpretandos [1], quando ad dubium I, « utrum quoad licentias habendas, de quibus in Decr. " Docente Apostolo ", 11 Nov. 1910, recurrendum sit ad S. Sedem, an vero ad proprium Ordinarium; resp.: Ad Ordinarium proprium ».

Et de illis gestionibus bonorum sub littera *a*) sic interdictum erat [2] ab Eugenio Lucano Episcopo: « ne ministri laicorum fiant nec in rebus eorum procuratores existant. Quodsi... occasione ipsius administrationis propter pecuniariam causam deprehendantur in fraude, indignum est eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari ». Et in cit. Dec. S. C. Consist. dicitur: « constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia ». Sequitur in canone Codicis: II° *procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi* a) *in tribunali ecclesiastico*, in quo illa munia exercere libere possunt etiam sacerdotes, abrogata limitatione cap. 3 de postulando in Decretal. ubi dicit Glossa: « Postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum qui iurisdictioni praeest exponere, vel alterius desiderio contradicere ». Quod si fiat nomine alterius, quem repraesentat ex mandato legitimo, est proprium procuratoris munus, si vero fiat hunc vel principalem adiuvando in afferendis argumentis praesertim ex iure, officium est advocati. - De illo alterutro munere licite exercendo prosequitur cum limitatione canon: *aut* b) *in civili* tribunali *quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae*, sed non libere in necessitate pro personis coniunctis aut miserabilibus, orphanis et viduis, quemadmodum prius poterant [3]. Ultima prohibitio huius §[i] est: III° *in laicali iudicio criminali* non quocumque, sed *gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant* pro reo vel contra eum, *ne testimonium quidem sine necessitate ferentes*. Quae necessitas oriri posset ob iudicis praeceptum vel a legis coactione. Posset autem contingere magna utilitas testimonii pro reo, sed Ordinarii licentia requirenda esset.

[1] CO. X, 344, 2-3 Iun. 1918. — [2] C. 2 h. t. 50. Lib. III Decretal.
[3] Ex cap. 1, 3 de postulando, et cap. 1 h. t. 50 L. III Decretal.

Denique postremus est § 4. *Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos ultimos deputatos vocant, munus* a) *ne sollicitent*, se proponentes electionibus, aut regiam nominationem quaerentes, b) *neve acceptent* etiam sponte collatum « munus » ab aliis, qualitercumque, (atque notentur verba praedicta, quia non verificantur de tali numere Sedi coniuncto). I° *sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia*, scilicet ipsius Apostolicae Sedis *prohibitio* quoad hos vel illos clericos vel in genere pro catholicis *intercesserit*, sive in praesens existat, sive in posterum fiat; II° *idem ne attentent* i. e. sollicitare aut acceptare illud munus *aliis in locis sine licentia* duplici, a) *tum sui Ordinarii*, cui subiiciuntur, b) *tum Ordinarii loci* forsitan diversi *in quo electio facienda est*. Et liquet textus intelligendus salvis Concordatis vigentibus. Animadvertatur nos intellexisse clausulas: *sine apostolico indulto* in § 2° et *sine licentia sui Ordinarii* in § 3° afficere non tantum primam, verum etiam sequentes prohibitiones uniuscuiusque §: et ad hoc movemur, tum ex symmetria horum duorum cum § 4° in quo de alterutra licentia cavetur distinctione adiuncta, tum quia si Codex voluisset ad primam prohibitionem coarctare conditionem, potuisset facile idipsum patefacere interserendo primae alterutrius § prohibitioni clausulas praedictas, ut alibi fecit, et hic se abstinuit.

79. **Oblectamenta prohibita clericis.** — Consequenter considerandum est de oblectamentis prohibitis duplici ex motivo, atque propterea non de omnibus. Ait enim *can. 140. Spectaculis* v. gr. agitationi taurorum, cursui equorum, comoediis, iuxta illud Conc. Laodicen.: « Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, quae aut in nuptiis, aut scenis exhibentur, interesse » [1], *choreis* v. gr. tempore ante quadragesimam, nuptiarum occasione, sicut scriptum est ex conc. Agathensi : [2] « quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; nec his coetibus misceantur, ubi amatoria cantantur, etc. ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur », *et pompis* v. gr. funebribus ministri seu magnatis ex duello mortui, quando huiusmodi sunt, a) *quae eos dedecent*, v. gr. supradicta agitatio taurorum, choreae nuptia-

[1] Cap. 37, D. V. de cons. — [2] Cap. 19, D. XXXIV.

rum. b) *vel quibus clericos interesse scandalum sit* ex. gr. praedictis funebribus pompis: additum autem est: *praesertim in publicis theatris*, quia perraro una ex praefatis causis non aderit, *ne intersint*, sive partes agant, sive spectatores se sistant. Unde cinematographa et comoediae nonnullae, v. gr. quae publico patent, fere numquam adiri queunt: nisi nominatim clericis destinata vel in ecclesiasticis collegiis exercita, praecipue circa religiosum aut patriae obiectum.

Exemplum huius prohibitionis practicum nobis offert Dec. S. Congr. Consist. [1]: « Emi Patres, probante Bened. PP. XV, decreverunt sacerdotes quoslibet sive saeculares sive regulares aliosque clericos prorsus prohiberi, quominus memoratas in Dec. choreas promoveant et foveant, etiamsi in piorum operum levamen et subsidium, vel ad alium quemlibet pium finem: et insuper clericos omnes vetari, quominus hisce choreis intersint, si forte a laicis viris promoveantur ». Cuius Dec. declaratio fuit ab eadem Congr. data [2]: « Utrum choreae, de quibus supra, licitae aliquando sint, seu in reprobatione non comprehendantur, si fiant diurnis horis, aut primis tantum noctis horis, nec nimium protrahantur, vel etiam si fiant sine conviviis aut ea methodo quae vulgo appellari solet Pic-nic ». Sacra Congr... respondendum censuit: « In reprobatione comprehendi ».

Nostris moribus deficiens invenitur praecedens ius scriptum; v. gr. (in c. 15, h. t. 1, Lib. III Decretal.): « non intendant mimis, ioculatoribus et histrionibus », ac in c. 12 eiusdem tit. gravioribus reprobatur verbis extirpandumque ab Episcopo dicitur tanquam corruptela, quod « in aliquibus festivitatibus Diaconi, Presbyteri ac Subdiaconi insaniae suae ludibria exercere praesumunt ».

80. **Militiae exercitium voluntarium.** — Cum leges civiles hodie sint immunitati clericorum infensae, cavet *can. 141*, § 1. *Saecularem militiam*, prouti huic opponitur « militans Deo », iuxta illud ex Conc. Meldensi [3] « quia non possunt simul Deo et saeculo militare ». I° *ne capessant voluntarii*, « tamquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticae sanctitatis profanatores » (loc. prox cit.), quando nempe non coguntur lege, atque sub quocumque praetextu illud fiat, unicâ seq. exceptione

[1] 31 Martii 1916, CO. VIII, 148. — [2] 10 Dec. 1917, CO. X 17.
[3] Cap. 6, caus. XXIII, q. VIII.

admissa, *nisi* a) *cum sui Ordinarii licentia* quoad modum, et quoad motivum b) *ut citius liberi evadant* a servitio militari iuxta praefatas leges *id fecerint*. Verbum « volontarii » huic canoni prohibitorio insertum subaudit posse clericos, legis necessitate cogente, saecularia vexilla sequi, non obstante immunitatis privilegio, cuius exercitium Ecclesia cedit ad maiora mala vitanda. - Conforme statutae sanctioni Leonis XIII in Dec. S. C. C. « In perturbationibus » [1] est sequens vetitum canonis huius: II° *néve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus*, quae nostro tempore tam facile accidunt, *opem quoquo modo ferant*. Quae prohibitio late patet, quamvis nec dent nomen militiae. - Huius vetandae perturbationis causa, S. Congr. de Prop. Fide in eius Instructione (23 Nov. 1845, n. 7) [2] haec iniunxit: « Quod in praedicta const. « Sacrosancti Apostolatus officii » Alex. VII olim monuit Indorum parochos, *ut caverent ullo sese modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem;* quodque pluribus verbis S. Congr. in sua ad Vicarios Aplcos. apud Sinas instructione commendavit; id graviores nunc ob causas monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes, saecularibus atque politicis se negotiis immisceant, studiove partium, atque nationum scindantur: sic enim et ab evangelicis regulis discederent, et propriam vocationem pessundarent, et se fortasse ac religionem in discrimina multa coniicerent ».

Remissa sanctione cit[i]. Dec[i]., quae adhuc servatur, ad Lib. V. Codicis, addit § 2. *Clericus minor*, seu nundum in sacris, *qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit*, atque tunc solum *ipso iure e statu clericali decidit*. Et est tertius in h. tit. casus.

Sacra Congr. Consistorialis die 4 Nov. 1918 dedit Decretum « De clericis e militia redeuntibus » scitu necessarium Ordinariis locorum et maioribus religiosorum Superioribus, quoad modum se gerendi cum opportunis facultatibus erga sacerdotes, clericos ac religiosos belli causa cessantis redeuntes. Publicatum est in Comm. officiali Vol. X, pagg. 481-486, atque continet praescriptiones cum aliis ss. canonibus connexas, v. gr. 188, 647-653, 983-991.

[1] 12 Iul. 1900.

[2] Collect. S. C. de P. F. n. 1002.

81. **Negotiatio et mercatura.** — Iam de negotiatione tractare oportet, quae, sicut et mercatura, in canone 142 est accipienda « secundum propriam verborum significationem » ad normam can. 18 « in textu et contextu consideratam ». Proprie igitur negotiatio est: « emptio rerum ac, nulla in eis mutatione facta, subsequens earundem venditio lucri causâ », quapropter vocatur negotiatio lucrativa. Et distinguitur a negotiatione oeconomica et politica, sic vocatis quia[1] « congregatio hominum duplex est: scilicet oeconomica sicut eorum qui de una familia sunt (v. gr. in domo religiosa), et politica, sicut illorum qui sunt de uno populo », (v. gr. in dioecesi vel quoad rem nostram inhabitantes missionis territorium). Unde negotiatio dicitur oeconomica, quando « res emptae pro familia vel pro simili communitate postea, cum superfluant qualibet ex causa, ne pereant, venduntur pretio forsitan maiori, et consequenter cum lucro ». In ea posset fieri negotiatio palliata, si ille qui praedictae curam communitatis gerit, ultra prudentem necessitatem res emeret, ut datâ occasione earum partem carius cum lucro venderet. - Negotiatio vero politica exercetur ab eis, qui, ut necessitatibus populi provideant, in magna quantitate emunt annonam, ut forsitan per alios vendant singulis de populo, sic captando maius vel minus lucrum utique iustum.

Negotiatio proprie dicta invenitur quoad rem etiam in artificio vel industria, quandocumque res emptae immutantur opera famulorum seu operariorum mercedê conductorum. In hoc enim casu, res atque immutatio ipsa sunt emptae, atque sine alia immutatione per ipsum emptorem facta, venduntur lucri causâ. Nihil ergo deest substantiale negotiationis vetitae, unde est quaedam negotiatio palliata. Proprie tamen non vocatur negotiatio, sed artificium vel industria. Quamvis revera canon iste illam non prohibeat, cadit sub can. 138 vel 139 in alterutrius generali clausula. Aliud esset, si quis per alios immutet res ad seipsum pertinentes, veluti fructus agrorum patrimonii, vel beneficii etc. aut si res emerit hoc fine atque facto, ut eas per proprium laborem mutatas vendat, ex. gr. picturam telae dans, exinde lucrum non modicum capiens. - His praehabitis procedamus ad interpretationem *can. 142. Prohibentur clerici per*

[1] D. Th. Suppl. q. XXVI, a. 1, c.

se, quamvis de aliorum bonis vel instituti, vel beneficii, *vel per alios*, etsi de bonis propriis aut alienis, eius tamen administrationi commissis, *negotiationem aut mercaturam exercere*, notetur hoc verbum designans partem habere in actu negotiationis aut mercaturae, non influxum remotum v. gr. mutuare pecuniam negotiatoribus sicut alii personae. Negotiatio accipiatur secundum propriam significationem prius definitam, etiam illa quam diximus palliatam; nec putamus nunc licitam, quae politica negotiatio audit, quia proprie talis nuncupatur, quamvis non tam dedeceat clericos, quia aliorum necessitatis causâ exercetur, atque si non propter hunc canonem, vetita erit saltem, quando incidat sub can. 139, § 1. - Nec valent excusationes quae a clerico possent afferri de consanguineorum necessitate quibus ille sic subveniat, de negotiatione sibi delata per haereditatem etc.; eo quod canon prohibitionem sustinet: *sive in propriam sive in aliorum utilitatem* fiat « negotiatio vel mercatura ». Haec duo verba eumdem actum antea definitum significant, solummodo accidentaliter differentem aut ratione loci ubi fit v. gr. mercatura in nundinis, in locô vulgo borsa, dum negotiatio etiam privatim; aut ex quantitate qualitateve obiecti commercii, et si ex qua alia circumstantia.

Severior erat saltem quoad sanctionem disciplina Codicem praecedens, quae continetur in Epistola « Cum primum » Clementis XIII, in Const. « Apostolicae » Bened. XIV[1]: atque de mercatura peculiariter vetita in Indiis Orientalibus, hoc est: in India, in Sinarum Imperio et Iaponico, etc. atque in America universa, extat Const. « Sollicitudo » Clem. IX, ibique altera inseritur Urbani VIII « Ex debito »[2], quarum censurae ob declarationem C. S. Officii (4 Dec. 1872) usque ad Codicis vigorem vim suam retinuerunt, in quo tamen omissae sunt. De hac disciplina utilem unum alterumve textum seligam.

De negotiatione proprie dicta loquitur Innoc. III in cap. VI. h. t. (III. 50) dicens: « Secundum instituta praecedessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel Clerici causa lucri negotientur »... - Rationes huius prohibitionis nobis exhibentur a Clem. XIII (in Epist. « Cum primum » cit. § 1) his verbis:... « quoniam avaritia, habendique

[1] 17 Sept. 1759, 25 Febr. 1741. — [2] 17 Iun. 1669, 22 Febr. 1633.

cupiditas malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si clericos... in atrociora crimina non abripiat.... propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat,... mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice addixerunt, (in susceptione primae tonsurae)... Hinc etiam litigiosi necessario fiunt... Hinc se ad abiecta quaelibet officia et ministeria,... demittere non erubescunt. Quo fit ut laicorum plerique, non ipsos dumtaxat,... sed saepe etiam universum Ecclesiasticorum coetum contemnat; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum... contentiones... sustinere coacti sunt, vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media, per quae sustentationi consulere potuissent ».

Quapropter bene ait S. Pontifex (§ 4) contrarius quilibet usus, stylus aut consuetudo « corruptelae potius et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate appellari debent »... et « veluti damnabiles abusus, et imprescriptibiles corruptelas,... damnat... et viribus omnibus vacuat ».

Et (in § 6) denunciat tres excusationes clericorum negotiatorum. 1ª « Modo enim, interposita alterius cupiditati inservientis persona, aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem... ad se nequaquam pertinere contendunt. 2ª Modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur,.. (aiunt).. non se turpi cupiditate adductos ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. 3ª Aliquando etiam non sua, sed... necessitudinis vinculo sibi coniunctorum bona negotiationibus implicita ad eorum sustentationem ex charitatis officio, et directionis titulo, procurare se praedicabunt ».

Sed prima excusatio iam exclusa fuerat per Benedictum XIV, (C. « Apostolicae » cit.) [1] qui « Praedecessorum Suorum... Constitutiones... contra quoscumque Clericos... illicite negotiantes editas... Motu proprio... confirmatas... cum omnibus... poenis in eis... contentis, ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent,... illorumque...

[1] 25 Febr. 1741, § 1.

singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub inevitabili spolii poena ad formam C. f. r. Pii PP. IV... « Decens esse »... subiecta esse vult et declarat ». - Circa secundam excusationem monet Clemens XIII episcopos (§ 7) « non omnino impossibile... occultum crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur clericorum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt »... - Et Benedictus XIV (loc cit., § 2) decernit « quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis,... a laica persona inchoatum, et ad eosdem Clericos, sive haereditario iure, aut quocumque alio titulo, et quomodolibet delatum fuerit,... illud statim dimittere teneantur. Si vero... sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam insulasque adiacentes existat Clericus, a S. Conc. Congr., si vero extra Italiam ab ead. Congr. vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim quod... a laico administretur, impetrare teneatur; dictaque Congr., aut Ordinarius... perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum praescribat; et si clericus conditionem unam vel alteram non servet aut licentiam non obtineat,... pro negotiatore illicito haberi,.. poenisque... subiectum esse,... vult et definit ». Ordinariorum illa potestas nunc eis est adempta; idemque asserendum de seq. const.

Denique Clem. XIII (loc. cit., § 10) ait: « Si Ecclesiasticorum quispiam,... necessitatem proferat indigentiae... personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur; primum... decernimus, huiusmodi excusationem a Superiore eccles. nequaquam admitti,.. nisi doceat (Clericus) se... praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adiacentes existat, si vero in remotioribus... versetur, saltem Ordinario loci exposuisse... et facultatem praedictas personas industria sua iuvandi... respective... impetrasse ».

(§ 11) « Deinde, pro eo quod pertinet ad Rom. Curiae officia, vult Pontifex, ut huiusmodi... facultates numquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu... indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, iusta moderatione servata, et intra veram indigentiae mensuram, pau-

peribus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii... in huiusmodi... facultatibus concedendis observare debebunt... (§ 12). Ceterum facultates ipsas,... pro irritis et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae coniunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat occasio iisdem opportune prospiciendi... ». - Quoad dubia de contractibus negotiationis (§ 8) « ... Si quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in Dioecesi ab ecclesiasticis iniri soleat,... ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad Aplcam. Sedem, quae... quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet... ». Praeterea (§ 9) « declarat ac definit (Clemens XIII) cambium activum, natura sua, esse actum verae et propriae negotiationis; ideoque ecclesiasticis omnibus vetitum » nempe: quodcumque cambium cum lucro, quia vera negotiatio pecuniae.

82. **Licentia abessendi a dioecesi.** — Perpendamus duos huius Tituli canones postremos; videlicet: primo *can. 143. Clerici*, et hi tantum, non religiosi, *licet beneficium aut officium residentiale non habeant*, propter quod abesse prohiberentur, *a sua tamen dioecesi* nempe: incardinationis *per notabile tempus* iudicio prudentum v. gr. per duos menses, *sine licentia saltem praesumpta* propter absentiae causam vel circumstantias (unde verbis aut scripto expressa vel tacita factis, etc. necessaria non est semper illa « licentia ») *Ordinarii proprii* dioecesis praedictae sine qua *ne discedant*.

Peculiaris lex de clericis trans Oceanum migrantibus, vocatur ibidem expresse Dec. S. Congr. Consist « Magni semper negotii » (1) quae « coordinata Codici canonici iuris » tunc iam publicato non cadit sub can. 6° « leges abrogante » in n. 1° vel dicente in n. 6° « quasdam vim suam amisisse ». In istius Decreti fine clausula est inserta: « ceteris praescriptionibus, quae in decreto *Ethnographica studia* (2), continentur, cessantibus », quapropter est illud unice vigens, « integra lege SS. Congr. de Prop. Fide et pro negotiis Orientalis ritus circa sacerdotum huius ritus migrationem ». Rationes harum Decreti praescriptionum inveniuntur in Dec. « Ethnographica » initio: « Tam late enim eae patent dioeceses ferme omnes..... usque ad..... ii ministri efficiantur erroris et impietatis ». Decretum in tria Capita est distributum: I « pro sacerdotibus ad longum vel indefinitum tempus aut in perpetuum ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas philippinas migraturis »: capite II comprehenduntur « clerici saeculares, qui, ut supra quoad

[1] 30 Dec. 1918, C. O. XI, 38.
[2] 25 Mart. 1914, C. O. VI, 182.

loca, ad breve tempus, semestre non excedens, pergere cupiunt». In I vero ac. II capite legitur: «Religiosi exclaustrati, durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati eadem tenentur lege ac clerici saeculares». Imo caput III statuit: «15. Leges de sacerdotibus migrantibus eos quoque attingant sacerdotes, qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta (ut loco ad quem proficiscantur) agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis Operibus, quae in migrantium commodum instituta sunt».

Atque additur sanctio in postremo Decreti numero «16. Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque (unde «quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit subsequenti poena») demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incident; a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione».

Summa praescriptionum ad rem ex primo capite, sunt: «1. fas esto Episcopis, non vero Vicariis generalibus aut Capitularibus litteras discessoriales concedere quinque servatis conditionibus»: *a*) *b*) *c*) quod «sacerdotes cleri saecularis ex canonico titulo sint sibi proprii, saltem per aliquot annos dioecesi deservierint, quo durante ac antea in Seminario intemeratae vitae certum argumentum praestiterint, et sufficienti scientia sint instructi, adeo ut solidam spem praebeant» pro tempore futuro; *d*) «dummodo ad migrandum iustam habeant causam, e. g. desiderium se addicendi spirituali adsistentiae suorum concivium (emigratorum) vel aliorum (propriae vel cognitae linguae) illic commorantium (cum penuria cleri), necessitatem valetudinis curandae (illo in loco ad quem proficiscitur), vel aliud simile motivum», sicut ad can. 116 explicatum est in casu excardinationis, pro qua deserviunt quoque haec exempla. Quinta conditio multiplex «sub gravi ab utroque Ordinario servanda» nempe: loci a quo et loci ad quem est sequens: *e*) ««ut episcopus dimittens.... directe pertractet cum episcopo ad quem illumque de qualitatibus ac migrandi motivis (ut supra litt. *c*) et *d*) doceat, ab eoque requirat an dispositus sit ad illum acceptandum et ad aliquod sacrum ministerium (ad normam Dec.) eidem tribuendum;.... neque licentiam et discessoriales litteras antea concedat quam responsionem ad utrunque affirmativam assecutus sit». Huic correlativa obligatio est ut «Episcopus ad quem emigraturum sacerdotem non acceptet, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiae id saltem suadeat, aut alia iusta et rationabilis causa».

«Discessoriales litterae specifica forma conficiendae sunt (ut ibi explicatur), aliter autem confectae nullae sint et habeantur». Loco earum «peractis (ab Episcopo Italiae quocumque iis quae praevia sunt), rem deferet (hic) ad S. Congr.m Consist.m, quae licentiam scripto dabit (Sacerdoti) cum utroque Ordinario communicandam. Idemque statuitur pro Episcopis Hispaniae et Lusitaniae, sed onus licentiam concedendi reservatur Apicae. Sedis apud eas nationes Legato».

Praedicti «Sacerdotes ex una in aliam Americae et insularum Philippinarum diocesim transire poterunt, servatis (per utrumque Episcopum) in substantialibus normis sub num. 1 et 2 positis, et docto quamprimum Ordinario Sacerdotis proprio, vel S. Sedis Officio a quo prima demigrandi licentia promanavit. Haec vero obligatio spectabit ad Episcopum qui sacerdotem (de novo) recipit».

Caput II respicit eosdem ac supra, etsi non sacerdotes, «qui ad breve tempus, semestre non excedens», (computandum equidem propter can. 34 § 3, 1°, prout «menses sunt in Calendario) ad praedictas regiones «pergere cupiunt, acceptatione non indigent Ordinarii» illorum locorum. «Sed debent *a*) iustam honestamve causam itineris suscipiendi habere ac patefacere ut discessoriales litteras Ordinarii sui im-

petrare valeant, *b)* in forma specifica (ut supra, ibidemque) causa temporarii itineris et spatio temporis indicatis » ac *c)* « reportare S. Sedis beneplacitum dandum a S. Congr. Consist. vel ab Aplcae Sedis Legatis » locorum e quibus discedunt; « nisi urgens aliqua causa discessum absque mora exigat, in casu in litteris discessorialibus id exprimendo ». Demum cavetur « in quolibet casu » de modo providendi necessario pecuniae summam etiam pro regressu. De hoc est num. « 14. Expirato spatio temporanei indulti, si quis ex infirmitate aut alia iusta vel necessaria causa (v. gr. periculum speciale, grave damnum ex pecuniae cambio) redire non valeat, Ordinarius loci (ad quem profectus est) licentiam prorogare poterit, docto tamen statim Ordinario sacerdotis proprio (ergo de sacerdotibus solum hic num. intelligatur) et S. Sedis officio (sic vocantur quoque ut supra delegationes), a quo beneplacitum discessus datum fuit ».

83. **Revocatio vel remissio.** — De his autem qui non contravenientes praec. canoni discedunt, subditur *can. 144. Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit*, attamen *suae dioecesi manens incardinatus*, quod verum est etiam de illo qui excardinationis litteras obtinuit, usquequo incardinatio alibi fuerit sequuta iuxta can. 116, *revocari potest* ab huius diocesis incardinationis permanentis Ordinario, quandocumque nempe, a) *sed iusta de causa* sive ex parte clerici data, sive ex dioecesi petita, sive ab Ordinario habita, quin necesse habeat eam determinate pandere clerico, *et* praeterea b) *naturali aequitate servata*, quae forsitan impedit, ne clericus possit absque gravi incommodo et causae proportionato in dioecesim remeare. Sic porro quoad incardinationis dioecesim, sed dioecesis ubi commoratur erat etiam consideranda, de qua est istud: *et etiam Ordinarius alienae dioecesis*, quatenus in hac non est incardinatus, *potest ex iusta causa*, non ex arbitrio a quo ecclesiasticum ius abhorret, *eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio*, qua potestate volens Episcopus se privare potest, ut colligitur ex postremis canonis verbis: *nisi beneficium eidem contulerit*, ac de quolibet intelligendum est beneficio, cuius natura in III libro traditur.

TITULUS IV.

De officiis ecclesiasticis.

CAN. 145 - § 1. Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive iurisdictionis.

§ 2. In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliudex contextu sermonis appareat.

CAN. 146. - De beneficialibus officiis in specie, praeter canones qui sequuntur, custodiantur insuper praescripta can. 1409 seqq.

84. **Connexio tituli et inscriptio.** — Cum ex can. 118 « Soli clerici possint potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae obtinere », priusquam Codex loquatur de clericatus amissione tradens modos quibus fieri possit, apte inserit *Titulum IV. De officiis ecclesiasticis* praedictas potestates secum habentibus, quae hac de causa exclusive a clericis possideri queunt. Officium videtur esse dictum ab efficiendo, et sicut officia, prout opponuntur iuribus, designant obligationes multoties ac veluti habitualiter adimplendas, ita qui munus accipit ad actus quosdam habitualiter efficiendos, dicitur habere officium hoc vel illud; atque si stabiliter ad societatis utilitatem sit iure constitutum vocatur officium publicum. Inscriptio ergo illa est de muneribus in Ecclesia iure constitutis ac in eius utilitatem. Huic notioni alteram accuratiorem connectit Codex, officii ecclesiastici definitionem dans in seq. canone.

85. **Officii ecclesiastici notio.** — *Can. 145. Officium ecclesiasticum lato sensu*, seu significatione sub se diversitates officiorum complectente, *est quodlibet munus quod in spiritualem finem* Ecclesiae proprium *legitime exercetur* i. e. ad ss. canonum norman; *stricto autem sensu*, qui excludit quaedam munera antedicta propter determinationem, *est munus ordinatione sive divina*, v. gr. Episcopatus, *sive ecclesiastica*, v. gr. Praelatura regularis, *stabiliter constitutum*, non temporaliter duraturum, *ad normam ss. canonum conferendum*, quo distinguitur v. gr. a cappellaniis, *aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis.* Quatuor ergo sunt officii ecclesiastici proprie dicti elementa, nempe: « institutio » eius divina vel saltem ecclesiastica, non civilis, « stabilitas » obiectiva seu officii, etsi non subiectiva quatenus concedatur ad nutum, « moderatio canonica » collationis officii, et « potestas ecclesiastica » qua polleat.

Valde pro Codicis interpretatione dignus est animadversione § 2. *In iure*, proinde in legibus etiam futuris, *officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu*, nec veniunt officia ecclesiastica quibus unum alterumve desit elementum, *nisi aliud ex contextu sermonis appareat*, equidem cum certitudine.

86. **De beneficialibus officiis.** — Sed quia, ut videbimus, beneficia ecclesiastica superaddunt officiis aliud elementum, cavet opportune *can. 146. De beneficialibus officiis in specie*

nempe: pro ipsis specialiter seu solummodo, *praeter canones qui sequuntur*, atque illis sunt applicandi, *custodiantur insuper praescripta can. 1409 seqq.*, lib. III sub titulo XXV « de beneficiis ecclesiasticis ».

CAPUT I.

De provisione officiorum ecclesiasticorum.

CAN. 147. - § 1. Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri.

§ 2. Nomine *canonicae provisionis* venit concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.

CAN. 148. - § 1. Provisio officii ecclesiastici fit vel per liberam collationem a legitimo Superiore, vel per eius institutionem, si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio, vel per eius confirmationem aut admissionem, si praecesserit electio aut postulatio, vel tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

§ 2. De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta can. 1448-1471.

CAN. 149. - Electi, postulati, praesentati vel nominati a quibusvis personis ad ecclesiastica officia ne confirmentur, admittantur, instituantur a Superiore infra Romanum Pontificem, nisi antea fuerint a proprio Ordinario idonei reperti, etiam per examen, si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum iudicaverit.

CAN. 150. - § 1. Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 183, § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.

§ 2. Nec promissio eiusdem officii, quicumque illud promiserit, ullum parit iuridicum effectum.

CAN. 151. - Officium de iure vacans quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secumdum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

87. **Inscriptio capitis ac eius canones.** — Quoad titulum praesentem attinet, supposita officiorum ecclesiasticorum constitutione singulorum, quae proinde in altera Sectione huius Primae Partis locum sibi postulat, nunc agere oportet de normis generalibus iuxta quas sunt dicta officia conferenda, et ecce Caput I. - *De provisione officiorum ecclesiasticorum*, cuius inscriptionis explicationem continet can. 147, eiusque diversos modos exhibet can. 148, de praevia idoneitatis cognitione agit can. 149, subsequentibus duobus aliis can. 150, 151 circa necessariam officii vacationem, ut hoc rite provideatur.

88. **De provisione canonica.** — Inscriptionis capitis primum verbum explicaturus *can. 147*, eam provisionem debere esse canonicam dicit § *1. Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri:* immutatis opportune verbis

sed retento ampliatoque principio reg. iuris 1 in 6°: « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri ». Quae de provisionis eius validitate recte interpretabatur. Ratio § est quia officium in Ecclesiae potestate situm est propter institutionem illiusque scopum; nemo ergo potest illud sibi attribuere, domino non consentiente, quam attributionem Ecclesia facit provisione canonica. Nam ipsam definiens ait § 2. *Nomine canonicae provisionis venit* a) *concessio* idest donatio in titulum, tanquam rei ad donatarium recipientem pro tempore ad summum quo vivat pertinentis b) *officii ecclesiastici* iam ideo instituti atque stricto sensu c) *a competente* iuxta officiorum diversitatem, quia [1] « licet ecclesiarum, personatuum dignitatum aliorumque beneficiorum (indeque officiorum ecclesiasticorum) plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere » ob Ecclesiae constitutionem vere monarchicam, attamen per ss. canones distribuitur competentia circa officiorum concessionem ab *auctoritate*, seu Superiore qui potiatur iurisdictione *ecclesiastica*, non autem ab auctoritate civili, « cum laici non possint in alios nisi ius, quod habent, transferre, (propter quod) huiusmodi concessiones ab eis irritas penitus esse (verissime) censet » Alex. III [2]. Ultimo d) *ad normam sacrorum canonum facta*, et propter hoc utimum provisio est dicta « canonica ». Hunc canonem firmat alius dogmaticus Conc. Trid. [3]: « Si quis dixerit.... eos qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati (hoc praerequiritur), nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros, anathema sit » [4].

89. **Provisionis canonicae divisio.** — Provisio haec supponit logice providendae personae designationem, quae occasionem offert provisionis divisionis, quam exponit *can. 148*, § 1. *Provisio officii ecclesiastici fit* I° *vel per liberam collationem a legitimo Superiore*, quando hic nullius personae iure coarctatur in designanda persona providenda, II° *vel per eius* Superioris

[1] Cap. 2 de praeb., (III, 4) in 6°. — [2] Cap. 11 De iure patronatus, tit. 38, Lib. III.

[3] Can. VII, de sacr. ordinis, sess. XXIII.

[4] Expositio historica legislationis de provisione canonica videri potest apud Wernz: Jus Decretalium, Tom. II, num. 288-290. In eodem quoque notae historicae aliorum institutorum canonicorum, cum nobis nec locus nec tempus ad id ipsum suppetat.

institutionem, quae appellatur a canonistis « collativa tituli », *si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio* clerici providendi, et quae ad invicem differunt, quatenus illa profluit ex iure patronatus et haec ex apostolico privilegio forsitan in Concordatis expresso; III° *vel per eius* Praelati *confirmationem aut admissionem, si praecesserit electio aut postulatio*, quarum prima confirmatur electus et secunda admittitur postulatus ad assequendum officium ecclesiasticum; IV° *vel tandem per simplicem electionem et electi acceptationem*, tanquam sub conditionibus a iure requisitis, *si electio non egeat confirmatione*, sicut in electionibus Romani Pontificis et supremi Superioris regularium. Patet verba liberae collationis, institutionis, confirmationis admissionisque, designare « concessionem officii ecclesiastici a legitimo superiore », diversam tamen respectu personae clerici cui fit, et ultimum modum esse officii ecclesiastici concessionem a iure absque Superioris interventu. - Hic postremus providendi modus simul tractari potest cum electione in tertio loco posita, quam continet ille cum necessaria semper acceptatione; de primo autem, sc. de libera collatione ac de duobus membris tertii, h. e. de electione ac postulatione, singuli articuli sunt in hoc Codicis capite, cum circa institutionem moneat § 2. *De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta can. 1448-1471;* cap.[is] nempe IV « De iure patronatus » in III Libro, Tit. XXV. Quaeri potest num hi canones vigore paragraphi praecedentis amplientur ad institutionem nominati ex privilegio apostolico. - Equidem si hoc in Concordatis inclusum sit, salva manet conventio ex can. 3, aut alias tenor privilegii aplici. ad normam can. 4, servato in utroque casu de quibus loquitur can.[e] 1471 [1]; ceteri non ampliantur, cum solummodo « serventur eorum praescripta » in hoc § dicatur, nec praescripta illa praeter dictam exceptionem loquuntur, nisi de institutione praesentati a patrono.

Antequam Codex art. I[m] incipiat, tres alios canones proponit primum fere omnibus et duos seqq. cuilibet provisioni canonicae communes.

[1] Can. 1471. - Si cui Sedes Apostolica sive in concordatis sive extra concordata indultum concesserit praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, non inde ius patronatus oritur, et privilegium praesentationis strictam interpretationem pati oportet ex tenore indulti.

90. **Idoneitatis providendi examen:** — *Can. 149*. a) *Electi* ad normam seq. art.[i] II[i] propter ss. canonum praescriptum. b) *postulati* ad normam art.[i] III[i] ab his qui praefatum eligendi ius possident, c) *praesentati* ob patronatus ius ex lege *vel nominati* propter ius ex privilegio apostolico derivatum *a quibusvis personis* etiam laicis, quibus competere potest praesentationem vel nominationem facere, dum canonica electio vel postulatio est collegii ecclesiastici propria. *ad ecclesiastica officia* stricto sensu. *ne* a) *confirmentur*, b) *admittantur* c) *instituantur* respective declarati supra *a Superiore* quocumque iurisdictionem sic exercente *infra Romanum Pontificem* ab hoc exclusum canonis praescripto, *nisi antea fuerint a proprio Ordinario* « vel loci vel maiore in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198). *idonei* propter qualitates proportionatas, quae pertineant ad officium de cuius provisione agitur. *reperti* secundum modum sibi benevisum, nam pro triplici additur hypothesi: *etiam per examen* I[a] *si id ius* scriptum sive generale sive particulare aut consuetudinarium, II[a] *vel officii ratio postulet* forsan ex tabulis fundationis, ex concordato, ex eius natura, III[a] *aut Ordinarius opportunum iudicaverit*, nullo ex praedictis motivis cogente. - Sed quisnam intelligendus in canone *proprius Ordinarius?* an ipsius clerici ratione incardinationis, an loci ubi situm est officium, an ille cui officium subiicitur conferendum? Hoc ultimum censeo servandum, si diversus hic Ordinarius sit ab aliis, eo quod ipse tantum potest ac debet conditiones officii noscere, proindeque iudicium de idoneitate sanum ferre, atque de clerici dotibus forsan sibi ignoti aliunde testimonia obtinere. Hic canon videtur desumptus ex cap. XIII (sess. VII de Ref.) Conc. Trid. quod tamen de beneficiis fuit conditum et cuius tenor est aliquantum diversus a canonis sensu. Ecce illud: « Praesentati, seu electi », additur in can. postulati, « vel nominati a quibusvis ecclesiasticis », verbum in can. omissum, « personis, etiam Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia », ad haec ergo tantum, « non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii » (omissa fuit haec clausula in can.) « seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae », clausula

in can. innecessaria propter generalem normam can. 5 [1] de consuetudinibus, « nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati », verba mutata in canone per verba *proprio Ordinario* atque *per examen* cum moderatione praescriptum in can., salvis verbis seqq. Capitis Tridentini: « et idonei reperti ». Cetera quae in hoc sequuntur, ibidem fuerunt omnino praetermissa: « Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Praesentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis ».

91. **Provisio ac promissio officii non vacantis.** — In iure praecedenti constat Ecclesiam abhorrere a promissionibus circa beneficia, dum haec nondum vacant, ne occasio detur mortem beneficiati desiderandi, molestiaeque eidem inferantur ab eo causatae, qui eius expectat beneficium. Patet id ex capp^s^. relatis sub Decretalium rubrica « De concessione praebendae et ecclesiae non vacantis ». Huic iuri conformis est *can. 150.* § 1. *Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 183*, § 1, in quo diversi modi quibus vacant officia ecclesiastica omnes recensentur, *est ipso facto irrita*, et sic radicitus, quod *nec subsequente vacatione convalescit*, iuxta principium iuris: « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit » (Reg. 18 in 6°). Manet ergo titulus inutilis ad praescriptionem. Cum provisio, de qua in hoc canone, fiat solummodo a legitimo Superiore ecclesiastico, de ipso tantum intelligendus est §^us^ 1us. Non sic porro aiens § 2: *Nec promissio eiusdem officii, quicumque illud promiserit*, (v. gr. patronus, elector, quoad ponendum a se actum, ex quo tale officium obtineri posset) *ullum parit iuridicum effectum*, i. e. obligationem iuris, etsi tantum in foro conscientiae; nec intelligendum comma de solius actionis denegatione apud Ecclesiam, ad quam denegationem restringi non patiuntur verba ipsa, et alibi v. gr. can. 1017 § 3 [2], quando idipsum voluit legislator denegare, liquidis verbis dixit.

[1] Can. 5. Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares..., aliae (praeter eas quae ipsis canonibus expresse reprobentur) quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

[2] Can. 1017... § 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

92. **Officium de iure solum vacans.** — Attamen, ut videbimus infra, contingere potest quod etsi officium vacet de iure, id non appareat factis; atque hoc memorans Codex statuit quid in hac hypothesi servandum, quod exhibet subsequens *can. 151. Officium de iure vacans quod forte adhuc ab aliquo* sed ex consequenti *illegitime possideatur*, h. e. non secundum ss. canones, quamvis bona fide, *conferri potest*, non simpliciter, sed *dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit possessionem non esse legitimam*, quae declaratio sit pronunciata secundum motiva et servandam formam iuxta ss. canonum praescripta, *et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis*. Quod servandum est sicut conditio ut provisio fieri possit, veluti clausula quam etiam afficit ex contextu verbum « dummodo » conditionale. Hoc tamen non certo constat, sed probabilius. - Prima conditio, ac probabilius, ut dixi, etiam secunda, propter verbum « dummodo » « statuunt aequivalenter » (can. 11) legem hanc irritantem provisionis actum secus positum.

Art. I. - *De libera collatione.*

Can. 152. - Loci Ordinarius ius habet providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud probetur; hac tamen potestate caret Vicarius Generalis sine mandato speciali.

Can. 153. - § 1. Ad vacans officium promovendus debet esse clericus, iis qualitatibus praeditus, quae a iure communi vel particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Assumatur, omnibus perpensis, magis idoneus sine ulla personarum acceptione.

§ 3. Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla, si ita cautum sit iure communi vel particulari aut lege fundationis; secus est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest.

Can. 154. - Officia quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secumferunt, clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valide nequeunt.

Can. 155. - Officiorum provisio cui nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, nunquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis, firmo praescripto can. 458.

Can. 156. - § 1. Nemini conferantur duo officia incompatibilia.

§ 2. Sunt incompatibilia officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.

§ 3. Firmo praescripto can. 188, n. 3, concessio alterius officii a Sede Apostolica facta non valet, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria adiiciatur.

Can. 157. - Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Can. 158. - Qui, alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum; sed huius iuridicus status perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

Can. 159. - Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur.

93. **Inscriptio articuli et coordinatio canonum.** — Positis normis quae provisionem quamlibet regunt, ac iuxta distributionem capitis in articulos secundum provisionis diversitatem, sicut ad can. 148 explicatum est, consequenter ponitur *art. I, de libera collatione;* quae definiri potest: « concessio officii ecclesiastici a legitimo Superiore ad normam sacrorum canonum facta clerico non praevie designato ex mero iure tertiae personae ». Quod fuit additum, ne designatio personae in concursu approbatae aut ex optionis exercito iure definitioni obstaret, cum hae sint limitationes a ss. legibus immediate provenientes, quapropter liberam collationem relinquunt, prouti haec aliis provisionibus ad normam can. 148 contradistinguitur. - In hoc articulo sic disponuntur canones: 152 est de illo qui inter Romano Pontifici inferiores hanc potestatem habet pro singulis officiis, tamquam regula generalis; de subiecto autem cui conferendum sit officium in genere est can. 153 et circa officia quaedam can. 154; subduntur canones, tum de servandis in actu provisionis, sive quoad tempus sive cum officiorum respectu, scilicet: can. 155 et 156, tum de personis a receptione quorumdam exclusis, nempe can. 157. Duo postremi can. 158 et 159 continent opportunam praeviamque animadversionem, atque probationis cautionem de qualibet provisione. Quamvis hic art. inscribatur de libera collatione, canones tamen eius loquuntur generaliter de provisione, quod innuit servandos esse quacumque in forma provisionis, quandocumque nempe in speciali forma subsequente contrarium non caveatur; et optime, quia libera collatio refert naturam genericam seu communem cuiuslibet modi provisionis, quae actu Superioris solo completa fit.

94. **A quo facienda officii collatio.** — Patet *can. 152. Loci Ordinarius ius habet providendi* de subiecto, et quidem libere iuxta inscriptionem articuli, *officiis ecclesiasticis* « stricto sensu » (can. 145, § 2) ac consequenter « lato sensu » acceptis *in proprio territorio* exercendis, *nisi aliud probetur,* et quantum fuerit probatum circa ipsius limitationem iuris aut exclusionem, quod a canonistis exprimitur hoc modo: « habet pro se praesumptionem liberae collationis fundatam in iure ». Prosequitur canon: *hac tamen* praedicta « liberae collationis » *potestate caret Vicarius Generalis sine mandato speciali,* prout

quid simile dictum fuit ac declaratum quoad clericorum excardinationem et incardinationem.

Praescriptum hoc novum non est, quia de officiis beneficialibus antea vigens ex cap. 3 « de officio Vicarii » in 6° (1, 13), ubi rationem quoque affert Bonif. VIII. « Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: officialis, aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa ».

95. **Qualitates providendorum.** — *Can. 153.* § 1. *Ad vacans* iuxta can. 150, 151 *officium* stricto sensu *promovendus debet esse clericus* « propter primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *iis qualitatibus* praeditus v. gr. aetatis, scientiae, probitatis, etc., *quae* I° *a iure communi* seu ss. canonibus in secunda sectione pro officiorum diversitate distinctis vel in secunda parte aut alibi positis, II° *vel particulari* v. gr. Concilii Provincialis, Romani Pontificis pro illa regione, in Concordatis, III° *aut a lege fundationis* de qua in alio Codicis loco, *ad idem officium* singulare *requiruntur*. Nec sufficit; addit enim § 2. *Assumatur, omnibus perpensis*, scilicet: non solum qualitatibus clerici, eiusque servitiis, sed aliis etiam circumstantiis, quae ad officium pertineant, *magis idoneus* ad illud exsequendum, *sine ulla personarum acceptione*, quae tunc solum existit, quando « aliquis considerat in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur, esset ei proportionatum et debitum, sed solum hoc quod est iste homo (puta Petrus vel Martinus) heic est acceptio personae, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quae faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personae. Ad personam autem refertur quaecumque conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono: puta si aliquis promoveat aliquem ad praelationem vel magisterium, quia est dives, vel quia est consanguineus suus, est acceptio personae... Quae opponitur iustitiae distributivae in hoc quod praeter proportionem agitur ». Haec habet D. Th. in II-II quaest. LXIII art. 1, quem et secundum art. legendum valde commendamus, ad discretionem causarum, quae videntur ad rem non pertinere in officiorum ecclesiasticorum provisione, cum tamen respici possint absque vitio praefato.

Haec tamen maior idoneitas praeferenda est in officiorum ecclesiasticorum libera collatione ex canonis praescripto Superiorem obligante: attamen provisio aliter facta sustinetur. Non idem valet de provisione contra § 1 iussum facta, statuit enim § *3. Cum provisus caret qualitatibus requisitis, provisio est nulla*, sub conditione, videlicet: *si ita cautum sit* I° *iure communi vel* II° *particulari, aut* III° *lege fundationis* quibus nempe singulis, prout in § 1 dictum est qualitates illae ita sint praescriptae, ut earum provisionis « actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuatur » (can. 11); *secus* videlicet: si huiusmodi clausulae desint, « provisio » *est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore*, scilicet: ad hoc a legibus deputato *irritari potest*. In alio Codicis canone id erit inveniendum. Interim notanda haec applicatio principii iuris, quod in legibus ecclesiasticis praevaluit [1]: « Quia multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem ». Quod viget pro secundo §, atque subintelligendum cum duabus exceptionibus in § 3 adhibitis, quae sub hac citati textus propositione comprehenduntur, « nisi aliter cautum fuerit expresse in iure ». Prima exceptio generalior est, quae legitur in c. 18 de Praebendis et Dignitatibus, quando ait Innoc. III: « Cum multa per patientiam tolerentur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debeant tolerari ». Huius exemplum peculiare nobis exhibet, comma illud § 3: *secus est valida*, etc. Alia exceptio specialis est reg. 64 Iur. in 6°. « Quae contra ius fiunt, debent pro infectis haberi », interpretanda de irritis expresse ipso iure, sicut fit initio § 3 et quomodo praescribitur in can. seq.

96. **Ordo sacerdotalis.** — *Can. 154. Officia quae curam animarum sive in foro externo*, v. gr. Vicariatus generalis, *sive in interno*, v. gr. beneficium parochiale, *secumferunt, clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valide nequeunt*. Et hoc novum est quoad officia exempli causa proposita, quia in iure praecedenti nihil peculiariter de officio Vicarii generalis cautum erat, et quoad parochiale beneficium admittebantur infra sacerdotium constituti, ex capp. 14 et 35 tit. de electione in 6° (I, 6) explicantibus cap. 5 de aetate et qualitatibus praeficien-

[1] Cap. 16 de Regularibus... III, 31. X.

dorum (I, 14) sequentis tenoris: « ad regimen parochialis ecclesiae non debet aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, admitti. Dispensative tamen », iuxta Glossam patet quod per Episcopum, « in minoribus ordinibus constituti consueverunt assumi. Dum tamen tales sint, quod in presbyteros ordinari possint intra breve tempus », quod iuxta Glossam est annus. Disciplina haec implexa nec per Conc. Tridentinum reformata, post ipsum fuit practice derelicta, solique sacerdotes promovebantur ad paroecias, hocque ut patet, per generalem canonem sancitum est ut in futurum servetur circa officia ecclesiastica cum animarum cura.

97. **Provisionis tempus.** — De tempore provisionis perficiendae venit statuere *can. 155. Officiorum provisio cui nullus terminus fuit speciali lege*, quae attingat ipsa vigensque servanda sit, *numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis*, quod tempus supputandum est sicut in calendario usque ad transactum diem sexti mensis eiusdem numeri ac diei habitae notitiae (can. 34, § 3°, n. 3°); quid vero sit tempus utile ex can. 35 [1] cognoscitur, et in praesenti canone detrahendum ex mensibus praedictis, posteaque differendum tempus dierum aut mensium sive continuum sive interruptum in quo Ordinarius providere forsitan non valuit. Canon sic explicit: *firmo praescripto can. 158*, qui huius exceptionem de vacante paroecia tunc exponendam continet.

98. **Officiorum incompatibilitas.** — De officiorum beneficialium cumulatione prius vetita sequitur amplians eam *can. 156. § 1. Nemini conferantur duo officia incompatibilia*, vel simul unico actu, vel etiam alterum post primum huiusmodi possessum. Quaenam vero sint illa definit § 2. *Sunt incompatibilia officia quae una simul* i. e. illorum obligationes *ab eodem adimpleri nequeunt;* quod multiplici ex causa evenit, v. gr. quia sunt in diversis locis constituta, sicut duae parochiae, vel obligationes diversae urgeant eodem tempore, ex. gr. officia iudicis et notarii, vel eadem obligatio numero multiplicata, ex. c. duo canonicatus in eadem Collegiata.

Vult legislator salvam omnino praescriptam incompatibilitatem, retinetque normam praecedentis iuris sed absolutam § 3.

[1] Can. 35. Tempus utile illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat.

Firmo praescripto can. 188, n. 3, videlicet: « quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione », i. e. amittuntur, « si clericus: 3° Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit »: solum ergo hac sequuta possessione, statim prius habitum vacat. Quo actu haec possessio fiat, videbimus suo loco. Si revertamur ad §m 3 can. 156 quem commentamur, quia ut ait Innoc. III:[1] « Rom. Pontifex secundum plenitudinem potestatis de iure primatus potest supra ius (ecclesiasticum) dispensare », quaenam sit eius voluntas respectu officiorum incompatibilium edicitur sic in hoc commentando paragrapho: *concessio alterius* propter primum adhuc habitum *officii* ecclesiastici « stricto sensu » *a Sede Apostolica* scilicet: a Romano Pontifice, vel S. Congr. Consistoriali, vel Dataria Aplca. ad normam can. 7, *facta* concessio *non valet*, cum « intentio Summi Pontificis non sit, (concessiones sic) factas, contra canonum instituta ratas habere »[2], et hoc est uti generalis regula. Sequuntur exceptiones duae: *nisi* I° *in supplici libello* petentis officium concedendum *mentio prioris* iam habiti atque *incompatibilis* cum petito *habeatur*, nec incompatibilitatem exprimere opus est, quando innotescit ex precibus, quo casu « concessio valet », sed acceptans concessionem et capiens illius officii possessionem amittit aliud incompatibile ob clausulam « firmo praescripto can. 188, n. 3 », excepto casu sequentis exceptionis: *aut* II° *clausula derogatoria adiiciatur* in concessionis documento. Quae clausula si deroget canoni huic, poterunt duo illa officia retineri; qualis tamen sit derogatio eruendum erit ex clausulae tenore, quae posset supplere tantummodo mentionis debitae omissionem.

Quid autem sentiendum erit de illo clerico qui iuxta hunc § invalide obtineat incompatibile cum prius iam habito officium, huiusque possessionem capiat? An possessum antea officium amittat ipso facto possessionis secundi? Respondendum: vel haec possessio est pacifica vel non. Si est pacifica, officium antea possessum amittit ex can. 188, n. 3, nec secundum consequitur, quod ut supponimus est invalide concessum. Si non est pacifica, cogetur ad secundum officium derelinquendum, sed

[1] Cap. 4 de concessione praebendae (I, 8). — [2] Loc. cit., Decretalium.

non amittit alterum sibi proprium. Incompatibilitas beneficiorum regebatur in praec. iure, praesertim cap. 17, sess. XXIV de Ref. in Conc. Trid., cap. « de multa » 28 de Praebendis et Dignitatibus (III, 5), et quoad Regularium officia c. 32 cit. tit. in 6° (III, 4).

99. **Speciales prohibitiones.** — In canone sequenti prohibitiones speciales recensentur, quibus personae aliquae arceantur a peculiaribus officiis obtinendis. Quae iam vigebant in iisdem casibus et aliis, sed tantummodo quoad beneficia, ex Const^s. Pii PP. V « Quanta Ecclesiae » et « Cupientes unicuique »[1]. Afferam prioris textum, quia disponit etiam de officiis et brevior est: « Caeterum praecipimus atque interdicimus ne ipsi episcopi aut alii collatores de beneficiis et officiis resignandis praedictis, aut suis aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus,... audeant providere; quod si secus, ac etiam quidquid praeter vel contra formam praedictam fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires et effectum decernimus non habere ». Iisdem fere verbis utitur textus qui dispositionem comprehendit alterius Pianae Const^s.

Can. 157. Officium vacans non quocumque modo sed utrolibet duorum, scilicet: a) *per renunciationem* infra explicandam b) *vel per sententiam privationis*, (et cum hic modus differat ab « amotione » (can. 183, § 1), quae fit per decretum extraiudiciale, « sententiam » illam interpretamur proprie, sicut definitur in can. 1868, § 1), *nequit ab Ordinario* « sive loci sive qui Superior maior sit in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1) ac insuper *competente* ad normam can. 152, *qui* I° *renunciationem acceptavit* proprio facto, v., gr. Vicarius generalis, Episcopus, *aut II° sententiam tulit:* hinc si ab isto diversus est Ordinarius competens ad provisionem, tunc poterit, si autem est idem, nequit ab ipso tale officium *valide conferri* disiunctive *suis*, quod verbum singularem designans Ordinarium, confirmat interpretationem datam de uno et eodem « renunciationem acceptante ac beneficium ipsum conferente », *aut resignantis*, nec hoc in loco memoratur beneficio privatus, a) *familiaribus*, qui nempe cum ipsis familiariter convivunt, non qui amicitia tantum eis iuncti sunt, b) *consanguineis vel* c) *affini-*

[1] 1 Apr. 1568 § 5, 11 Oct. 1569 § 1.

bus uniuscuiusque ex primo declaratis *usque ad secundum gradum inclusive* in quacumque linea. Quae limitatio gradus expressi ex contextu scripturae ad consanguineos quoque porrigenda est, nam si aliter voluisset, posset exprimere Codex unum verbum addens consanguineis, scilicet: omnibus.

100. **Animadversio iuris practica.** — Sequens canon, ut dixi antea, continet opportune quamdam animadversionem. Scimus enim ex iure praecedenti, posse alium Praelatum Ordinario maiorem in Hierarchia conferre quandoque officium, et videbimus hanc disciplinam in Codice servatam: cum ergo de quocumque officio idipsum accidere possit, ait *can. 158. Qui, alius negligentiam vel impotentiam supplens*, propterea in extraordinario casu *officium confert, nullam inde* quam non haberet *potestatem acquirit in nominatum* (idest: non solum proprie, ut supra in can. 148, § 1, sed in officium obtinentem) *sed huius iuridicus status* i. e. summa iurium et obligationum coram ss. canonibus ex officio consequuta *perinde constituitur, ac si provisio* haec *ad ordinariam iuris normam*, nempe: ab eo qui ordinarie concedere debet illud officium *peracta fuisset*.

101. **Provisionis documentum.** — Demum praescribit *can. 159. Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur.* Certe adimplendum est, atque ita probatio mansura custoditur, sed scriptura haec non pertinet ad provisionis formam necessariam pro eiusdem validitate: hoc enim gratis affirmaretur.

ART. II. - *De Electione.*

CAN. 160. Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904; in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime statuta.

CAN. 161. - Si cui Collegio sit ius eligendi ad vacans officium, electio, nisi aliud iure cautum fuerit, nunquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii: quo termino inutiliter elapso, Superior ecclesiasticus, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

CAN. 162. - § 1. Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio: et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata praeteritione et absentia, a competente Superiore irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia

pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.

§ 4. Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.

§ 5. Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet iuridicum effectum.

CAN. 163. - Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur.

CAN. 164. - Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

CAN. 165. - Nullus collegio extraneus admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis legitime quaesitis: secus, electio est ipso facto nulla.

CAN. 166. - Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est.

CAN. 167. - § 1. Nequeunt suffragium ferre:

1° Incapaces actus humani;

2° Impuberes;

3° Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam;

4° Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt;

5° Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

CAN. 168. - Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.

CAN. 169. - § 1. Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1° Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° Secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

CAN. 170. - Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.

CAN. 171. - § 1. Ante electionem per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur; collectisque ad ultimum suffragiis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

CAN. 172. - § 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio, compromissarii debent esse sacerdotes, secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra ius commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones; conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur.

§ 4. Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, haec nequit seipsam eligere; si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat.

Can. 173. - Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes:

1° Revocatione a collegio facta, re integra;

2° Non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita;

3° Electione absoluta, si fuerit nulla.

Can. 174. - Is electus habeatur et a collegii praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1, n. 1.

Can. 175. - Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus omne ius ex electione quaesitum amittit.

Can. 176. - § 1. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea poeniteat; sed rursus eligi potest; collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

§ 2. Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 3. Ante acceptam confirmationem ipsi praetextu electionis non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Can. 177. - § 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die acceptatae electionis confirmationem a competente Superiore petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum.

§ 2. Superior, si electum repererit idoneum, et electio ad normam iuris fuerit peracta, nequit confirmationem denegare.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.

Can. 178. - Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privetur in poenam, libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.

De electione

- Romani Pontificis normae, et de aliis regula generalis — Can. 160
- peragenda tempus utile — » 161
- quoad convocationem
  - praemittendam — » 162
  - iam sequutam, iuris effectus — » 163
- quoad electores
  - qui plures ob titulos ius ad suffragium habent — » 164
  - extraneos collegio — » 165
  - tuendos in canonicae electionis libertate — » 166
  - quinam nequeunt suffragium ferre — » 167
  - praesentes in domo sed infirmos — » 168
  - suffragium dantes nullum
    - quando — » 169
    - cuinam — » 170
- ipsa, si fiat
  - per scrutinium — » 171
  - per compromissum — » 172
  - cessante compromisso — » 173
- peracta
  - quis electus habeatur — » 174
  - quoad intimationis effectus iuridicos — » 175
  - quoad diversas electi decisiones — » 176
  - circa confirmationem — 177
- omissa — » 178

102. **Inscriptio articuli.** — Consequenter considerandum est primum membrum tertii modi providendi, scilicet: *Art. II. De electione*, cui subsequitur ex parte Superioris confirmatio. « Electio », prout in hac inscriptione, recte definitur: « alicuius personae idoneae ad officium ecclesiasticum servata forma canonice facta vocatio »: in qua definitione quatuor elementa necessaria inveniuntur, personae idoneitas, finis cui destinatur, forma seu modus quo perficitur, et illi qui eam perficiunt; quae duo posteriora per verbum « canonice » signatur regulanda esse ad ss. canonum normam, et hinc vocatur etiam « electio cano-

nica ». Confirmatio illius electionis est, « actus quo Superior competens concedit officium ecclesiasticum personae canonice designatae per electionem ».

103. **Canonum ordo** in hoc art. sequens est: can. 160 generice loquitur de normis servandis; sequens can. 161 de tempore utili ad electionem, postea duo alii canones de convocatione electorum; sequuntur canones de electoribus et suffragiis seu votis eorum a can. 164 ad can. 170; de servandis in ipsa electione tres canones disponunt, a can. 174 ponuntur ea quae electionem sequuntur, et can. 178 claudit articulum pro casibus deficientis electionis canonicae vel culpabiliter vel sine culpa.

104. **Romani Pontificis electio**[1]. — Generalem normam de electione canonica continet *can. 160. Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X Vacante Sede Apostolica, 25 Dec. 1904;* quae inseritur in Codicis volumine: Docum. I. Quia longius esset ipsius commentarium, in re maximi momenti, sed ut plurimum lectoribus inutile, tantummodo seligam quae validitatem illius electionis respiciunt, et propter connexionem recensebo excommunicationes aliasque poenas in eadem Constitutione contentas, et de quibus tamquam vigentibus adest can. 2330[2]. Et primo, etsi verum est hanc electionem illa Const.^e *unice* regi; tamen expresse in eodem Documento alia Constitutio vigens reservatur pro extraordinariis circumstantiis. En verba Const. Pianae: « excepta Const. " Praedecessores Nostri ", cum instructione (vulgo Regolamento) adiecta, a fel. rec. Leone XIII die XXIV mensis Maii 1882 data pro extraordinariis perturbatisque temporum adiunctis, quam in futurum quoque, ubi in iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, praeter ea quibus hac Constitutione derogatum est, vigere integram volumus ». Id animadvertens Codicis auctor Const.^m Leonianam cum adiecta Instructione tertio loco inter Documenta reproduxit.

In tit. II Pianae const^s. continentur leges: « De electione Rom. Pont. », et cap. I agit « De electoribus ipsius », quod in tres partes dividi potest, nempe: *a)* ad quosnam pertineat electio ac obiectionum remotio in num. 27, 28, 29; *b)* quando-

[1] Expositio legislationis historica de hac electione invenitur apud Santi: Praelectiones iuris canon. Lib. I, tit. VI, num 31-35.

[2] Can. 2330. Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 Dec. 1904.

nam incipiat tale ius in unoquoque Cardinali et quomodo amittatur in num. 30, 31, 32; et denique *c*) ponuntur determinationes pro exercitio ipsius suffragii.

a) 27. *Ius eligendi Rom. Pont. ad S. R. E. Cardinales unice et privative pertinet;* 28 *...semper et exclusive*, absque ulla exceptione. 29. *Nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alius ecclesiastici impedimenti praetextu vel causa a S. Pont*is*. electione activa et passiva excludi... potest, quae censurae... ad effectum huiusmodi electionis tantum... suspenduntur.*

b) In n. 30 declaratur quod: *postquam aliquis... Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pont*m*. habet...*

31. *Cardinales vero canonice depositi, vel qui dignitati Cardinalitiae, consentiente Rom. Pont*e*. renuntiaverunt, nullum ius ad electionem habent. Imo... nec potest S. Collegium... habilitare Cardinales per Papam privatos seu depositos, ne quidem ad vocem.*

32. *Statuitur etiam quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat, nisi... indubitato privilegio Pontificio munitus sit.*

c) 33. *Item statuitur ut... praesentes Cardinales expectare debeant absentes per 10 tantum dies,...; quibus elapsis,... ad electionis negotium procedere tenentur.*

34. *Si... Cardinales absentes supervenerint,... in eodem negotio perficiendo,... admittantur.*

35. *Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipit Pont*x*., ut,... nisi legitimo impedimento detineantur, indictionis litteris obtemperare, et ad locum eisdem designatum pro perficienda Pont*is*. electione se conferre debeant.* Hoc idem viget in casibus const. « Praedecessoris nostri » Leon. XIII.

In n. 36 agitur de privatione vocis activae in quibusdam casibus, videlicet: *Si quis vero forte Conclave intrare noluerit, vel ingressus, absque manifesta infirmatis causa, iuramento medicorum et a maiori parte Cardinalium approbata, exiverit, tunc ipso minime... ulterius admittendo, per alios ad eligendum... libere procedatur. Si vero, infirmitate superveniente, aliquem eorum e Conclavi exire contingat,... poterit... ad elec-*

tionem procedi; sed si ad Conclave... redire voluerit, rursus admittendus est.

Demum 37. *Cardinales... singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata... conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi si quis non obtemperaverit, latae sent. exc. poenam incurrat.*

Quae excommunicatio, sicut omnes *aliae irrogatae* in hac Const. *a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario,... praeterquam a Rom. Pont*[e]., *nisi in mortis articulo, absolvi possunt.* Ita in n. 51. Quae verba statuunt reservatas specialissimo modo Sedi Apostolicae censuras ad Codicis tenorem. Ratio est: quia eisdem verbis reservantur censurae ob violationem secreti S. Officii. Sed hae censurae in privilegiis S. R. E. Cardinalium sub n[is]. 1° et 2° can. 239, quoad exclusionem ab huiusmodi privilegiis aequiparantur censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis. Ergo illae censurae const. « Vacante Sede Apostolica », de quibus non solum fit mentio in Codice sed explicite inveniuntur servandae ob canonem 2330, vel non excluderentur a privilegiis praedictis, quod absonum videtur, vel sub exceptis specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis ibidem sunt comprehensae.

De ipsa electione Summi Pontificis sequentia sunt praecipua, quae omnino sciri debent: *a*) necessario servanda ut electio sequuta sit valida, *b*) praecepta quae adiunctam habent poenam excommunicationis ipso facto incurrendae, et *c*) aliae praescriptiones maioris momenti. Opportune adiungam specialiter servanda, et pro celeritate electionis omittenda a Cardinalibus, quando iidem in hac electione perficienda utantur const. « Praedecessoris nostri ».

Quoad primum *a*) in num. 54 dicitur: *negotium electionis... una tantum ex tribus, quae infra exponuntur... formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subiacet.* Postea explicantur per extensum praedictae formae, et in fine capitis habetur num. 78, ubi enuntiantur quae substantialia sunt pro unaquaque forma, videlicet: *Quod si electio aliter celebrata fuerit, quam,* a) « *in scrutinio per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium* »[1] *in Conclavi*

[1] *47... Electio Summi Pontificis fieri debet in Conclavi, et eo clauso, sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta.*

« *praesentium, electi suffragio non computato* » *vel* b) « *per viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter* »[1] *in Conclavi* « *praesentibus, nemine dissentiente, inita et ita ut nemo seipsum elegerit* », *vel* c) « *quasi per inspirationem, nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium praesentium*[1] *in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum eligo, intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione* », *et ita electo nullum ius tribuat.* Praeter ista adhuc quoad validitatem servanda, Const. « Praedecessoris nostri » addit: *Quolibet... loco et quibusvis in adiunctis electionem celebrari contigerit, non aliter legitima et valida ea erit,* « *quam* d) *si numerus Cardinalium, qui ad eam convenerint, dimidium Cardinalium omnium pro tempore existentium, plus uno saltem, excedat* »; *quem tamen numerum si deinceps minui accidat, sive quod aliquem ipsorum... mors praeveniat, aut morbus opprimat, sive alia qualibet ex causa, impedimento id minime esse debebit, quominus Cardinales reliqui inceptum opus prosequi et electionem legitime et valide absolvere queant.*

Haec quoad validam personae designationem, sed nondum res perfecta est; nam post n. 37 sequentis tenoris: *Post electionem canonice factam consensus electi per Card. Decanum nomine totius S. Collegii requiratur;* legitur in n. 83: « *Hoc electi consensu praestito* » *intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum,* « *illico electus est verus Papa* », *atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest.*

Quoad secundum: *b*) *Hinc* (prosequitur Const.) *si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a R. P. ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus.*

Praeter hanc exc^m^. et aliam contra non accedentes DD. Cardinales ad scrutinia electionis R. P. de qua antea, continentur in Const. « Vacante S. Apostolica » sequentes: tres ad praesi-

[1] *55... Primum, haec forma electionis adhiberi potest solum in Conclavi, et eo clauso.*

dium secreti, quarum duae incurri possunt etiam a conclavistis, altera solum a Cardinalibus; et aliae quatuor de vitandis in electione R. P., quarum duae priores a quibuscumque incurri queunt, tertia a conclavistis et quarta (ut videtur) a solis S. R. E. Card.

Quoad secretum, in n. 51 dicitur: *Praeterea,... severe praecipimus... ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem R. Pont^is^. pertineant, et in iis quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur; ita ut hanc legem violantes exc. ipso facto incurrant.* Et in seq. n. 52. *Specialiter sub eiusdem exc. poena, Cardinales prohibet Pont., ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave, sive ipso durante habitis acta vel decreta sunt.* Et ad hoc secretum se obligarunt per iuramentum bis emissum, nempe ante ingressum in Conclave et statim post ingressum ipsum, acceptantibus in iuramenti formula conclavistis ecclesiasticis sententiam exc. praedictam et *poenam privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendae...* Ad secretum etiam refertur quod est vetitum in n. 50. *Absolute... omnibus interdicitur, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae exc. l. s. subiaceant.*

Quoad *vitanda... in electione R. Pont.* (Cap. VI) *Simoniae... in hac electione... criminis reos poena exc. l. s. innodamus*, ait S. Pontifex; *sublata tamen irritatione huiusmodi electionis simoniacae*, antehac *statuta*. Ita in n. 79.

80. *Item sub exc. poena prohibemus ne quis, etiam Cardinalis, vivente R. P. et eo inconsulto, tractare de ipsius successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat.* Huic exc^i^. locus non est S. Apostolica vacante, vel consulto R. Pont.

81. *Sub... poena exc. l. s. prohibet Papa S. R. E. Cardinales... pariterque Secretarium S. Collegii... aliosque... in Con-*

clavi partem habentes,... ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant Veto sive Exclusivam, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumque hoc Veto, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciat sive universo Cardinalium Collegio simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave, sive ipso perdurante. Subiungitur vero quaedam extensio prohibitionis, non facta mentione exc[is]., atque proinde haec utpote odiosa non est extendenda. *Quam prohibitionem extendi vult ad omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuscumque gradus et ordinis voluerint sese in Pont. electione immiscere*, quod in Const. « Commissum » edicit *nemini licere;* quae const. fuit suo in robore relicta.

Denique in n. 82 legitur: *Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus... promissionibus aliisque... obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula,... etiam iuramento adiecto,... nulla et irrita... decernimus et contra facientes ex nunc exc. poena innodamus.* Hucusque de excommunicationibus in praelaudata Const. Alia est lata in n. 69, sed raro practica.

Quoad tertium. *c)* Aliae praescriptiones maioris momenti. Et imprimis de conclavi. 47. *Electio S. Pont.[is] fieri debet in conclavi et eo clauso sublata tamen nullitate electionis... hac de re statuta.*

48. *Et si...* Conclavis clausuram ullo modo violatam *deprehensum fuerit, auctores e Conclavi expellantur.*

49... *Et si quis forte... clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu, atque officio et beneficio ipso facto privatus existat.*

2° de secreto servando in n. 53 *praecipitur sub gravi* S. R. E. Card. ut secretum de quo antea *servetur etiam post peractam... electionem, neque ullo modo... violari liceat, nisi ab eodem Pontifice, peculiaris ad hoc facultas aut expressa dispensatio concessa fuerit. Quod praeceptum* extenditur ibidem *ad alios... qui in Conclavi partem habuerunt, si quid... de iis quae in Conclavi gesta sint, cognoverint.* [Notabilia sunt nn. 83 et 85 et in ultimo praeceptum Episcopis aliisque Ecclesiarum Prae-

latis, ceterisque enuntiantibus verbum Dei, causa precum fundendarum et observantiae ieiuniorum].

Denique memoranda quae non possunt et quae possunt S. R. E. Cardinales ex Const. vigente Leonis XIII. Obligatio... *secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem R. P. pertinent, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur haud quaquam relaxatur.* E contra *praescriptiones... praefinitae... circa electionis tempus et locum, circa Conclave eiusque clausuram, aliasque minoris momenti res* sic derogantur quatenus, *utrum omnes vel aliquas servari aut missas fieri oporteat, quod maior pars congregatorum Cardinalium suffragium tulerit, ius esto.* [Etiam sunt maximi momenti ex Const. Leoniana quae continentur: *His universim praestitutis*, usque ad verba *alio transferre coegerint.*

Prosequitur can. 160 sic: *in aliis electionibus ecclesiasticis.* quae sic vocantur, non solum quia intra ecclesiasticam societatem fiunt, (nec ullo modo ex eo quod a clericis peraguntur, clerici enim in Codice appellari non solent ecclesiastici), sed etiam quia ordinantur ad ecclesiasticorum provisionem officiorum, sive stricto sensu sive lato sensu dictorum, quando haec officia per electionem sint providenda ob ss. canonum praescriptum, idque memoriae figatur. Interpretationis veritas constat, tum ex tituli huius inscriptione, tum propter huius articuli connexionem cum can. 148 iuxta ibidem dicta, tum denique propter clausulam huius canonis ultimam, quae loquitur de officiis. Quanam vero ratione interpretationem extenderim ad officia lato sensu dicta et cum limitatione, patebit infra in parte secunda et tertia. - In praedictis ergo electionibus, ac non est praescriptum pro aliis, serventur *praescripta canonum qui sequuntur* in hoc articulo, simul *et peculiaria* « praescripta » *si qua sint, pro singulis officiis*, et notetur verbum *legitime* id est: secundum ss. canones *statuta* vel in singularis officii constitutione, vel a competente auctoritate ad legum formam ordinata. v. gr. in constitutionibus ordinis vel congregationis. - Quid vero si « praescripta canonum » peculiaribus sint opposita? Si haec in singulis horum canonum vel aliorum de eadem re praescriptis expresse salva dicantur vel abrogentur, quaestio evanescit: v. gr. in can. 162, § 1 « salvis peculiaribus constitutionibus ». in can. 507, § 1 « in electionibus serventur cuiusque religionis

constitutiones eidem (iuri communi) non contrarias ». Animadvertatur vero (can. 4) quod « privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede concessa, in usu adhuc sunt nec revocata (et « privilegia directe cuilibet religioni concessa » (can. 613, § 1), « integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur »: quod non evenit in his canonum praescriptis. Deinde quoad peculiaria statuta singularis officii, videtur eis applicanda iuris regula 34 in 6° « Generi per speciem derogatur », quod certum esset de beneficiali officio eo quod (can. 1417, § 1) « in limine fundationis fundator potest, de consensu Ordinarii, conditiones etiam iuri communi contrarias apponere ». Quae demum regula non viget circa peculiaria ad formam legum statuta, eo quod canonum sequentium praescripta edixerunt illa salva manere, quando sic placuit legislator; unde patet hoc in canone implicitum non fuisse.

105. **Electionum tempus utile.** — Normam generalem de tempore intra quod celebranda est electio tradit *can. 161. Si cui collegio*, eo quod singulorum velut colligatione seu coadunatione iuris constat, sive persona moralis sit, ut capitulum canonicorum, sive illam repraesentet, ut Capitulum regularium generale, atque eidem *sit ius eligendi* concessum tantummodo *ad vacans officium* iuxta can. 150, 151, electio non solum intenta per scrutinia, sed in effectum designationis personae deducta saltem per subsidiariam art^{i}. seq^{s}. postulationem, *nisi aliud* diversum a sequenti prohitione, *iure* rite constituto *cautum fuerit*, sive ius illud sit aliquis canon, sive particularis lex, constitutio, statutum a competenti auctoritate conditum, vel consuetudo vim iuris habens; aliter « electio » supra declarata *nunquam differatur*, etiam quando « ius eligendi redit ad compromittentes » (can. 173) sive cessante compromisso, sive ob denegatam confirmationem vel postulationis admissionem, ac tempus dilationis sumitur ex praec. iure [1]: « ultra tres menses ecclesiam vacare pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt: ne cadente pastore dominicum gregem antiquus (quod absit) hostis insidiando dilaniet », sic determinato circa officium quodlibet: *ultra trimestre utile* id est: ad normam can. 34, § 3, 3°, 35, sicut explicavimus supra in can. 155. Animadvertatur

[1] Cap. 11 D. L.

quod tempus hoc collegio « ignoranti aut agere non valenti non currat », tum pendente acceptatione vel renunciatione electi, ex qua postrema tempus protrahitur ad unum « mensem a cognita renunciatione » (can. 176, § 1), tum pendente Superioris confirmatione circa electionem acceptatam vel postulationem, tum pendente compromisso ad normam cap. 37 in 6° (I, IV), scilicet: « Si compromissarius, in quem... transfertur eligendi potestas, negligenter infra tempus a iure statutum eligere praetermittat, ad superiorem proximum potestas devolvitur providendi: sibique compromittentes imputent, qui in ipsum potestatem huiusmodi transtulerunt. - Si vero eligat, sed indignum: tunc sive scienter id fecerit (cum dolus ipsius eis, qui non sunt in culpa, non debeat imputari) sive etiam ignoranter (cum suo sit functus officio) eligendi potestas (nisi et ipsi scienter electionem talem ratam habuerint, et haec parenthesis viget ob can. 2391, § 1), libere revertitur ad eosdem. Idem fit cum eligit idoneum, sed electus renuit consentire ». - Prosequendo canonis commentarium: « trimestre » sic declaratum *est computandum* in qualibet ut supra electione etiam iteranda *ab habita notitia* certa moraliter *vacationis* de iure *officii; quo termino* temporis in se utilis, pro electoribus quoad iuris exercitium *inutiliter elapso* videlicet: non peracta electione ab eis, quae sortiatur effectum, ex tunc *Superior ecclesiasticus*, sive iurisdictionem habens, sive non, *cui* a) *ius* est *confirmandae electionis* illius singularis, si adsit, b) *vel ius providendi successive competit* id est: post electores, quando electio non indiget confirmatione, aut post negligentem « Superiorem ecclesiasticum » sub littera a) designatum in casu ulterioris devolutionis, *officio vacanti* ad quod fiebat clerici electio *libere* id est: ad normam canonum art. praec. *provideat* ex praecepto huius canonis. - Hic canon « refert ex integro » extenditque ad omnia officia cap. 41 de electione (I, 6).

106. **Eligentium convocatio**. — De convocatione electorum, quo modo facienda sit, et de omissae convocationis effectu praescribit *can. 162*. § 1. *Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus* i. e. primo his servatis, quae vigeant pro quibusdam electionibus et alteri deferant ius convocandi; aliis in casibus eligentium *collegii praeses, antea statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti* pro eorum dignitate conditio-

neve, *convocet omnes de collegio* i. e. invitet ex officio eos ad electionem cum expressione loci ac temporis; *et convocatio, quando personalis esse debet*, i. e. ad singulos dirigenda ob circumstantias vel praescriptum, *valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis* actu electoris; videlicet: in uno eorum. De his locis tractavimus in canon. 92-95.

De omissione convocationis alicuius electorum, quando personalis esse debet, statuit § 2. *Si quis ex vocandis neglectus* fuit contra § 1 praescriptum *et ideo* scilicet: consequenter ad hoc *absens fuerit, electio valet*, quia postea sciens potest eidem se conformare, vel forsitan ipso praesente idem clericus electus fuisset; ne autem connivere transgressioni videatur lex, addit: *sed ad eius instantiam debet* obligatorie, a) *probata* I° *praeteritione* illius in convocatione *et* II° *absentia* praefata, his duobus copulative, *a competente Superiore* iuxta normas de processibus *irritari*, seu nullam decerni, *etiam secuta* prius *confirmatione*, b) *dummoto iuridice constet* i. e. probetur in actis hunc *recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis peractae fuisse transmissum*, etsi post triduum ad Superiorem competentem ille recursus pervenerit. - Aliquando tamen hic neglectus plurium electorum effectum habet sine auctoritatis ecclesiasticae decreta irritatione, videlicet: § 3. *Quod si plures quam tertia pars electorum*, nec sufficit neglectus tertiae partis, *neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.* Semper tamen simul consequens absentia electorum requiritur. Ait enim: § 4. *Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint;* forsitan scientes aliter electionem peragendam. Et rationabiliter, quia obtento fine, parum refert omissum fuisse medium legale, nisi ad puniendum canonis transgressorem. - Concors cann. 150,151 est subsequens § 5. *Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet*, seu inamovibile, *convocatio electorum ante officii vacationem* de iure, et etiam de facto, nisi praecesserit declaratio ad normam can. 151, *nullum habet iuridicum effectum*, tamquam si facta non fuisset.

107. **Ius eligendi actu.** — Posita vero legitima convocatione, determinat numerum electorum sequens *can. 163. Convocatione legitime* idest: ad normam praecedentis can. saltem circa validitatem *secuta*, proprium collegii *ius eligendi pertinet ad*

eos tantum, *qui praesentes sunt* in designata ad electionem domo, *die in convocatione* supra dicta *statuto*, atque si alii superveniant altero die iterum statuto, quia nondum electio fuit in exitum perducta, ut videtur, non erunt exclusi, quia voluit canon solummodo providere: *a*) ut hora stata veniente incipi possit electionis processus, *b*) *exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam*, *c*) *sed etiam per procuratorem* in electionibus nempe canonicis, *nisi lege* proprie dicta, (eo quod per competentem iurisdictionem scripto fuit lata), et *peculiari* videlicet: pro aliquibus electionibus *aliud caveatur*. Quia tunc admittitur alterutra ex dictis facultas. Idque iam vigebat in praecedenti ecclesiastica disciplina [1], sed illius exceptionis abrogationem innuit verbum « etiam » additum aliis « per procuratorem » sine ulla limitatione. Sic scriptum est in cit. Decretalium capite: « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, iustoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento: et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam ». Ita Innoc. III in conc. generali.

108. **Elector ex pluribus titulis** — Incipiunt praescriptiones de electoribus et suffragiis. *Can. 164. Etsi quis plures ob titulos*, v. gr. in Capitulo Generali Ord. Praed., quia ex-Generalis est ac Provincialis actu, *ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre*. Notentur verba « nomine proprio », unde a sensu contrario si unum suffragium ei competat nomine proprio et aliud tamquam alterius procuratori, quando admittitur procuratio secundum canonis praec. exceptionem, tunc potest duo suffragia ferre. Quae, ut rationabiliter ferat, debet in unius personae favorem dare, nisi procurator personam quoque suffragandam ei determinaverit.

109. **Extraneus collegio.** — Excluduntur ab electionibus ecclesiasticis diversae personae in seq^s^. tribus canonibus. *Can. 165. Nullus collegio* electorum (quamvis illud moralis persona non sit) *extraneus admitti potest*, etsi unanimi eligentium consensu, *ad suffragium, salvis privilegiis legitime quaesitis* h. e. iure obtentis, et planum est, quia ius suffragii est collegio a

[1] Cap. « Quia propter » 42 (I, 6).

legibus concessum; illudque omnino exigitur, nam *secus*, scilicet propter talem extranei admissionem *electio* in qua extraneus suffragium fert *est ipso facto nulla*, ut canon statuit.

110. **Libertas electionis.** — Alterum casum nullitatis tradit. *can. 166. Si laici*, prout a clericis distincti, ac « possunt esse religiosi » (can. 107), *contra canonicam libertatem*, v. gr. metum gravem incutientes pro electione unius tantum vel cuiusdam inter plures designatos, quamvis potestate publica non potiantur, *electioni ecclesiasticae* ad can. 106 declaratae *quoquo modo*, semper ac iste fuerit libertati electionis contrarius, *sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est*. Voluit enim Ecclesia suam independentiam efficaciter propugnare.

111. **Inhabiles ad suffragium ferendum.** — Nunc propter personales defectus sive naturae, sive poenae, sive culpae, sive legales excludit ab electionibus ecclesiasticis quosdam *can. 167. § 1. Nequeunt suffragium ferre* scilicet: potentia carent iuridica seu inhabiles sunt, (et proinde suffragium nullum est): *1° incapaces actus humani*, velut infantes atque actu ebrius perfecte, iure quidem naturae; *2° Impuberes* propter naturam suffragii, attenta impuberum conditione naturali iuxta dicta ex D. Th. in can. 89: *3° Censura* vel excommunicationis ad normam canonis 2265, vel « suspensionis generaliter latae aut ab officio simpliciter » iuxta can. 2278, 2279, 2283 (loquentes de alterutrius effectibus), vel « interdicti personaliter » secundum can. 2275, 1°, *vel infamia iuris affecti*, non qui facti infamia laborant, atque illi solummodo *post sententiam tamen* iudicis (nec sufficit censuram incurrisse ipsos ad modum praecepti impositam), *declaratoriam vel condemnatoriam* in lib. V Codicis explicandam, hac enim deficiente « prohibentur iure eligendi », prouti quoad excommunicationis censura affectos cavetur in can. 2265, § 1. 1°, cui conformantur ceteri canones citati praesertim circa suspensos et interdictos supra declaratos; *4° Qui sectae haereticae* v. gr. methodistarum *vel schismaticae* v. gr. constitutae in Philippinis insulis tempore rebellionis earum, *nomen dederunt* i. e. se inscripserunt, *vel publice adhaeserunt* verbis aut factis, quamvis non inscripti alterutri earum; denique *5° carentes voce activa* a) *sive ob legitimam iudicis sententiam* ad iuris normam pronuntiatam ob culpam, b) *sive ex iure* (lege vel consuetudine) *communi* absdubio Codicis, v. gr. ex can. 2390, § 2 « electores,

qui hanc immixtionem (can. 166 reprobatam) sollicitaverint vel sponte admiserint », *aut particulari* quoad locum vel inferioris potestatis v. gr. defectu conditionis cuiusdam requisitae.

De alicuius praedictorum suffragio contra can. dato loquitur § 2. *Si quis ex praedictis admittatur*, res cognitu facilis, *eius suffragium est nullum*, ex admissione nil obtinens, *sed electio valet*, secundum iuris principium (Reg. Iur. 37 in 6°) « Utile non debet per inutile vitiari »; *nisi* a) *constet, eo dempto* suffragio nullo, *electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum*, et haec sit exceptio prima; secunda vero in poenam electorum admittentium: b) *aut nisi* I° *scienter* quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » intelligendas ad normam can. 2229, §§ 1 et 2, *admissus fuerit* II° *excommunicatus* III° *per sententiam* iudicis ut supra, *declaratoriam* illius tamquam incursae, *vel condemnatoriam* illius censurae subeundae, non vero alia censura affectus, vel excommunicatus absque utraque sententia. - His addenda tertia exceptio ex can. 165, quando nempe « collegio extraneus admittatur ad suffragium, nullo in contrarium privilegio legitime quaesito », tunc enim tanquam « per speciem generi derogatur » (reg. iuris 34 in 6°), scilicet: « electio est ipso facto nulla » (can. 165), non obstante hac norma magis generali (can. 167, § 2) statuente quod « electio valet ».

112. **Elector infirmus,** — *Can. 168. Si quis ex electoribus* a) *praesens in domo sit in qua fit electio* v. gr .in Conventu, et notetur haec conditio, *sed* b) *electioni ob infirmam valetudinem*, et ob hanc solum causam, sive decumbat sive non, *interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur*, de quibus infra, ne rationabiliter superaffligatur, *nisi aliter particularibus* locorum, personarum moralium, collegiorum, illudque verbum disiunctive applicetur *legibus* proprie dictis ob scripturam qua feruntur, *vel consuetudinibus*, etiam quae in normas a iurisdictione non profluentes fundatur, *fuerit constitutum*, nam in hoc casu tamquam electoris qualitas deficiens consideranda est personalis in loco electionis praesentia.

113. **Suffragiorum qualitates necessariae.** — De conditionibus suffragiorum ad ipsorum validitatem sunt duo cann. seqq. *Can. 169.* § 1. *Suffragium est nullum nisi fuerit* (habens has conditiones): *1° Liberum: et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi* v. gr. patiendi vulneris *aut dolo* iam alias

explicato in can. 103, § 2, *directe vel indirecte*, *adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive*, v. gr. Petrum vel Ioannem. Verbum « adactus » insinuat metum aut dolum ad praedictum finem esse adhibendum. Votum validum sit 2° a) *Secretum*, ita ut nemo illud inspiciat, nisi scrutatores ad normam can. 171, § 2, b) *certum* absque ambiguitate, c) *absolutum* sine conditione, d) *determinatum* quoad personam electi bene distinctam sive nomine et cognonime, sive officio, etc.

Sed quia de suffragio ait canon: sit « absolutum », addit clausulam suffragiorum salvatoriam § 2. *Conditiones ante electionem suffragio appositae*, atque in electionis actu non expressae, *tamquam non adiectae censentur*. Sic optime a Codice vitantur incommoda facile sequutura ex suffragiis has conditiones induentibus. Qualitates suffragiorum hoc in can. recensitae vigebant in praecedenti disciplina, quamvis secretum ex Conc. Trid. fuerit praescriptum pro quibusdam solum electionibus, nempe: regularium.

114. **Singularis voti conditio.** — Denique, si electus sit de gremio collegii, aliam conditionem de suffragio electi statuit efficaciter *can. 170. Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest.* Et si de huiusmodi suffragio necessario ad electionem in Ecclesiae foro alterutro constaret, nullitas electionis in eodem foro interno vel externo certa esset.

115. **Scrutinii forma.** — Incipiunt canones de processu electionis, et primus de forma scrutinii est *can. 171* § 1. *Ante electionem*, initio quidem sessionis *per secreta suffragia deputentur*, cum seq. exceptione: *nisi iam propriis statutis* Collegii *deputati sint*, a) *e gremio collegii* eligentium b) *duo saltem scrutatores*, ergo in plurali tantum numero admittuntur, *qui* c) *una cum praeside*, hic tamen sub conditione: *si et ipse e gremio collegii sit* eligentium, *iusiurandum interponant* a) *de munere fideliter implendo* i. e. eiusdem obligationes cum sinceritate adimplendo *ac* b) *de secreto servando circa acta in comitiis*, quorum praecipua sunt ipsa suffragia, secreto quidem custodiendo *etiam expleta electione*. Intelligendum: erga quoscumque ignorantes actum aliquem.

De scrutatorum officio seu obligationibus sequitur § 2. *Scrutatores* 1° *curent ut suffragia* a) *secreto*, b) *diligenter* absque inutili mora, c) *singillatim* unum post alium *et* d) *servato prae-*

cedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur per seipsum; 2° *collectisque ad ultimum suffragiis* i. e. post ultimi eligentis votum, *coram praeside electionis* tantum *secundum formam propriis constitutionibus vel consuetudinibus statutam*, vel similium collegiorum, si illa deessent in Collegio personae moralis recenter constitutae, a) *inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum* i. e. votum dantium, b) *suffragia ipsa scrutentur* in cuius sint favorem, c) *palamque faciant* h. e. publicent collegio eligentium, *quot quisque retulerit* scilicet: quot suffragia habuit unusquisque nominatorum in eis. Hinc patet non admitti a Codice, ut verbotenus pandant electores scrutatoribus suffragia, sed haec in scripto esse ferenda.

Actus post scrutinium recensent sequentes §§ⁱ. — § 3. *Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum*. Unde scrutinium iterandum. Videretur hoc non officere, quominus scrutentur ac publicentur suffragia ad normam praecedentis §ⁱ. Sed aliter servandum est secundum legislatoris mentem, nam si ita faciendum esset, inutiliter praescripta fuisset praevia scrutationi computatio votorum. Omittitur hypothesis de numero suffragiorum minori quam eligentium propter curam scrutatorum impossibilis. - § 4. *Suffragia statim* a) *peracto unoquoque scrutinio*, si unicum in sessione, *vel* b) *post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia*, quia praecedentes electionem non perfecerunt ad normam can. 101 vel aliorum iuxta electionum diversitatem, *comburantur* omnia collecta suffragia. - § 5. *Omnia electionis acta ab eo*, a) *qui actuarii munere fungitur*, i. e. secretarii vel notarii, *accurate describantur*, *et saltem* b) *ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta*, c) *in collegii tabulario diligenter asserventur*.

Tres formae electionis canonicae admissae fuerunt a cap. « Quia propter » 42 Tit. de electione et electi potestate Decretal. [1]: « per scrutinium », de quo egimus, « per compromissum » et « per quasi-inspirationem ». Haec ultima forma reservata pro electione Rom. Pontificis ut vidimus, fuit suppressa in Codice pro aliis canonicis electionibus.

116. **Compromissi forma.** — De forma per compromissum sequuntur duo canones. *Can. 172.* § 1. *Electio, nisi aliud iure*

[1] Lib. I, tit. VI.

caveatur, i. e. legitime prohibeatur, *fieri etiam potest per compromissum, si nempe electores* omnes et singuli, a) *unanimi et* b) *scripto consensu*, verba non sufficiunt, c) *in unum vel plures idoneos* ad hoc *sive de gremio* eligentium *sive* ipsi *extraneos* d) *ius eligendi pro ea vice transferant*, ex concessione huius canonis, *qui nomine omnium ex recepta facultate* propter eorum commissionem, *eligant.*

§ 2. *Si agatur de clericali collegio, compromissarii debent esse sacerdotes*, non quilibet clerici, *secus electio est invalida.* Hoc praescriptum insinuat posse collegium electionis, de qua in art. isto, componi ex laicis, v. gr. in electionibus religionis laicalis, atque tunc electio non est directa ad officium ecclesiasticum stricto sed lato sensu providendum, quod voluimus expressum relinquere interpretantes can. 160.

De compromissariorium officio est adiunctus § 3. *Compromissarii* I° *debent* (animadvertatur) *pro validitate electionis conditiones* a) *compromisso appositas*, non omnes, sed b) *quae non sint contra ius commune, observare;* II° *si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones*, i. e. sacri canones, quatenus compromissi exercitio congruant, unde vota duorum tantum compromissariorum non dentur secreta; III° *conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur*, ideo nec observandae.

Conformiter ad can. 170 eumque applicando, ne videretur solum de electorum collegio esse intelligendum, statuit § 4. *Si* I° *ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam* eligentem, *haec nequit seipsam eligere*, uti servandum esse diximus de Rom. Pont. electione; II° *si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis proprio consensu* voti sui *potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat;* nempe: adimplendo numerum votorum requisitorum ad electionem per ipsos, forsan sub conditione unanimitatis, perficiendam.

117. **Compromissi cessatio.** — Nec compromissum est perpetuum ad usque felicem exitum, sequitur enim in *can. 173. Cessat compromissum*, effectu illius nondum obtento, *et ius eligendi redit ad compromittentes* cum limitatione ob can. 161 circa tempus ad eligendum utile ibidem explicata: *1° Revocatione a collegio facta* sc. a maiori parte collegii electorum, cum non di-

catur a toto collegio vel unanimiter, *re integra* i. e. nondum incepta executione compromissi. - 2° *Non secuta aut non servata* pro diversitate conditionum, quatenus hae pendeant vel minus a compromissariis, *aliqua conditione compromisso apposita*, quae nempe non sit contra ius commune iuxta ultimum comma praec. § 3. - 3° *Electione absoluta* i. e. completa, *si fuerit nulla* quacumque demum de causa.

118. **Electio efficax.** — Sive igitur per scrutinium sive per compromissum perficiatur electio, statuit *can. 174. Is electus habeatur et a collegii praeside proclametur*, i. e. denuntietur qua talis collegio, *qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1;* hoc est: « demptis suffragiis nullis, maiorem absolute numerum eligentium », vel si agatur de tertio scrutinio « maiorem relative numerum », tamquam norma generalis pro electionibus, salvo iure communi aut particulari aliter statuente, sicut ibi fuit declaratum. - Propter hanc normam in electione sequendam, quae in postulationis can. 180 « ut postulatio vim habeat » nullo modo memoratur, refert scire, quando praesens vel ille canon sit sequendus, aliis quidem eligentibus, aliis postulantibus. Canon iste applicari etiam debet, quando aliqui suffragium dantes ad seq^s. Art^i. normas postulando procederent, (dummodo hi non sint ultra dimidiam partem omnium de collegio) quia tunc eligentes ius efficax collegii possident, utpote quod electio esset perfecta, si in unum electum convenirent, nec proinde postulatio vim consequi unquam potest, nec concurrit proprie cum electione, ut canon 180 applicandus sit. Hoc ipsum confirmatur ex authentico rescripto ad casum infra referendo.

119. **Electionis intimatio.** — Canones sequentes dirigunt diversos actus consequentes electionem usque ad perfectam officii ecclesiastici provisionem. *Can. 175. Electio illico intimanda est* a praeside collegii qua tali *electo* in praec. can. declarato, praesenti domi verbotenus, absenti per epistolam, *qui debet saltem intra octiduum*, uti maior temporis limes, sed notetur *utile* [1] *a recepta* per ipsum *intimatione*, proinde supputan-

[1] Can. 35. Tempus utile illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat.

dum ad normam can. 34, § 3, 3°, *manifestare* verbis, signo inaequivoco, aut scripto ad intimantem directis unum ex duobus: a) *utrum electioni consentiat*, b) *an eidem renuntiet; secus*, id est: si intra illud tempus nihil manifestaverit, *omne ius* oriens *ex electione quaesitum amittit*, seu electio viribus evacuatur. - Id non applicandum videretur religiosis quoad sui ordinis ecclesiastica officia stricto vel lato sensu ad quae eligantur, si subsequutura sit confirmatio, eo quod etiam in hoc eorum voluntas in Superiorum potestate sit posita, prout ait Bonifacius VIII in cap. 27 de electione (I, 6) in 6°: « Si religiosus (cuius arbitrium non ex sua, cum velle vel nolle non habeat: sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, et cuius imperio se subiecit, voluntate dependet) electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium », etiam regularem praelationem de qua in facti specie quaestio fuit proposita, cui Decretalis respondet, « vel suam ecclesiam celebratae, sui superioris, qui dare ipsam valeat, non petita licentia et obtenta, praesumpserit consentire: consensus sic praestitus non teneat ». Unde congruenter praec. disciplinae concludere possumus cum Piat[1]: in hoc religiosis standum est ad praescriptum regulae et constitutionum propriae religionis.

Ita canonem interpretatus sum in prima editione innixus praescripto can. 6, 2° « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi ». Ius enim de electionibus servandum erat quoque « in electionibus quae a Capitulis fiunt ». Authentica interpretatio huius can. 175 per modum legis exhibita nondum prodiit, quamvis ad casum contraria interpretationi datae prodierit, fortassis propter clausulam can. 507: « praeter cuiusque religionis constitutiones eidem non contrarias ». Nempe ad I et II, 4 Nov. 1919.

120. **Intimationis effectus.** — Pro diverso electi modo se gerendi post intimationem disponit adiungens cautiones *can. 176. § 1. Si electus renuntiaverit* electioni, ut supra, a) *omne ius ex electione quaesitum amittit, etsi renuntiationis eum postea* quam manifestaverit *poeniteat;* b) *sed rursus eligi potest;* c) *collegium autem intra mensem a cognita renuntiatione*, quamvis

[1] Prael. iuris regul. tom. I, pag. 546, q. 2, 3°.

ultra mensem tempus decurrerit a renuntiatione peracta, imo et « ultra trimestre... computandum ab habita notitia vocationis officii » (can. 181), *ad novam electionem procedere debet.* Praeses collegii vel ille cui manifestanda est renunciatio, debet quamprimum eam collegio notam facere, ut patet, eodemque vel alio actu novam convocationem intimare pro electione intra mensem, ad normam can. 162. — § 2. *Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat,* v. gr. in electione supremi Superioris regularis, *plenum ius statim obtinet* in officio ecclesiastico, seu de eodem providetur a iure ; *secus*, i. e. si egeat confirmatione, *non acquirit nisi ius ad rem*, i. e. potest iure petere, ut provideatur per confirmationem. Idque etiam ex resp. ad 4^{m} in casu, 4 Nov. 1919. Propterea monet § 3. *Ante acceptam confirmationem* a) *ipsi* electo *praetextu* solo *electionis* (nec canon iste alium tutulum considerat) *non licet sese immiscere administrationi* seu gestioni *officii sive in spiritualibus, sive in temporalibus, et* b) *actus ab eo forte positi nulli sunt*, tamquam eius qui de officio illo non est canonice provisus, ad normam can. 147, § 1. « Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri ». Imo plectitur poenis impositis per can. 2394 in Lib. V commentandum.

121. **Electionis confirmatio.** — *Can 177.* § 1. *Electus* ad normam can. 174, *si electio confirmatione indigeat*, pro illo enim solo est conditus hic canon, *saltem intra octiduum* « continuum » *a die acceptatae electionis*, hoc die quidem excluso, et casu quo praecesserit acceptatio iuxta can^{s}. 175 explicationem, *confirmationem a competente Superiore* ad illam dandam *petere per se vel per alium debet; secus* i. e. si non petat intra dictum tempus, *omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento fuisse detentum;* scilicet illud octiduum est intelligendum utile. Attamen huiusmodi impedimentum erit probandum.

§ 2 conformis § 2. praec. canonis. *Superior, si* a) *electum repererit idoneum, et* b) *electio ad normam iuris fuerit peracta*, propter electi ius ad rem *nequit confirmationem denegare.* Subdit § 3. *Confirmatio in scriptis dari debet* ad normam can. 159, utpote provisio officii eccles., et hic quemadmodum et ibi, ut aliis testimonium sit de iure in officio, quod provisus obtinuit, non ad confirmationis validitatem vi huius ac citati canonis.

Nec iste paragraphus est inutilis, eo quod ille canon est sub Art. « de electione » positus, quae iuridice a confirmatione in hoc § considerata differt. - Quale hoc ius sit, non edocet § 4. *Recepta confirmatione*, atque acceptata, nisi praecesserit prout de iure communi acceptatio electionis, *electus obtinet plenum ius in officio* i. e. officium fit eius, *nisi aliud in iure caveatur* sive scripto sive consuetudinario.

122. **Provisionis devolutio.** — Quandonam et ad quem officii electivi provisio libera deveniat, dicit *can. 178. Si electio intra praescriptum tempus* ad normam can. 161 et 176, § 1. *peracta non fuerit*, en prima hypothesis; additurque altera: *aut Collegium*, non quidam solummodo de collegio vel fere omnes, *iure eligendi privetur in poenam*, sive ut collegium v. gr. eo « quod indignum scienter elegerit » (can. 2391, § 1) sive ut singuli omnes, *libera officii provisio* peragenda ad normas art.[i] praec.[s] *ad eum Superiorem devolvitur* vi huius canonis, *a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit*. Quae clausula disiunctiva explicata manet in can. 161. Hinc dicere possumus; devolutio est: « Expediti iuris ad libere conferendum officium ecclesiasticum acquisitio ex lege propter negligentiam aut in poenam competentium electorum, patronorum aut nominantium (sive ex privilegio aplco, sive provisione canonica) clerici ad illud officium ».

ART. III. - *De postulatione.*

CAN. 179. - § 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competente Superiore postulare, etsi agatur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

CAN. 180. - § 1. Ut postulatio vim habeat, pro ea stet oportet maior suffragiorum pars, imo, si cum electione concurrat, saltem duae tertiae partes requiruntur.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valet pro electione si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione.

CAN. 181. - § 1. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad Superiorem ad quem pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi; secus ad Romanum Ponteficem aut ad alium habentem facultatem.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evadit et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. Per postulationem nullum ius postulato acquiritur et Superiori licet eandem repellere.

§ 4. Praesentatam Superiori postulationem electores revocare non possunt, nisi Superiore consentiente.

Can. 182. - § 1. Reiecta a Superiore postulatione, ius eligendi ad collegium redit, nisi electores scienter illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam canon. 175.

§ 3. Si eam acceptet, plenum ius in officio eidem statim acquiritur.

123. **Inscriptio articuli et canones.** — Consequenter his quae dicta sunt ante art. I huius capitis, sequitur *Art. III. De postulatione*, quam ex can. 179 possumus sic definire; postulatio est: « actus quo electores suis suffragiis designant competenti Superiori ecclesiastico clericum de officio electivo ex gratia providendum, quando electioni eius quem aptiorem putant ac praeferunt, impedimentum obest, super quo dispensari possit ac soleat ». Haec postulatio ab Auctoribus solet vocari solemnis, praeter quam datur postulatio simplex, de qua sic quoque appellata canonem infra inveniemus. - Sub articulo quatuor canones taliter ordinantur, ut illis praevie determinatis qui postulare queunt, et quaenam in postulatione sint servanda, ut haec vim habeat, de actibus postulationem subsequentibus duo canones postremo ponantur.

124. **Postulatio electoribus concessa.** — *Can. 179.* § 1. *Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferant*, quod ut respiciatur in libera officiorum provisione est praescriptum, nam idoneitas comprehendit personae aptitudinem atque qualitates iure requisitas. Si ergo quoad has « electioni illius » supradicti *impedimentum obest*, huiusmodi tamen *super quo dispensari possit* eo quod iure tantum ecclesiastico viget, *ac soleat* dispensari, secus enim provisioni texerentur inutiles morae, *suis ipsi suffragiis* electores *eum possunt*, tamquam norma generalis, ergo: *nisi aliud iure* idest: norma obligatoria in scriptis vel per consuetudinem inducta *caveatur*, *a competente Superiore* scilicet: designando in can. 181, § 1, *postulare*, et hoc sine distinctione officiorum iuxta clausulam: *etsi agatur de officio, pro quo electus confirmatione non egeat*. - Idque planum est, quando per scrutinium fit personae designatio. De alia vero forma distinguit § 2. *Compromissarii postulare nequeunt*, ut norma iuris, *nisi id in mandato aut compromisso*, quibus ver-

bis designatur idem actus transferendi ius eligentium. *fuerit expressum.* Constituit ergo hic §us. iuridicam exceptionem reg. iuris 42 in 6°: « Accessorium naturam sequi congruit principalis ».

125. **Postulationis normae.** — *Can. 180. Ut postulatio vim habeat* ob exercitium iuris collegii, *pro ea est oportet maior suffragiorum* pars absolute dicta, i. e. plusquam dimidium votorum concurrant in eamdem personam postulandam, proindeque exceptio est canonis 101 § 1 circa actus personarum moralium collegialium. Et quandoque nec ille numerus sufficiens erit, scriptum est enim: *imo si cum electione concurrat,* videlicet: si ex collegio quidam suffragio eligant, quin partem dimidiam votum dantium superent, postulentque alii, nempe: maior saltem pars suffragium dantium, (nam in minori numero, numquam ex ss. canonibus ius collegii efficax obtinent, quamvis omnes via postulationis procederent), *saltem duae tertiae partes requiruntur* suffragiorum postulantium ex omnibus votis demptisque suffragiis nullis, ac insuper memorata invaliditate suffragii, quod sibimetipsi aliquis daret, ad normam can. 170, qui quamvis sub art. de electione sit, ob generalem loquutionem et quia postulatio est electioni accessoria, de illa etiam intelligendus est. - Huiusmodi praescriptum quando postulatio cum electione concurrat » desumptum est ex Decretali « Scriptum est » 40 de electione, etc. (I, 6), quin tamen queat invocari eiusdem Decretalis pars circa electionem validam ultra tertiam suffragiorum partem contra ceteros postulantes, utpote derogata vi can. 174. Haec interpretatio confirmatur ex resp. ad 6m consequenter respi. ad 5m., ac in resp. ad 7m., 4 Nov. 1919.

De forma suffragii postulantium erat determinandum, apprime cognoscenda propter §m praecedentem: hinc subditur statim § 2. *Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: postulo, aut aequivalens;* alias intelligitur suffragium electivum; *formula: eligo vel postulo, aut aequipollens valet* pro alterutro i. e. *pro electione, si impedimentum non existat, secus* id est: solum quando impedimentum existat, *pro postulatione.* Atque rationabiliter, ut validitas voti salva sit.

126. **Postulationis missio.** — *Can. 181.* § 1. *Postulatio saltem intra octiduum* « continuum, sed postulationis dies ne computetur in illo » (can. 34, § 3, 3°), *mitti debet* a collegio propter § 2m *ad Superiorem* sive iurisdictione sive sola potestate

dominativa praeditum, *ad quem pertinet electionem confirmare*, quia illa est in huius subsidium, et haec praescriptio est secundum postulationis definitionem, attamen *si facultatem habeat ab impedimento dispensandi*, alias protraheretur missione hac officii provisio, propter quod canon etiam ait: *secus* a) *ad Romanum Pontificem*, qui certe potest, *aut* b) *ad alium habentem facultatem*. Nihil tamen obest (quia non prohibetur) quominus haec postulationis missio per intermedium « Superiorem » illum fiat, ut habetur in resp. ad 8m. citati casus, 4 Novembris 1919. - Nec obiiciatur per talem Superiori alii factam praesentationem, fraudari confirmatorem pro hac vice iure suo providendi: nam respondendum est: huiusmodi ius Superioris competentis ad confirmationem non existere in casu, eo quod ss. canones ex quibus illud oritur, sic idem limitarunt, nec electores postulantes ullam eidem Superiori iniuriam inferunt utentes iure suo.

Sanctionem addit efficacem § praec. § 2. *Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit*, quin consideretur tempus receptionis per Superiorem, a) *ipso facto nulla evadit* i. e. irritatur, insuper *et* b) *electores* omnes, non tantum postulantes, *pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi*, quod disiunctive recte ponitur quia idem est ius ratione finis, quamvis actus eius in electione sit iuridice diversus a postulatione: sed cum sit poena pro collegio ut tali, proinde quia non servavit § praec. praescriptum, addita est exceptio: *nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento* scilicet: inobservantiae huic canonis proportionato, nec sufficit impedimentum adfuisse.

Diversitatem effectus in postulato ac in electo refert § 3. *Per postulationem* a) *nullum ius postulato acquiritur*, eo quod propter impedimentum ab obtinendo officio arceatur, ideo *et* b) *Superiori licet eamdem repellere*, quia ipsa admissio gratia quaedam esset. - Quamvis voluntatis mutatio in postulantibus non laederet ius aliquod tertii, tamen praescribit § 4. *Praesentatam Superiori postulationem electores revocare non possunt*, secus a sensu contrario ante praesentationem, *nisi Superiore consentiente*, cum hoc nempe consensu possent. Praescriptio canonis fundamentum habet in reverentia Superiori debita.

127. **Postulationis reiectio vel admissio.** — De actu Superioris reiicientis vel admittentis postulationem est *can. 182.* § 1. *Reiecta* quibuslibet verbis id exprimentibus *a Superiore*, cui praesentata fuit, *postulatione*, a) *ius eligendi ad collegium redit, nisi electores scienter* proindeque voluntarie contra postulationis naturam agentes *illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari;* b) *tunc enim provisio ad Superiorem pertinet.* Scilicet ad quem devolvitur a iure provisio libera officii ecclesiastici de quo agitur, ad normam can. 178.

§ 2. *Quod si postulatio admissa fuerit*, postquam Superior postulatum repererit alioquin idoneum et postulatio ad normam iuris peracta fuerit, ut in can. 177, § 2 edicitur de electionis confirmatione, quia postulatio est in electionis subsidium, sicut ad can. 181, § 1 fuit animadversum. Eveniente igitur admissione praefata, a) *id*, nempe: postulationis admissio secumferens canonicam provisionem ad normam can. 148, § 1, proindeque scripto consignanda iuxta can. 159 praescriptum, *significetur postulato*, quin necesse sit vi canonis ad eum mittere praedictae admissionis documentum. Non designatur a quo sit ei significandum illud, hinc vel ab eodem Superiore postulationem admittente, qui sit competens ad providendum, vel a collegio electorum huiusve praeside cui mitteretur postulationis admissio, *qui* scilicet: postulatus b) *respondere* proinde significanti *debet ad normam can. 175*, ubi de intimatione electionis actum est, videlicet: « intra octiduum utile ».

§ 3. *Si eam acceptet, plenum ius in officio eidem statim acquiritur;* sicut dictum est de recepta electionis confirmatione in can. 177, § 4. Si expresse non acceptet seu renuntiet, regere debet can. 176, § 1 relativus can. 175 citato in §° praecedenti, ex quo habemus etiam quod si nihil respondeat: « omne ius ex electione quaesitum », in casu nostro ex admissa postulatione « amittit ». Sed melius dicendum: in utroque casu nullum quod ad postulationem pertinet ius acquirit, quia deest conditio paragraphi « si eam (postulationem admissam) acceptet ».

CAPUT II.

De amissione officiorum ecclesiasticorum.

Can. 183. - § 1. Amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti.

§ 2. Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione habeatur clausula: *ad beneplacitum nostrum,* vel alia aequipollens.

Can. 184. - Quisque sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi interdicta.

Can. 185. - Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo aut errore substantiali vel simoniace facta, irrita est ipso iure.

Can. 186. - Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a renuntiante aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum; et scriptum renuntiationis documentum in Curia deponatur.

Can. 187. - § 1. Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet a quo est acceptanda, vel, si acceptatione non egeat, a quo clericus officium accepit vel qui eiusdem locum tenet.

§ 2. Quare si officium per confirmationem, admissionem vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori ad quem de iure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat.

Can. 188. - Ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus:

1° Professionem religiosam emiserit, salvo, circa beneficia, praescripto can. 584;

2° Intra tempus utile iure statutum vel, deficiente iure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit;

3° Aliud officium ecclesiasticum cum priore incompatibile acceptaverit et eiusdem pacificam possessionem obtinuerit;

4° A fide catholica publice defecerit;

5° Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit;

6° Contra praescriptum can. 141, § 1 militiae saeculari nomen sponte dederit;

7° Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit;

8° Residentiam, qua tenetur, illegitime deseruerit et receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit.

Can. 189. - § 1. Superiores sine iusta et proportionata causa renuntiationes ne acceptent.

§ 2. Renuntiationem Ordinarius loci intra mensem vel admittat vel reiiciat.

Can. 190. - § 1. Officium, renuntiatione legitime facta et acceptata, vacat postquam renuntianti significata est acceptatio.

§ 2. Renuntians in Officio permaneat donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit.

Can. 191. - § 1. Semel legitime facta renuntiatione, non datur amplius poenitentiae locus, licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi.

§ 2. Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat iis qui aliquod ius in officii provisionem habent.

Can. 192. - § 1. Privatio officii incurritur sive ipso iure, sive ex facto legitimi Superioris.

§ 2. Si agatur de officio inamovibili, Ordinarius nequit clericum eodem privare, nisi mediante processu ad normas iuris.

§ 3. Si de amovibili, privatio decerni ab Ordinario potest ex qualibet iusta causa, prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum, naturali aequitate servata, sed certum procedendi modum sequi minime tenetur, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles;

privatio tamen effectum non habet, nisi postquam fuerit a Superiore intimata; et ab Ordinarii decreto datur recursus ad Sedem Apostolicam, sed in devolutivo tantum.

CAN. 193. - § 1. Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum ab eo tantum perfici potest, qui ius habet tum acceptandi renuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum.

§ 2. Ad translationem, si de consensu clerici fiat, quaelibet iusta causa sufficit; si invito clerico, eadem fere causa requiritur idemque procedendi modus ac pro privatione, firmo praescripto can. 2162-2167, quod ad translationem attinet parochorum.

CAN. 194. - § 1. In translatione prius officium vacat cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi aliud a iure cautum sit vel a legitimo Superiore praescriptum.

§ 2. Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit.

CAN. 195. - Qui clericum ad officium elegerunt vel postulaverunt aut praesentaverunt, nequeunt eundem officio privare aut ab eo revocare seu amovere aut ad aliud transferre.

De amissione officiorum ecclesiasticorum.	possibili per unum ex sex modis		Can. 183
	— ob renunciationem	— a quo peractam	» 184
		— quando haec est irrita	» 185
		— quo modo, ut valida sit	» 186
		— cuinam, ut valide fiat	» 187
		— tacitam	» 188
		— quando admittendam	» 189
		— in renuntiante efficacem	» 190
		— semel legitime factam	» 191
	— ob privationem		» 192
	— ob translationem	a quo et qua de causa	» 193
		quoad huius effectus	» 194
	a quo illa non dependeat		» 195

128. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Cum « provisio officii de iure non vacantis sit ipso facto irrita » ex can. 150, intime connectitur cum capite I « De provisione officiorum ecclesiasticorum » hactenus explicato huius Tituli *cap. II. - De amissione officiorum ecclesiasticorum* ab illis nempe, qui eadem iure obtinuerunt, et officia heic accipiantur in sensu Tituli. Can. 183 exhibet omnes modos huius amissionis, canones vero alii singulos modos regunt, ita ut de renunciatione sint octo

canones 184-191, de privatione amotioneve unus tantum 192, de translatione duo 193, 194, et postremus seu 195 decernit a quibus haec diversa fieri nequeunt, quamvis ad providendum officium partem habuerint.

129. **Amissionis sex modi.** — *Can. 183.* § 1. *Amittitur officium ecclesiasticum* a) *renuntiatione*, tamquam si nuntietur reipsa haec amissio ex propria voluntate sequenda; b) *privatione*, quae innuit amissionem esse impositam et quidem iuxta demeritum, nam si absente demerito illa feratur, suaviori verbo, nempe: c) *amotione* appellatur: si coniungatur amissio alterutra imposita cum provisione eiusdem clerici de officio altero, proprie d) huius *translatione* fit, demum quando simul ac providetur aliquod officium, determinatur amissio eventualis, tunc haec contingit e) *lapsu temporis praefiniti.* Et hi sunt quinque modi; de sexto loquitur simulque praescribit § 2. *Resoluto quovis modo iure Superioris*, i. e. auctoritate ipsius qui providit ecclesiasticum officium, seu: *a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum* illud *non amittitur*, et est norma generalis, proinde *nisi lex aliud caveat*, et en 1ª exceptio: v. gr. Officium Card. Cancellarii S. R. E. (C. « Vacante Sede Apostolica » n. 17), *aut* 2ª *nisi in concessione habeatur* inserta *clausula*: *ad beneplacitum nostrum, vel alia aequipollens;* cuiusmodi certe non est clausula: « ad Aplcae. Sedis beneplacitum », quemadmodum explicantur hae clausulae similes in cap. 5 de Rescriptis in 6° (I. 3): « Si gratiose tibi a Rom. Pont. concedatur ut beneficia... posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere: huiusmodi gratia per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum (quoad influxum in rebus huius mundi) omnino extinguitur, eo ipso expirat. Secus autem, si usque ad Aplcae. Sedis beneplacitum gratia concedatur praedicta: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata ».

130. **Renunciatio.** — Nunc de renunciatione primo in seipsa, quando haec fiat expresse, posteaque de tacita renunciatione, secundo de renunciationis admissione aut reiectione atque ultimo de ipsius effectibus.

131. **Quis renuntiare possit.** — *Can. 184. Quisque sui compos*, dum talis est actu, *potest* valide secundum ius naturae atque canonicum *officio ecclesiastico* quod obtinet, etiam Ro-

mano Pontificatui, sed *iusta de causa* pro liceitate *renuntiare*, non enim leviter est agendum, *nisi speciali prohibitione* facta ob rationem officii vel personae *renunciatio sit ipsi interdicta*, quolibet iure ac secundum vim huius vel a Rom. Pont.

132. **Renunciationes irritae.** — *Can. 185. Renunciatio* a) *ex metu gravi* iam alias explicato, sive in se sive quoad formam *iniuste incusso*, b) *dolo* etiam explicato, c) *aut errore substantiali* etiam explicato d) *vel simoniace facta* i. e. interveniente pacto vel voluntate de pretio temporali propter renuntiationem accipiendo, sicut explicatur initio Libri III, quaecumque ex illis renunciationibus *irrita est ipso iure*. Nulla omnino, et est exemplum legis irritantis. Explicationes quas insinuavimus, inveniuntur ad can. 103, 104. Praedictae conditiones renunciationis possunt vocari negativae, seu quibus carere debet. ut illa valeat.

133. **Conditiones renunciationis.** — Quibus qualitatibus ornari debeat renunciatio ad eius validitatem, statuit sequens *can. 186. Renunciatio, ut valida sit, fieri debet a renunciante aut* a) *scripto*, et sufficit, *aut* b) *oretenus coram duobus testibus*, atque hic modus sicut et praecedens per seipsum: admissa vero hic Reg. 68 Iuris in 6° « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum », additur tertius modus renuntiandi: *aut etiam* c) *per procuratorem speciali mandato* ad renunciationem dandam *munitum*: et hucusque se porrigit clausula: « ut valida sit »; sequitur vero praescriptum servandum etiam quando fit oretenus valida renunciatio: *et scriptum renunciationis documentum* saltem a notario exaratum *in Curia deponatur* i. e. in eius Archivo de quo postea.

134. **Cuinam facienda sit.** — Sequitur cuinam facienda est renunciatio pro diversitate provisionis officii renuntiandi. *Can. 187.* § 1. *Renunciatio* I° *generatim*, hoc adverbium innuit exceptionem saltem dari, et ita esse videbimus, *ut valeat, ei fieri debet a quo est acceptanda*, quod de diversis officiis opportune determinabitur; *vel*, II° *si acceptatione non egeat*, quod aliunde patebit, v. gr. « si contingat ut Romanus Pontifex renunciet » ex can. 221, « Vicarii Capitularis et oeconomi renunciatio » ex can. 443, § 1, renunciatio tunc ei fieri debebit *a quo* a) *clericus officium* renunciandum *accepit*, v. gr. a Superiore ecclesiastico per liberam collationem, a collegio electorum

propter electionem, quae confirmatione non indigebat, *vel* b) *qui eiusdem locum tenet*, sive tamquam successor, sive tamquam deputatus a lege aut ab homine pro huiusmodi renunciatione recipienda. - Hinc normam istam applicans ait § 2. *Quare si officium* a) *per confirmationem*, b) *admissionem vel* c) *institutionem collatum fuerit*, de libera collatione in praec. §°, *renunciatio fieri debet Superiori ad quem de iure ordinario*, proindeque generaliter servando, a) *confirmatio*, b) *admissio vel* c) *institutio spectat*. Idque servandum quoque in officii renunciatione, quod ab alio Superiore receptum fuit ob ius devolutionis ad normam can. 158 et 181 § 2.

135. **Renunciatio tacita**: — Praeter renunciationem quae expresse ac directe fiat a clerico de officio a semetipso habito, datur renunciatio per alios actus, ex quibus indirecte ac sine verbis vel scripto illam fieri decernit *can. 188. Ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam*, quo insinuatur admissionis generalis necessitas, quia ex Ecclesiae atque clerici simultanea voluntate et quasi-contractu traditum acceptumque est officium; *quaelibet officia* sine ulla limitatione *vacant ipso facto et sine ulla declaratione* seu Praelatorum actu, *si clericus*: - *1° Professionem religiosam* quamcumque, etsi temporaneam *emiserit*, *salvo*, *circa beneficia*, quae ceteroquin continent officium, *praescripto can. 584*. Videlicet: « Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium, cetera ». Et causa haec renunciationis est licita: non ita sequentes.

2° Intra tempus utile a) *iure statutum* quocumque sive communi sive particulari, scripto vel consuetudinario, *vel* b) *deficiente iure certo*, *ab Ordinario determinatum*, *de officio provisus illud adire neglexerit*, nempe provisus cum pleno iure in officio, huius possessionem capere omiserit sciens ac potens, et est in negligentiae poenam, quamvis directe prospiciat canon, ne officia sustineant longam moram eorum exercitii. - Deinde in efficacem sanctionem incompatibilitatis officiorum statutae ac definitae in can. 156 § 1, 2, subditur: *3° Aliud officium ecclesiasticum cum priore* officio iam habito *incompatibile* a) *acceptaverit* contra can. 156 collatum, *et* praeter hoc b) *eiusdem pacificam* i. e. a nemine controversam *possessionem obtinuerit*: his duobus positis vacat de iure primum officium.

4° *A fide catholica*, non solum interne, vel etiam externe ast occulte, sed *publice defecerit*, i. e. per haeresim formalem seu cum pertinacia errans circa dogma fidei aut per apostasiam a fide, quamvis in alterutro casu sectae cuicumque non adhaereat; non sufficit vero schisma qua tale. - « Publice » autem interpretandum est ad normam can. 2197, 1°: « Delictum est publicum si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri ».

5° *Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt*, ideoque quamvis qualibet ex causa invalidum, sicut est illud, *contraxerit*, forsan solum externe, serio tamen, non ludi causa vel ficte. - Cum ergo canon iste loquatur generice « si clericus » id egerit, sequitur interpretandus sive de constituto in sacris matrimonium attentante, sive de minorista validas nuptias ineunte.

6° *Contra praescriptum can. 141, § 1 militiae saeculari nomen sponte dederit*. Verba sunt eadem ac in §° 2 eiusdem can. tunc explicata, sed in praesenti canone applicantur etiam clerico in sacris, dum ibi loquebantur de clerico minore.

7° *Habitum ecclesiasticum* in can. 136, § 1 prima parte definitum, a) *propria auctoritate* b) *sine iusta causa* i. e. huic legi proportionata *deposuerit*, c) *nec illum, ab Ordinario* cui subiiciatur *monitus*, d) *intra mensem* non iam utilem, sed « continuum quod nullam patitur interruptionem » (Can. 35) *a monitione recepta, resumpserit* equidem non solum ad horam, ut illudere videatur Superiori. Sed per aliquod tempus resumpto continue habitu ecclesiastico, necessaria esset nova monitio. - Etiam haec verba canonis in n. 7 fere concordant cum § 3 canon. 136, sed ibidem agitur de clericis minoribus, in praesenti canone de quocumque clerico.

8° *Residentiam* proprie dictam, *qua tenetur* propter beneficium aut officium residentiale, nam specialis obligatio clerici, non generalis ad normam can. 143, innuitur a prosequente canone: *illegitime* i. e. non servatis canonum praescriptis *deseruerit* proprie, quod non significat solum a propria dioecesi discedere contra vetitum can. 143. E contra illa residentia deseri potest ab eo etiam qui intra dioecesim commoretur. Quae interpretatio roboratur ex citatione huius numeri in can. 2168 et ex « modo procedendi contra clericos non residentes » in Ti-

tulo XXX lib. IV, qui praesentis canonis interpretationi congruunt. Declarata desertio requiritur primo, atque secundo *et receptae Ordinarii* sui *monitioni* de restauranda residentia, III° *legitimo impedimento non detentus*, quod fuerit recognitum a legibus vel saltem proportionatum, IV° *intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum*, de cuius congruitate iudicat et curat Ordinarius, a) *nec paruerit* b) *nec responderit*, excusando nempe seipsum, quod sufficit.

Perpendentes nunc facta exposita, quae renunciationem officii tacitam continent, sic, memoriae iuvandae causa, possunt coadunari: primum est factum licitum, duo sequentes sunt occasione officii recepti, tertia causa in n. 4 est defectio a fide et aliae quatuor respiciunt diversas obligationes clericorum.

136. **Renunciationis acceptatio!** — *Can. 189.* § 1. *Superiores*, etiam religiosi, competentes *sine iusta* secundum aequitatem *et* officii singularis renunciationi *proportionata causa* vere existente, *renuntiationes* de quibus in hoc Capite agitur, *ne acceptent*. De illa penes ipsos est iudicium. Sed hoc vetito servato, ait § 2. *Renuntiationem* a clerico praesentatam *Ordinarius loci*, ergo huius §° praescriptum non ligat Superiores minores vel maiores etiam religionis clericalis exemptae, *intra mensem* continuum a receptione renunciationis *vel admittat vel reiiciat*. Nec admissio est generatim Ordinario praescripta.

137. **Acceptationis effectus.** — Casu quo renunciatio admittatur, subintrat quod statuit *can. 190.* § 1. *Officium, renunciatione legitime* i. e. ad normam canonum praecedentium *facta et acceptata*, et legitima praesumitur, *vacat postquam renuntianti significata est acceptatio*. Nec sufficit quod alteri significetur, usquequo ad renunciantem significatio directe pervenerit. Propterea statuit § 2. *Renuntians in officio permaneat*, quia eiusdem obligationes praetermittere non licet habenti illud, *donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit*, non tantum probabile moraliter.

138. **Renuntiationis status eiusque acceptationis notificatio.** — Ad similitudinem eius quod cautum est de postulatione, ac, ut videtur eadem de causa praescribit *can. 191. Semel* (notetur) *legitime facta renunciatione*, quamvis nondum acceptata, quia hoc non dicitur sicut in praec. canone fuit additum, *non datur amplius poenitentiae locus* i. e. revocationi, *licet renun-*

tians possit officium cum effectu renunciatum *ex alio titulo consequi*, saltem numerice distincto ab eo quo antea officium obtinuit. - Sequitur actus postremus renuntiationis occasione ponendus, de quo statuit § 2. *Acceptata renuntiatio tempestive nota fiat iis qui aliquod ius in officii* renuntiati *provisionem habent.* Electores nempe, patronus, etc., ac Superior ordinarius collator, si ab alio Superiore fuerit renuntiatio legitime acceptata. Non dicitur a quo facienda sit notificatio, sed cum Superior renuntiationem acceptans huius conscius sit, eius est per se vel per alios reddere certos interesse habentes.

139. **Officiorum privatio.** — De privatione sub distinctione duplici, tum modi, tum officii auferendi, procedit *can. 192. Privatio officii incurritur sive* a) *ipso iure*, quando canones id edicant indubie, *sive* b) *ex facto legitimi Superioris*; h. e. ad hanc privationem competentis ex lege scripta. Ecce prima distinctio: privatio ipso iure ac privatio ex facto legitimi Superioris seu ab homine.

Officia quaedam inamovibilia sunt, alia vero amovibilia, ut infra explicabitur. Hinc §us 2. *Si agatur de officio inamovibili*, ceu ad vitam concesso, *Ordinarius nequit clericum eodem privare*, ita ut privatio invalide fiat ob defectum potestatis aliter exercitae, *nisi mediante processu ad normam iuris* positam in Lib. IV, tit. XXVII, et de processibus in genere.

§ 3. *Si de amovibili* officio, *privatio decerni ab Ordinario potest* a) *ex qualibet iusta causa*, quae relinquitur eius prudentiae ponderanda, subditur enim: *prudenti eius arbitrio, etiam citra delictum*, etsi nempe non sit contra legem poenalem, quo casu vocaretur proprie amotio, b) *naturali aequitate servata*, i. e. quod ratio servandum dictat; distinctio vero a praecedenti privatione sita est praecipue in seqq.: c) *sed certum procedendi modum sequi minime tenetur*, posset tamen, *salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles* inveniendo in cit. Lib. IV, Tit. XXVIII; d) *privatio tamen* sub qua venit quoque amotio *effectum non habet, nisi postquam fuerit a Superiore intimata* clerico illud officium habenti; *et ab Ordinarii decreto* extraiudiciali quidem, non appellatio, bene tamen *datur recursus ad Sedem Apostolicam*, qui non in effectu suspensivo tenet decreti exequutionem, *sed* vim exerit *in devolutivo tantum* effectu, ita ut Sedes Apostolica sustineat vel irritet definitive decretum illud.

140. **Translatio.** — Cum translatio clerici de uno in aliud officium accidere possit ipso consentiente aut invito, de utraque translatione primus datur *can. 193.* § 1. *Translatio ab uno ad aliud officium ecclesiasticum ab eo tantum perfici potest, qui ius habet* a) *tum acceptandi renunciationem* habiti officii, si fieret, quando transfertur consentiens, b) *tum removendi a primo officio* in casu translationis inviti, et in utroque casu c) *promovendi ad alterum.* Quae diversa competentia ex ss. canonibus quoad singula officia eruenda erit. Sequitur cum distinctione § 2. *Ad translationem,* a) *si de consensu clerici fiat, quaelibet iusta causa sufficit,* i. e. secundum prudentiam; e contrario b) *si invito clerico* translatio fiat, *eadem fere causa requiritur idemque procedendi modus ac pro privatione* seu amotione ut supra, quam alterutram illa includit, *firmo praescripto can. 2162-2167* tantum in seq. accuratiori determinatione: *quod ad translationem attinet parochorum:* qui canones inveniuntur in Lib. IV sub Titulo XXIX « De modo procedendi in translatione parochorum ».

141. **Translationis effectus.** — De initio vacationis officii a quo transfertur clericus, cavet *can. 194* § 1. *In translatione* qualibet valida *prius* possessione vel provisione *officium vacat* de iure *cum clericus alterius* ad quod translatus est *possessionem canonice capit* h. e. iuxta ss. canones, a) *nisi aliud a iure* obligante *cautum sit, vel* b) *a legitimo Superiore praescriptum* in casu. - Et consequenter statuit § 2. *Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit* per possessionem quamvis illegitimam, quia etiam haec proprie dicitur occupatio.

142. **Exclusi a postremis quatuor modis.** — *Can. 195. Qui clericum ad officium* a) *elegerunt, vel* b) *postulaverunt aut* c) *praesentaverunt, nequeunt eundem* a) *officio privare* b) *aut ab eo revocare seu amovere,* quae sumuntur pro eodem, *aut* c) *ad alium transferre;* nam haec omnia supponunt iurisdictionem ecclesiasticam, qua illi omnes ut tales carent. Sub verbo « praesentaverunt » subintelligitur etiam « nominaverunt », eo quod privilegium aplcum. propter quod haec nominatio est canonica, « ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere » (can. 67). Proinde huiusmodi quoque

privilegiati attendant oportet prop. in Syllabo Pii IX damnatam LI [1].

De potestate (ordinaria et delegata).

- iurisdictionis
  - notio ac distintio ratione fori — Can. 196
  - divisio — » 197
  - ordinariae. Quinam nomine Ordinarii intelliguntur — » 198
  - utriusque
    - Quinam possunt delegare — » 199
    - dubia interpretanda, et probanda — » 200
    - iudicialis et voluntariae — » 201
    - pro foro externo vel interno — » 202
    - circa validum delegatae exercitium — » 203
    - quo in casu non suspensae — » 204
  - delegata pluribus
    - simul tempore — » 205
    - successive — » 206
  - quoad extinctionem
    - delegatae — » 207
    - ordinariae — » 208
  - quam supplet Ecclesia — » 209
- ordinis — » 210

TITULUS V.

De potestate ordinaria et delegata.

CAN. 196. - Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis.

CAN. 197. - § 1. Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae.

§ 2. Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

CAN. 198. - § 1. In iure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero

[1] « Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem ».

subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.

§ 2. Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis.

Can. 199. - § 1. Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.

§ 2. Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita.

§ 3. Potestas delegata ad universitatem negotiorum ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest in singulis casibus subdelegari.

§ 4. In aliis casibus potestas iurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem non iurisdictionalem etiam sine expressa commissione iudices delegati possunt subdelegare.

§ 5. Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.

Can. 200. - § 1. Potestas iurisdictionis ordinaria et ad universitatem negotiorum delegata, late interpredanda est; alia qualibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset.

§ 2. Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

Can. 201. - § 1. Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri.

§ 2. Iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, salvis praescriptis can. 401, § 1, 881, § 2 et 1637.

§ 3. Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non-iudicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem.

Can. 202. - § 1. Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae collatae pro foro externo, valet quoque pro interno, non autem e converso.

§ 2. Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur.

§ 3. Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet.

Can. 203. - § 1. Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea ad quae delegatus est, peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio.

Can. 204. - § 1. Quod quis Superiorem adit, inferiore praetermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive haec ordinaria fuerit sive delegata.

§ 2. Attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat.

Can. 205. - § 1. Si plures iurisdictionem delegatam obtinuerint pro eodem negotio, et dubitetur utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter, praesumitur facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali.

§ 2. Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi aut posthac impediatur aut nolit ulterius in negotio procedere.

§ 3. Pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate in negotio expediendo procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit.

Can. 206. - Pluribus successive delegatis, ille negotium expedire debet cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit.

Can. 207. - § 1. Potestas delegata exstinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delega-

tionis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata, non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

§ 2. Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est.

§ 3. Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio exspirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet.

CAN. 208. - Ad normam can. 183, § 2, potestas ordinaria non exstinguitur resoluto iure concedentis officium cui adnexa est; sed cessat, amisso officio; silet, legitima appellatione interposita, nisi forte appellatio sit tantum in devolutivo, firmo praescripto can. 2264, 2284.

CAN. 209. - In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.

CAN. 210. - Potestas ordinis, a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum.

143. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — In decretalium I Libro plures inveniuntur Tituli de diversis officiis ecclesiasticis, v. gr. de officio Archipresbyteri, de officio Vicarii, de officio Archidiaconi, etc. Codex omittens peculiares huiusmodi titulos prout inutiles in praesenti, vel sub alio Titulo ampliori complectens eorum materiam; duos tamen in speciali habuit consideratione, eo quod elementum essentiale officii stricto sensu ecclesiastici respiciant, nempe potestatem iurisdictionis. Qui tituli Decretalium inscribuntur: XXIX « De officio et potestate iudicis delegati » et XXXI « De officio iudicis ordinarii »; sed in Codice potestas ipsa consideratur, quae in quamplurimis officiis continetur, atque extra ipsa stricto sensu officia exercetur, unoque Titulo est complexa, qui sic inscribitur: *Titulus V. De potestate ordinaria et delegata;* atque maximi est momenti, utpote fundamentalis ad rite intelligendos quamplurimos canones, eosque in praxi prudenter deducendos. Explicatio verborum inscriptionis, aliarumque potestatis huius distinctionum ratione obiecti ac subiecti edocetur usque ad can. 199, quo incipit tractari de his qui possunt hanc iurisdictionis potestatem aliis communicare; sequens 200 agit de interpretatione ac probatione delegationis, 201 de illius diversae iurisdictionis extensione ac vi usque ad 204; post ipsum de pluribus delegatis personis lati sunt can. 205, 206, de iurisdictionis exstinctione in subiecto can. 207, 208; de supplenda iurisdictione can. 209; ac ultimus seu 210 cavet solus de potestate ordinis, quam etiam sub inscriptione Tituli generaliter loquentis « de potestate...» continetur.

144. **Potestatis iurisdictionis notio.** — *Can. 196. Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia...* Haec pars mere enunciativa est accurate consideranda. « Potestas » vi vocabuli dicit respectum ad actus ab ea exercendos, et est vel physica vel moralis, illa cum natura possidetur vel supernaturaliter infunditur, sed per quam physicum esse perficitur, potestas vero moralis praesupponit liberum arbitrium sed in ordine ad legem dicitur, hinc cum iure subiectivo saltem lato sensu confunditur. De secunda hic agitur, quia est potestas iurisdictionis.

« Iurisdictio » verbum a iure dicendo derivatum proprie in iure Romano atque Decretalium adhibebatur ad significandam potestatem publicam iudicandi. Sed prout in iure canonico invaluit, latiori sensu accipitur idque in hoc canone innuitur, quando ait : « potestas iurisdictionis seu regiminis », quae ideo est : « facultas moralis seu ius regendi » et consequenter cum respectiva in regendis obligatione obediendi ei, qui tali praeditus sit potestate. Verba : « quae ex divina institutione est in Ecclesia » distinguunt hoc ius regendi a ceteris, quae vel a natura proficiscuntur v. gr. potestas paterna regendi filios, potestas societatis civilis regendi membra eius, vel ex pacto habent ortum v. gr. potestas herilis regendi domesticos, potestas alicuius societatis imperfectae regendi socios ad eiusdem finem. Sic enim legitur in Pandectis [1] : « Potestatis verbo plura significantur; in persona magistratuum imperium; in persona liberorum patria potestas : in persona servi dominium ». Ab his omnibus differt ea « potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est ». De huius existentia Pius IX in Encyclica « Etsi multa luctuosa » [2], haec habet : « Fides tamen docet et humana ratio demonstrat, duplicem existere rerum ordinem simulque binas distinguendas esse potestates in terris, alteram naturalem, quae humanae societatis tranquillitati et saecularibus negotiis prospiciat, alteram vero, *cuius origo supra naturam est, quae praeest* civitati Dei, nimirum *Ecclesiae Christi* ad pacem animarum et salutem aeternam divinitus institutam ». Docemurque finem eius.

[1] D. Lib. L, tit. XVI, 215. Paulus ad leg. Fusiam Caninam.
[2] 21 Nov. 1873.

De natura vero potestatis huius adest sequens damnatio in Bulla « Auctorem fidei » Pii VI[1]: « 4. Propositio affirmans, abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde; tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis; quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: - haeretica ».

« 5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat, Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi: - inducens in systema alias damnatum ut haereticum ». - Ex his propositionibus damnatis concluditur logice potestatem iurisdictionis de qua in canone 196 esse potestatem publicam societatis perfectae propriam. Dicitur ibidem: « est in Ecclesia », et recte interpretatur sive quia, sicut in aliis societatibus, haec auctoritas est pars formalis Ecclesiae Christi, sine qua societas perfecta non daretur; sive quia in Ecclesiae aedificationem atque utilitatem est a Christo ordinata, sive quia membra Ecclesiae tantum subiectum illius esse possunt. Sensus vero falsus est qui exprimitur in Bulla cit. damnatus in n. 2. « Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: - haeretica ».

145. **Distinctio ratione fori.** — Sic explicatum primum comma illius canonis 196, subsequitur in hoc prima iurisdictionis distinctio: *alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae*, atque huius subdistinctio: *sive sacramentalis, sive extra-sacramentalis*. Videamus primo quid sit forum. Ex c. 10.

[1] 28 Aug. 1794.

De verborum significatione (V. 40) in Decretal[s]. « Forum est exercendarum litium locus a fando dictus, sive a Foraneo rege, qui primus leges Graecis dedit ». Et postea: « Negotium multa significat, modo actum alicuius rei, cuius contrarium est otium: modo actionem causae, quod est iurgium litis: et dictum est negotium, idest, sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut maiora lucrentur ». Ista ex illo capite. Sed et negotiationum locus dicitur forus, hinc forus argentarius. Non est ergo mirum si per usum fuit verbum « forum » translatum ex continente loco ad contentum, simulque extensum ex litibus ad negotia quae auctoritate Superioris finiuntur. Consequenter iam potest intelligi praefata in canone divisio iurisdictionis secundum negotia circa quae versatur distinctae ob peculiarem finem Ecclesiae, animarum nempe salutem etiam socialiter prosequendam. Hic finis est « sanctificatio animarum vera seu supernaturalis », quae propria est singulorum fidelium, et perficienda interne a Deo. Ecclesia vero cuius est proprium sanctificationem praedictam coadiuvare ac promovere, potest ad hoc sua iurisdictione uti dupliciter. - Proinde « iurisdictio fori interni seu conscientiae » vocatur, quae respicit iura, obligationes et negotia, quatenus fidelium singulorum conscientiae intersunt, quaecumque sit lex vel divina vel ecclesiastica in quam illa innitantur; atque ordinario et per se in occulto exercetur cum effectu solum coram Deo. Quae iurisdictio subdividitur « in iurisdictionem fori sacramentalis », idest intra sacrum poenitentiae tribunal exercendam, et « iurisdictionem fori extra-sacramentalis », quia extra praefatum tribunal exercetur, de his autem quae ad salutem cuiusque spiritualem pertinent. Est aliud vocabulum ambiguum, nempe « poenitentiae forum », quod quibusdam ut Sanchez et Wernz idem erat ac forum sacramentale, aliis ut Suarez, Bonacina et Palao erat conscientiae forum, et hoc ultimum in favorabilibus sequi oportebat, sed propterea fuit optime in Codice omissum, ut exulet. - Altera « iurisdictio fori externi » se refert ad iura, obligationes ac negotia quaecumque fidelium, prout se referunt ad bonum publicum aut commune fidelium, ac proinde exercetur publice in ecclesiastica societate, et cum effectibus iuridicis seu canonicis. Illud « publicum » vel interesse « commune » facit, ut in foro externo pertractentur quae apparent

ac uti probantur, e contra ad forum inernum remittantur, quae vel non patent ut probari queant, vel nemo ea probat.

Hinc quamvis iurisdictio Ecclesiae tam propria quam vicaria de quibus postea, locum habeat in foro interno ac externo, diversos effectus producit. Nam ea quae in foro externo ex iurisdictione fiunt, quoad iuridicum effectum per se transcendunt ad forum internum, sicut dispensatio voti vel alicuius legis liberat etiam fidelis conscientiam ab eius obligatione; e contra per se concluduntur intra forum internum quaecumque iurisdictionis fiunt in eo, ac proinde, matrimonium convalidatum cum impedimenti dispensatione pro foro interno data, si tale impedimentum postea notum fiat, nisi probatio illius convalidationis possit afferri apud externum forum, est in hoc iterum convalidandum matrimonium illud cum simili dispensatione pro foro externo concessa, ut in hoc convivere tales coniuges ab Ecclesia permittantur.

146. **Iurisdictionis divisio.** — Secunda iurisdictionis distinctio est in « ordinariam » et « delegatam », ratione tituli quo habetur seu modi quo in eius possessorem derivatur; ait enim *can. 197.* § 1. *Potestas iurisdictionis* a) *ordinaria ea est quae ipso iure* scripto vel consuetudinario *adnexa est officio*, quamvis hoc in perpetuum non obtineatur, hinc perpetuitas subiectiva non est de ratione iurisdictionis ordinariae; b) *delegata, quae commissa est personae* physicae aut morali, non officio adnexa, provenitque ex commissione forsan illi superaddita, quin necesse sit ut haec commissio semper sit a Superiore habente iurisdictionem ordinariam, imo a iure fieri posset, quamvis a Codice sint alienae huiusmodi delegationes frequentes in Decretis Conc. Trid. per clausulas: « tamquam Delegatis Sedis Apostolicae » vel « etiam tanquam Delegatis Sedis Apostolicae ». Per priorem clausulam Episcopis concedebatur, ut agerent in personas vel circa causas, quae illorum ordinariae iurisdictioni non suberant. Verba secundae clausulae scriptores antiqui iam intellexerunt de utriusque potestatis cumulatione, ordinariae scilicet ac delegatae, ita ut vi unius vel alterius agere possent Episcopi et quidem cum diversis effectibus; sed praeterea de Apostolica delegatione in exemptos recte sunt explicata.

Subdistinctionem continet § 2. *Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria:* quatenus officio cohaeret principali

erga territorium, eiusque personas, res ac negotia; vel accessorio officio in illud, illas et haec forsitan partialiter, quod proptérea vices principalis officii gerit. In hoc § soluta est controversia de Vicarii generalis potestatis natura, equidem pro illis Auctoribus qui iam probabilius illam vocabant ordinariam.

147. **Ordinarii et locorum Ordinarii.** — Ordinariae iurisdictionis occasione capta, determinat generaliter iuridicam verbi significationem magni momenti *can. 198.* § 1. *In iure* Codicis et in posteriori, nam ex can. 10: « leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur », et huic iuri conformari praesumuntur rescripta, facultates, Brevia, etc. Igitur *in iure nomine Ordinarii intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur*, prout iam vidimus et invenietur ulterius de Vicario generali et de Vicario Capitulari, *praeter Romanum Pontificem*, qui Ordinarius non solet vocari, quamvis non excludatur ab illa appellatione, utpote habens veram ordinariam iurisdictionem; I° *pro suo quisque territorio* a) *Episcopus residentialis*, b) *Abbas vel Praelatus nullius* cuius definitio tradetur in can. 319 § 1, c) *eorumque* singulorum *Vicarius Generalis*, insuper d) *Administrator*, e) *Vicarius et* f) *Praefectus Apostolicus*, hoc adiectivo singulis tribus verbis adscripto, de quibus conditur ius in capp. IX et VIII seq^s^. sectionis; *itemque* i. e. pro suo quisque territorio g) *ii qui praedictis deficientibus* ob mortem, impedimentum ad regimen, *interim ex iuris praescripto*, legis nempe consuetudinisve, *aut ex probatis* per auctoritatem *constitutionibus* particularibus *succedunt in regimine;* atque non pro suo quisque territorio sequentes, sed II° *pro suis vero subditis*, quia horum ratione determinatur sequentium iurisdictio, *Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis;* non vero in religionibus quamvis exemptis sed laicalibus.

Ex can. 488 afferemus, et in hoc casu exceptionaliter quoad methodum hactenus servatam, quae sequuntur: « veniunt nomine:... 4° Religionis clericalis, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicalis;... 8° Superiorum maiorum, Abbas primas », qui est insimul Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe cum ordinaria iurisdictione, ibique manebit, sicut confirmavit auctoritate Apostolica vimque legis obtinere iussit Leo XIII [1], « Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas

[1] Litt. aplcis « Summum semper » 12 Jul. 1893, n. III. Acta Leonis XIII, vol. XIII, pag. 209.

monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem (singulorum) vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes »: v. gr. commissarius super plures conventus, vel locum habens Provincialis.

§ 2. *Nomine autem Ordinarii loci seu locorum veniunt omnes recensiti* in praec. § 1, *exceptis Superioribus religiosis*, de quibus nempe dictum est ibidem: « pro suis vero subditis ». — Hic § 2us desumptus est ex Litteris S. Congr. Inquisitionis (20 Februarii 1888) ad Ordinarios locorum directis huius tenoris: « 1. dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel Oratorum Ordinario vel Ordinario loci. - Appellatione Ordinarii venire » ac sequuntur diverso ordine omnes de quibus in § 1 huius canonis, praeter eos qui excipiuntur in § 2.

Adnotandum hanc Ordinarii appellationem subaudire eos, qui veniunt hoc nomine, iurisdictione ordinaria esse praeditos. Sed aliqui eorum v. gr. Vicarii Superiorum regularium non habent officium ecclesiasticum stricto sensu dictum, utpote non stabiliter constitutum. Ergo in definitione potestatis iurisdictionis ordinariae verbum « officium » cui adnectitur, non videretur sumendum stricto sensu, sed lato. Hoc ultimum consequens admitto ut verum, solummodo pro omnibus officiis lato sensu dictis et in hoc canone recensitis, quibus revera virtute huius canonis est iurisdictio adnexa. Et rationabiliter eo quod omnes Vicarii et Administratores repraesentant cum personae distinctione eos qui officium praeditum iurisdictione ordinaria obtinent.

148. **Quinam possunt delegare ac subdelegare.** — Illos vero qui possunt personae alteri committere iurisdictionem, et consequentes iurisdictionis delegatae diversitates ostendit *can. 199.* § 1. *Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam*, secundum definitionem huius, vel ex praecedenti canone, *potest eam alteri* a) *ex toto*, quod hucusque ab Auctoribus denegabatur, b) *vel ex parte delegare*, sive partialitas respiciat territorium, sive personas, sive negotia, sive forum; huic § exceptio est subiecta: *nisi aliud expresse* quamvis implicite sub verbis *iure caveatur*. Huius implicitae cautionis exemplum habemus secundum authenticam declarationem de parochorum iurisdic-

tione ordinaria ad confessiones in foro sacramentali excipiendas. Illa clausula, quia cum certitudine cavet, interpretanda videtur de iure solum scripto. - Nec tantum qui iurisdictionem habent ordinariam, sed alii delegatam habentes possunt eam alteri committere, idest: subdelegare ad normam tamen §§ sequentium.

Quaeri potest an potestas a ss. canonibus dispensandi, quae ad iurisdictionem proprie pertinet, veniat sub paragraphi huius norma vel sub eiusdem exceptione. - Hoc ultimum respondeo tenendum. Illa namque potestas utpote ordinaria « ipso iure adnexa est officio » (can. 197, § 1), nempe: « cui (officium habenti) ipsum ius facultatem (dispensandi) concesserit » (can 80). Sed ius aliquando ait: (v. gr. in can 990, § 1) « Ordinariis per se vel per alium » licet dispensare, quandoque vero concessionem exprimit: « locorum Ordinarii... possunt dispensare » (can. 1043), et solum « pro casibus in quibus ne loci Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet » unus vel alter ibi designatus (can. 1044). Ergo ne illa verba « per alium » vane sint apposita, sensus Codicis est, quod nisi exprimatur facultas delegandi ad dispensandum, haec non intelligatur propter canonem 80. - Hinc delendum est ad can. 1043 [1] quod asserui: « et hi possunt alteri (cuicumque) ex toto vel ex parte delegare » (can. 199, § 1), quamvis verum sit manere abrogatam limitationem quam decrevit S. C. Inq.; sed idipsum propter subdelegationis inutilitatem.

§ 2. *Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata*, praesertim ad plures actus, vel ad unum solum per rescriptum, quemadmodum decernit can. 57, § 1, *subdelegari potest* a) *sive ad actum* aliquem iurisdictione indigentem, b) *sive etiam habitualiter*, i. e. ut ea provisus uti possit pro libitu ad modum habitus quoad plures actus vel erga plures personas; duae tamen in illo sunt limitationes subdelegandi, scilicet *nisi* I° *electa fuerit* a S. Sede *industria personae delegatae*, quod ex huius delegationis tenore percipiendum est, II° *aut subdelegatio prohibita* simpliciter aut sub limitatione in documento vel concessione delegationis, ac fortassis in iure.

Si quaeras: num hic paragraphus locum habeat quoad iurisdictionis potestatem ad dispensandum? - Ad hoc quaesitum respondeo affirmative, tum quia vi huius §[i] plene satisfit canoni 80, quando hic praescribit: « Dispensatio concedi potest... ab illo cui iidem (conditor legis, eius successor vel Superior) facultatem dispensandi concesserint », tum quia sic constat ex iure Codicem praec., cui congruit praesens paragraphus. « Proposito namque dubio: " An possit Episcopus dioecesanus subdelegare, absque speciali concessione (sibi facta), suis Vicariis Generalibus aut aliis ecclesiasticis viris modo generali, vel saltem pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas... Emmi Patres

[1] Comm. Textus C. J. C. Vol. « de Sacramentis », pag. 542, lin. inf. 9. Ed. I.

respondendum censuerunt: Affirmative, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur; in hoc enim casu servanda erit adamussim forma Rescripti ». Et « Sanctitas sua (fel. rec. Leo XIII hanc) resolutionem adprobavit ».[1] « Quum insuper dubitatum fuerit, an quod praefatum decretum statuit de *Episcopo dioecesano,* intelligendum etiam sit de Vicariis, Praefectis et Administratoribus Apostolicis iurisdictionem ordinariam cum territorio separato habentibus, SSmus. D. N.... 23 Martii 1899... respondit: Affirmative ».

§ 3. *Potestas* a) *delegata* proprie seu primo, ut patebit, *ad universitatem negotiorum*, v. gr. ad regimen monasteriorum ex parte Episcopi, ad dispensationes irregularitatum, etc. b) *ab eo qui infra Romanum Pontificem*, i. e. in gradu hierarchiae iurisdictionis subinvenitur et c) *habet ordinariam potestatem*, quod adnotetur ad supra dictam delegationem intelligendam, tunc *potest in singulis casibus subdelegari;* non datur autem subdelegata haec iurisdictio habitualiter. Tres ergo sunt generales normae circa delegantes iurisdictionem, prima pro his qui iurisdictione ordinaria praediti sunt, cum exceptione « nisi aliud expresse in iure caveatur », secunda pro delegatis ab Apostolica Sede cum duplici limitatione; « nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita », tertia vero quoad « delegatos ad universitatem negotiorum » in secunda non comprehensos, et haec norma in seipsa limitationem continet: idest: « in singulis casibus ».

Aliae peculiares subdelegationes statim recognoscuntur. § 4. *In aliis casibus* praeter declaratos in §§ 2 et 3 seu concessionibus *potestas iurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo* a) *ex concessione expresse facta*, cui normae solum apparenter est contrarium, quod subinfertur: *sed* b) *articulum aliquem non iurisdictionalem* v. gr. in rescriptorum exequutione quoad actus praeparatorios ad normam can. 57, § 2, atque *etiam sine expressa commissione iudices delegati* non comprehensi sub aliqua trium normarum generalium *possunt subdelegare* i. e. alii committere perficiendum. Qui sint tales articuli non iurisdictionales in Lib. IV De processibus dicetur, nam de iudiciali potestate loquitur canon hic sub littera b).

§ 5. *Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.* Quae concessio ex verbis

[1] S. Congr. S. Officii, 14 Dec. 1898, Collect. S. C. de P. F., n. 2029 et in nota.

delegationis ac primae subdelegationis cui subordinetur iterata subdelegatio deprehendi debet.

149. **Dubia de iurisdictione qualiter sint solvenda.** — Quia multum interest cuiuslibet scire suae iurisdictionis amplitudinem, eam quolibet ex capite, supposita ex praecedentibus normis iurisdictione obtenta, sequentes canones ostendunt. - Et primo in genere ad dubia solvenda. *Can. 200.* § 1. *Potestas iurisdictionis* a) *ordinaria et* b) *ad universitatem negotiorum delegata, late interpretanda est*, ita ut quandocumque dubium insurgat, pro existentia iurisdictionis responderi oporteat, e *alia quaelibet stricte;* scilicet: in dubio de amplitudine iurisdictionis, haec denegata existimetur: notandum vero apprime pro quacumque iurisdictione delegata subintelligendum semper: *cui tamen delegata* quaelibet *potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus ea exerceri non posset;* v. gr. absolvere a censuris impedientibus dispensationis aut gratiae receptionem, saltem ad hunc effectum. Quomodo vero vel dubium de iurisdictionis delegatae existentia vel probabilis ignorantia de illius concessione in aliis personis legitime evanescat, ostendit § 2. *Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis*, vel ostendendo scriptam commissionem, vel adducendo testium depositionem, etc.

150. **Iurisdictionis exercitium quoad personas et territorium.** — *Can. 201.* § 1. *Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri.* Quinam sint uniuscuiusque subditi ratione ordinariae iurisdictionis, partim eruitur ex can. 94 quoad iurisdictionem territorialem, ac specialiter pro clericis ex Tit. 1. « De clericorum adscriptione alicui dioecesi », partim ex aliis ss. canonibus quoad diversas materias; de iurisdictione non territoriali sed quae personarum causa definitur, inveniemus idipsum in secunda parte de religiosis, et alibi. Quoad iurisdictionem quamcumque delegatam, praeter delegationis tenorem erit applicanda insuper Reg. LXXIX iuris in 6° continens principium: « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur ». - Norma § 1[i] eruitur ex iurisdictionis natura. Verbum tamen « directe » nobis insinuat, posse indirecte in non subditos exerceri. Et hoc e mente non excidat in futurum.

Sequuntur §§ sub nova iurisdictionis distinctione in iudicialem, fori ergo iudiciorum, et in voluntariam seu non iudicialem. Sic correcta est distinctio in usu apud Auctores, in contentiosam et voluntariam. Illa definiebatur, quae in invitos, haec autem, quae in volentes exercetur. Sed quando Auctores recensent actus sub una vel altera comprehensos, voluntariae iurisdictioni attribuunt poenales promulgare leges, atque suspensionem praecepto ferre, in quibus asserere subditos esse volentes, non videtur rationi congruere. Melius ergo DD. mens panditur, si voluntaria iurisdictio « non iudicialis » et contentiosa « iudicialis » nominetur, istius verbi restricta significatione iuxta can. 1552, § 2 [1].

De hac statuit § 2. *Iudicialis* etiam « fori sacramentalis » (can. 196) *potestas* quaelibet *tam ordinaria quam delegata* etiam iterato seu subdelegata *exerceri nequit* a) *in proprium commodum*, iuxta illud: nemo bonus iudex in propria causa, a) *aut extra territorium* suae iurisdictionis, *salvis praescriptis can. 401 § 1, 881* [2] de iurisdictione ordinaria iudiciali in foro sacramentali seu absolvendi a peccatis extra territorium valide exercenda, *et can. 1637* [3] quoad iurisdictionem iudicialem fori externi sub alterutra bina conditione extra territorium quoque exercendam.

De iurisdictione autem voluntaria praescribit § 3. *Nisi aliud* I° *ex rerum natura*, v. gr. absolutio a censura, *aut* II° *ex iure* scripto vel consuetudinario *constet* vel ex Superioris concedentis iurisdictionem limitatione expressa, ut potest ad normam can. 199, § 1, *potestatem iurisdictionis voluntariam* cuius verbi subditur significatio in Codice: *seu non iudicialem*, subintelligendo « tam ordinariam quam delegatam » ut in § 2°, *quis exer-*

[1] Can. 1552, § 2. Obiectum iudicii sunt: 1° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est contentiosum; - 2° Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est criminale.

[2] Can. 881, § 1. Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

§ 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum.

[3] Can. 1637. Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iudisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.

cere potest valide ac licite a) *etiam in proprium commodum* v. gr. dispensans seipsum a lege, b) *aut extra territorium existens* v. gr. legem ferens servatis servandis aut praecepta, dum adest Episcopus extra dioecesim propriam, c) *aut in subditum e territorio absentem* v. gr. dispensans eum a matrimoniali impedimento, quando forsan id posset ex facultate S. Congregationis, modo non aliter fuerit cautum in ea. Propter particulam « aut » disiunctivam, videtur exercitium iurisdictionis concessum esse pro singulis seorsum, ita ut Episcopus extra territorium existens nequiret in subditum etiam e territorio absentem illa uti. Sed prava est haec interpretatio, quia singula membra disiunctionis evidenter non obstant illi exercitio, atqui et respiciunt diversas res nec sibi invicem opponuntur; ergo nec coniuncta obstant, cum lex non distinguat inter separationem vel coniunctionem. Primum enim membrum respicit commodum Episcopi, valde diversum ab eius absentia e dioecesi nec huic oppositum, et par subditi absentia est diversa non tamen per se commodo Episcopi opposita; Episcopi demum simul ac subditi absentia e dioecesi bene componuntur, quin subiectio nec superioritas inde minutionem patiatur.

151. **Exercitium quoad forum.** — In praecedenti canone legislator consideravit personas atque territorium: post haec forum respicit *can. 202.* § 1. *Actus potestatis iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae* (etiam iterato seu subdelegatae) *collatae pro foro externo, valet quoque pro interno;* nam « quaecumque alligaveritis vel solveritis super terram, erunt ligata vel soluta et in coelo » [1], seu coram Deo, *non autem e converso.* Et hoc secundum naturam utriusque fori iam explicatam. - Atque favens Codex actuum validitati condidit § 2. *Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur.* Et convenit cum can. 196 de divisione huius fori.

§ 3. *Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura* v. gr. occultae *aliud constet*, aut v. gr. de peccatorum absolutione agatur. Hique tres §§ sunt intelligendi, prout primus expressit, de potestate quacumque ordinaria et delegata, et sunt de interpretatione concessionis, ut patet.

[1] MATTH. XVIII, 18.

152. **Iurisdictionis delegatae validum exercitium.** — Subnectitur de iurisdictionis tantummodo delegatae valido exercitio, consequenter ad eius naturam, *can. 203.* § 1. *Delegatus, qui sive circa res sive circa personas*, tum quoad ipsas in se tum quoad modum circa easdem iuridicum, *mandati sui*, quo fuit delegatus, *fines excedit, nihil agit* quatenus « excedit ». Scilicet invalidum actum ponit. Nam si eodem actu aliquid iuxta limites concedit, illud forsan separabile valet iuxta reg. iuris 37 in 6°. « Utile non debet per inutile vitiari ».

Animadvertitur tamen sollicite in § 2. *Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea ad quae delegatus est, peragit*, v. gr. absolvens reum sententia vel damnans levius, aut longiori processu, contra delegantis desiderium; et iusta fuit praeceptio canonis, nam placitum hoc est delegationi accidentale, *nisi modus ipse peragendi fuerit a delegante praescriptus*, quia tunc servandus, ac pro validitate quoque ad normam § 1, si fuerit modus tanquam conditio mandati praescriptus.

153. **Iurisdictio voluntaria manens in exercitio libera.** — De aliquo interpretando recursu, qui videretur obstare iurisdictionis exercitio, cavet pro huius quadam specie *can. 204.* § 1. *Quod quis Superiorem adit, inferiore praetermisso*, v. gr. ad S. Congregationem pro dispensatione obtinenda, quam Episcopus largire posset, *non idcirco* notetur *voluntaria* (unice nunc considerata) *suspenditur inferioris potestas*, quin exerceatur interim valide, *sive haec ordinaria fuerit sive delegata.* - Quoad licitum vero exercitium praevideatur § 2. *Attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior* de hoc ipso conscius, *nisi ex* a) *gravi* simul b) *urgentique causa; et hoc in casu* c) *statim Superiorem de re moneat.* Id enim expostulat erga Superiorem reverentia, vitaturque in exercitio iurisdictionis opposita decisio.

154. **De delegatione simul pluribus facta.** — Incipit nunc tractari de pluribus delegata personis iurisdictione in idipsum. *Can. 205.* § 1. *Si plures iurisdictionem delegatam obtinuerint* simul, quia de hac successive obtenta cavet sequens canon, *pro eodem negotio, et dubitetur utrum delegatio facta fuerit in solidum* hoc est: ut unusquisque sit subiectum personale delegationis, *an collegialiter* i. e. simul cum aliis unum constituat mo-

rale subiectum, *praesumitur facta in solidum in re voluntaria* scilicet: in negotio iurisdictionis non iudicialis, *collegialiter in re iudiciali* nempe: in huiusmodi iurisdictionis obiecto. « Praesumitur » praesumptione iuris, quae contrariam probationem admittit, atque si « dubitetur », nam si certum sit álterutrum ex delegationis documento seu tenore, huic standum est. Propterea excluditur ab hoc § potestas delegata pro sacramentali foro, quae quamvis de re iudiciali, absdubio est semper in solidum facta.

De natura utriusque delegationis iuridica praescribunt duo §§ seqq. § 2. *Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupaverit*, incipiens de eodem cognoscere sibi proposito, utens iurisdictione sua *alios ab eodem excludit, nisi aut* a) *posthac impediatur, aut* b) *nolit ulterius in negotium procedere.* In quocumque alterutro casu, quilibet ex ceteris potest delegationem sibi factam exsequi. - § 3. *Pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate in negotio expediendo procedere debent*, non tamen unanimiter sed ex maiori parte suffragiorum absoluta iuxta locum parallelum in can. 1577. § 1. « Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre ». Exceptio § 3 est *nisi mandato* delegationis pluribus dato *aliud cautum sit;* v. gr. prout Caelestinus III ait in cap. 21 de officio et potestate iudicis delegati: (I. 29) « Adiicimus etiam, quod ubi fuerit in commissione appositum, ut si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exsequantur: si aliquis ex ipsis cum possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant: licet ille tertius gravissime sit arguendus, pro eo quod mandatum Apostolicum exsequi subterfugiat, aut contemnat. - Idem quoque per omnia dicimus observandum in causa, quae committitur duobus, eo apposito, ut si ambo interesse nequiverint, alter nihilominus exsequatur ». Et haec iuris praecedentis praescriptio sicut et doctrina communis et constans DD. in hac re, nunc valent, quia § 3 Codicis, quem commentamur, concordat in substantia cum praedicto capite. Hic paragraphus complendus per can. 207. § 3.

155. **Delegata pluribus successive.** — *Can. 206. Pluribus successive delegatis* circa idem, applicata iuris reg.ª in 6°, 54. « Qui prior est tempore potior est iure », *ille negotium expe-*

dire debet cuius mandatum I° *anterius est*, quod deprehenditur ex datis mandatorum, sub seq. tamen conditione: II° *nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit*. Animadvertatur in hoc canone omitti distinctionem iurisdictionis delegatae in praec. can. consideratam. Item, cum desit clausula irritans etiam aequivalenter, sequitur quod delegatus posteriori mandato, semper delegationem valide exequeretur, quamvis deficiente canonis conditione ageret illicite.

156. **Potestatis delegatae extinctio.** — *Can. 207*. § 1. *Potestas delegata extinguitur* 1um *expleto mandato* per delegationis completum exercitium, 2° *elapso* a) *tempore aut* b) *exhausto numero casuum pro quo concessa fuit*, v. gr. facultates triennales post triennium a data facultatum, facultas ad vicies dispensandum mixtae religionis impedimentum, viginti huiusmodi concessis dispensationibus; 3° *cessante causa finali delegationis*, v. gr. composita amicabiliter controversia, ad quam decidendam fuit data delegatio, abrupto matrimoniali tractatu, cui matrimonio obstat impedimentum ex habita delegatione dispensandum; 4° *revocatione delegantis delegato directe intimata*, etiamsi per alium ad hoc destinatum; 5° *aut renunciatione delegati* a) *deleganti directe intimata et insuper* b) *ab eodem acceptata*, quin necessariae sint formalitates in cap. II « de amissione officiorum ecclesiasticorum » recensitae, cum hic non agatur de renunciatione officii ecclesiastici stricte dicti: 6° *non autem* exstinguitur, *resoluto iure delegantis* i. e. hoc amittente iurisdictionem, *nisi in duobus casibus de quibus in can. 61* sic ibidem expressis: « nisi I° aliud ex additis clausulis appareat, aut II° rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam a) peculiaribus personis in eodem expressis, et b) res adhuc integra sit ». Sed an per verum rescriptum, ut in can. 61 exprimitur, vel motu proprio, vel per mandatum fiat, nihil refert canoni praesenti.

Quoad secundum exstinctionis delegationis modum, datur exceptio valde notanda pro praxi, equidem in poenitentium favorem ad absolutionis validitatem instaurandam. Videlicet: § 2. *Sed potestate pro foro interno concessa*, sive sacramentali sive extra-sacramentali, *actus per inadvertentiam positus*, quae simul componi potest cum generali cognitione alias habita de termino iurisdictionis possessae, a) *elapso tempore vel* b) *exhausto casuum numero, validus est*. Quae prudens cautela in pa-

gellis S. Poenitentiariae confessariis concedi solitis iam inserebatur a multo retro tempore. Tamen hoc in loco generalis lex fit pro delegatione ad forum internum, a quocumque ipsa detur.

Paragraphum 3m can. 205 « de pluribus collegialiter delegatis » complet hic sequens § 3. *Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat*, sive per mortem, sive aliter, *aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet.* Haec norma generalis consona est cap.i XLII de officio et potestate iud. delegati (I, 29): « Uno delegatorum, vel arbitrorum (sicut proponis) rebus humanis exempto, eorum officium exspiravit. Nisi aliud in delegatione aut compromisso fuisset expressum ».

157. **Iurisdictionis ordinariae cessatio, etc.** — *Can. 208. Ad normam can. 183, § 2* iam explicati, *potestas ordinaria non extinguitur resoluto iure concedentis officium cui adnexa est,* cognovimus tamen ibidem duas exceptiones: *sed* a) *cessat amisso officio* per unum ex modis in § 1° cit. canonis enumeratis, dummodo serventur respectivi canones in eodem cap. II contenti; b) *silet*, i. e. non exercetur efficaciter, *legitima appellatione interposita*, cum exceptione: *nisi forte appellatio sit tantum in devolutivo*, quia hoc posito, vi iurisdictionis exsequitur valide Praelatus decretum vel sententiam; *firmo praescripto can. 2264, 2284* [1], in quibus agitur de eo qui censuratus excom-

[1] Can. 2264. Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus: et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto can. 2261, § 3; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2.

Can. 2284. Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servetur praescriptum can. 2261; si censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus, ex. g. absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2.

Can. 2261. § 1. Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur.

§ 2. Fideles, salvo praescripto §i 3i, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi.

§ 3. Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252, tum etiam, si alii ministri desint, cetera Sacramenta et sacramentalia.

municatione aut suspensione actum iurisdictionis ei prohibitum exercet.

158. **Iurisdictio quam supplet Ecclesia.** — *Can. 209. In errore* sive circa ius versetur, dummodo sit probabilis, sive circa factum, in quo alterutro *communi*, quando nempe quis ob dictum errorem sive quoad iurisdictionis initium v. gr. paroeciae acquisitionem, sive quoad illius cessationem v. gr. ob mandati caducitatem, communiter censetur iurisdictione praeditus (quamvis iurisdictionis actum ponens atque unus vel alter veritatem norint), illudque sufficit, quamvis nec titulum apparentem seu coloratum possideat, atque in hoc iste canon amplexatus est mitiorem Dectorum sententiam; *aut in dubio* I[m] *positivo* ex rationibus seu motivis pro et contra fundato, nec sufficit, sed II[o] *et probabili*, quatenus rationes seu motiva prudentem moveant, *sive* a) *iuris*, *sive* b) *facti* adsit dubium illud, quoad eius nempe obiectum, videlicet: lex dubia sit vel de facto proveniat dubium; in his casibus necessariam forte *iurisdictionem supplet Ecclesia*, et sic actus valet *pro foro tum externo tum interno* secundum quod actus requirit.

159. **An delegari queat ordinis potestas.** — Titulus ab initio progressus est loquens de iurisdictionis potestate; de altera, scilicet ordinis, unicus habetur *can. 210. Potestas ordinis*, non dicitur actus eius, proinde pariter ac praecedentes de potestate iurisdictionis, interpretandus est canon praesens de ipsa ordinis potestate, qua non habita, fiat irritus actus et quam supplere non potest Ecclesia quando actus est iure divino adnexus illi potestati, nec supplere solet, quando est eidem adnexus a iure ecclesiastico. Talis ergo «potestas ordinis» *a legitimo* scilicet: iuxta ss. canones competente *Superiore ecclesiastico* a) *sive adnexa officio* determinato v. gr. praefecturae apostolicae, b) *sive commissa personae fuerit*, v. gr. quae conceditur vi facultatum S. Congr. de Prop. Fide, *nequit aliis demandari*, *nisi id expresse fuerit* a) *iure* scripto generali vel particulari, aut consuetudinario plane certo b) *vel indulto* commissionis a competente Superiore factae *concessum*. Exempla sint quoad actus validitatem, potestas conferendi confirmationem facta simplici presbytero, quae ordinario secundum divinum ius pertinet ad Episcopos, item potestas dandi consecrationes et alias benedictiones, quae sint ordinis episcopalis secundum ius ecclesiasticum.

Valde utile putamus fore, si potestatem iurisdictionis introspicientes, possimus ex eiusdem analysi logice concatenare diversas illius divisiones traditas, proponentes amplius schema.

Potestas iurisdictionis ecclesiasticae est: « ius publicum ex divina ordinatione in Ecclesia positum ad regendos fideles in eorum sanctificationem et salutem aeternam ».

Supposito pleno et supremo iure hoc in Romano Pontifice ratione ipsius primatus; *potestas iurisdictionis* in aliis possidentibus eam referri potest: 1° ad modum quo in ipsos derivatur eiusque originem. 2° ad subiectum unius et eiusdem iurisdictionis, 3° ad rationes subiecti propter quas ei collata est iurisdictio, 4° ad modum quo subditos sortitur, 5° ad modum quo respicit negotia eidem subiecta, 6° ad formam qua ea pertractat, 7° ad amplitudinem qua iurisdictio gaudet, tum negotiorum seu obiectorum eius, tum durationis.

1° Si consideramus modum quo potestas iurisdictionis derivatur, eiusque originem: dividitur: in *ordinariam* et *delegatam*, et haec: in *delegatam a Sede Apostolica* et *a Superiore infra Rom. Pontificem:* et infra eas: *subdelegata.*

2° Si consideremus subiectum unius et eiusdem iurisdictionis: *ordinaria* dividitur: in *propriam* et *vicariam:* et *delegata* dividitur: *in solidum* et *collegialiter.*

3° Si consideremus motivum subiecti propter quod ei collata est, *delegata* dividitur in concessam *ratione officii aut dignitatis, tituli,* etc. et in concessam *ob industriam personae.*

4° Si consideremus modum quo subditos sortitur, dividi oportet in *territorialem* et *personalem.*

5° Si consideremus modum quo respicit negotia eidem subiecta, est vel *pro foro externo* vel *pro foro interno* dicto etiam conscientiae, quae posterior subdividitur pro isto vel *sacramentali* vel *extra-sacramentali.*

6° Si respiciatur forma, qua ea negotia pertractat, est vel *iudicialis* vel *voluntaria* quae etiam extra-iudicialis seu non-iudicialis est dicta.

7° Si respectus habeatur ad amplitudinem eius, *delegata* est: vel *ad universitatem negotiorum*, vel *habitualis*, vel *ad singulos actus*. Et *habitualis* potest esse *in perpetuum* vel *cum limitatione temporis* vel *ad certum numerum casuum.*

Praeterea si quaelibet istarum potestas iurisdictionis deficiat, in errore communi aut dubio probabili sive iuris sive facti adest *iurisdictio quam supplet Ecclesia.*

Synopsis potestatis iurisdictionis in Ecclesia Christi

- Potestas iurisditionis
  - in Romano Pontifice plena, suprema et immediata in omnes et omnia
  - infra Rom. Pont.
    - ex modo derivationis
      - ordinaria et ratione subiecti eius
        - propria
        - vicaria
      - delegata
        - ratione originis
          - a Sede Ap.
          - ab alio Superiore
          - subdelegata
        - ratione subiecti eius
          - in solidum
          - collegialiter
        - ex motivo subiecti
          - ratione officii... eto.
          - ob industriam personae
        - ob amplit.m
          - ad universitatem negotiorum
          - habitualis
            - in perpetuum
            - ad tempus
            - ad certum numerum casuum
          - ad singulos actus
    - ex modo sortiendi subditos
      - territorialis
      - personalis
    - ex modo respiciendi negotia
      - pro foro externo
      - pro foro interno
        - sacramentali
        - extra-sacramentali
    - ratione formae negotia pertractandi
      - iudicialis
      - non iudicialis seu voluntaria
    - quam supplet Ecclesia

Et illae distinctiones iurisdictionis multoties diversas coniunctiones inter se admittunt. Sub illis autem comprehenduntur quaecumque ad praesentem Titulum pertinent.

TITULUS VI.

De reductione clericorum ad statum laicalem.

CAN. 211. - § 1. Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, nunquam irrita fiat, clericus tamen maior ad statum laicalem redigitur rescripto Sanctae Sedis, decreto vel sententia ad normam can. 214, demum poena degrationis.

§ 2. Clericus minor ad statum laicalem regreditur, non solum ipso facto ob causas in iure descriptas, sed etiam sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario, aut eiusdem Ordinarii decreto iusta causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri.

CAN. 212. - § 1. Qui in minoribus ordinibus constitutus ad statum laicalem quavis de causa regressus est, ut inter clericos denuo admittatur, requiritur licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem, non concedenda, nisi post diligens examen super vita et moribus, et congruum, iudicio ipsius Ordinarii, experimentum.

§ 2. Clericus vero maior qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget Sanctae Sedis licentia.

CAN. 213. - § 1. Omnes qui a clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre.

§ 2. Clericus tamen maior obligatione coelibatus tenetur, salvo praescripto can. 214.

CAN. 214. - § 1. Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

§ 2. Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam can. 1993-1998.

160. Inscriptio tituli. — Deinde consideranda sunt, quae continet inscriptus huius Sectionis ultimus *Titulus VI. De reductione clericorum ad statum laicalem.* Qua inscriptione insinuatur status mutatio in Ecclesia. - Cum ergo agi directe de statibus, sumat initium ab hoc titulo, atque in praecedentibus Libri huius invenimus officiorum et graduum in Ecclesia diversitatem existere seu multiplicationem; opportunum ducimus de huiusmodi varietate adiungere quaedam scitu utilia.

161. Statuum, officiorum et graduum diversitas. — Et primo ad quae pertineat seu ordinetur praedicta diversitas. -

Ex D. Thoma: « Respondeo dicendum [1] quod diversitas statuum et officiorum (et graduum quam videmus) in Ecclesia ad tria pertinet. Primo quidem ad perfectionem ipsius Ecclesiae. Sicut enim in rerum naturalium ordine perfectio, quae in Deo simpliciter et uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non potest, nisi difformiter et multipliciter; ita etiam plenitudo gratiae, quae in Christo sicut in capite adunatur, ad membra eius diversimode redundat, ad hoc ut corpus Ecclesiae sit perfectum. Et hoc est quod Apostolus dicit [2]: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum*. Secundo autem pertinet ad necessitatem actionum, quae sunt in Ecclesia necessariae. Oportet enim ad diversas actiones diversos homines deputari, ad hoc quod expeditius et sine confusione omnia peragantur: et hoc est quod Apostolus dicit [3]: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo*. Tertio hoc pertinet ad dignitatem et pulchritudinem Ecclesiae, quae in quodam ordine consistit: unde dicitur (III Reg. X, 5), quod *videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum*. Unde et Apostolus dicit [4]: quod *in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea sed et lignea et fictilia* ». Ergo quaecumque « diversitas in membris Ecclesiae ad tria ordinatur, scilicet ad perfectionem, actionem et decorem: et secundum haec tria triplex distinctio diversitatis fidelium accipi potest. Una quidem per respectum ad perfectionem: et secundum hoc accipitur differentia statuum, prout quidam sunt aliis perfectiores. Alia vero distinctio accipitur per respectum ad actionem, et haec est distinctio officiorum: dicuntur enim in diversis officiis esse qui sunt ad diversas actiones deputati. Alia autem per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticae: et secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet etiam in eodem statu vel officio unus est alio superior... ».

De fundamento vero illius multiplicitatis quaedam notare oportet ex. D. Th. (ib. a. 1 ad 3^{m}): « Ad statum requiritur

[1] 2. 2. q. CLXXXIII, a. 2 corp. — [2] EPHES., IV, 2. — [3] AD ROM., XII, 4. — [4] II TIMOTH., II, 20.

immobilitas in eo quod pertinet ad conditionem personae (Ib. corp). Sed solum id videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personae hominis, prout scilicet aliquis est sui iuris vel alieni: et hoc non ex aliqua causa levi, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente: et hoc est quod pertinet ad rationem libertatis vel servitutis. Unde status pertinet proprie ad libertatem vel servitutem sive in spiritualibus, sive in civilibus ». Hinc deprehendimus quinque status personarum in Ecclesia. *Status perfectionis* exercendae *in Episcopis*, *status perfectionis acquirendae in religiosis*, status eorum qui non sunt simpliciter in statu perfectionis, quamvis obligentur ad unum eorum quae ad perfectionem pertinent, scilicet: qui ordinantur in sacris, vel *status clericalis* propter mancipationem ad sacrum ministerium, cui contradistinguitur *status laicalis* seu communis christianorum; ac demum *status matrimonialis* propter mutuam subiectionem. De hoc ultimo tractatur in Lib. III, tit. VII° de matrimonio. De statu clericali, agitur in tit^s. huius sectionis. De Episcopis, eo quod in statu perfectionis constituuntur propter animarum curam perpetuo et cum solemnitate quadam susceptam, tractabitur in tit°. VIII Sectionis sequentis. Secunda pars huius Libri subsequetur de religiosis qui, non solum perfectionis statum amplexi sunt, et hac de causa legibus peculiaribus Ecclesiae manent obligati, sed societates minores in Ecclesia constituunt.

« Officium dicitur per comparationem ad actum » (ib. a. 1 ad 3^m). « Sed efficientia, a qua sumitur nomen officii,... importat actionem tendentem in aliud, ut dicitur (Metaph. l. IX, text. 16). Et ideo officia distinguuntur proprie secundum actus, qui referuntur ad alios; sicut dicitur doctor habere officium, vel iudex, et sic de aliis » (Ib. a. 3 ad 2^m). « Ordines autem ecclesiastici specialiter distinguuntur secundum diversa officia » (Ib. a. 3 ad 3^m). Similiter in hierarchia iurisdictionis diversa deprehendimus officia, quae tamen omnia ordinate considerari possunt ut in secunda sectione Primae huius Partis apparet... Et hoc idem in religiosis institutis posset fieri.

«Gradus demum dicitur secundum ordinem superioritatis et inferioritatis » (ib. a 1 ad 3^m). Unde in hierarchia iurisdictionis considerari possunt ordinariae iurisdictionis diversi gradus, eisdem colligando considerationem aliorum Ecclesiae membro-

rum vel personarum moralium, quae cum officiis singulorum graduum connexionem habeant, atque ita fit in Codice.

Patet ergo quod, quamvis diversitas statuum, officiorum et graduum secundum diversa sumatur, non sunt haec seiunctim pertractanda. « Contingit namque quod ista tria in eodem concurrant: puta cum aliquis deputatur ad aliquem actum altiorem, simul ex hoc habet et officium, et gradum, et ulterius quemdam perfectionis statum propter actus sublimitatem sicut de Episcopo patet » (ib. a. 3 ad 3^m).

162. **Ordo canonum.** — *Status clericorum et laicorum* in hoc titulo VI et in Codice sumitur, pro conditione non facile mutabili personae in Ecclesia iuribus determinatis praeditae ac simul obligationibus determinatis subiectae, in ordine ad finem Ecclesiae prosequendum modo sibi ipsi determinato. Inscriptio vero tituli est de modis canonicis transeundi ab statu clericali ad statum laicalem seu communem fidelium. Quod in can. 211 definitur, sed quia regressus ad meliorem statum erit quandoque rationabiliter permittendus, normae huius regressus in can. 212 traduntur. De effectibus canonicis reductionis ad statum laicalem determinat can. 213, et de exceptionali casu, qui similitudinem habet cum illa reductione, loquitur can. 214.

163. **Reductio ad statum laicalem.** — *Can. 211.* § 1. *Etsi sacra ordinatio* quaecumque, etiam inferiorum graduum pari modo institutorum ab Ecclesia, *semel valide recepta, numquam irrita fiat*, non iam in se, de quo utpote praeterito facto evidens est, sed nec amitti potest quoad effectum, propter indelebilem characterem sacramenti ordinis a quo tantum ratione differt potestas ordinis: hoc non obstante, *clericus tamen maior* etiam presbyter *ad statum laicalem redigitur* scilicet: ita ut iuribus et obligationibus laicorum fidelium contentus obligetur coram Ecclesia et coram Deo abstinere ab exercitio iurium clericalium, etiam illorum quae necessario proveniunt ab ordinatione iuxta divinam institutionem. Sic ergo reducitur: a) *rescripto S. Sedis* voluntarie obtento, b) *decreto* extra-iudiciali S. Congr^s. de disciplina Sacramentorum vel supremae Congr^s. S. Officii, ad normam can. 1993 §§ 1 et 3, *vel sententia* nempe: « legitima pronunciatione, qua iudex causam (contra sacram ordinationem) propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (canon. 1868, § 1) *ad normam can. 214*, et hoc etiam propter

eius voluntatem, ut videbimus, c) *demum poena degradationis*, ideoque solo actu potestatis ecclesiasticae.

§ 2. *Clericus minor ad statum laicalem regreditur*, I° *non solum ipso facto ob causas in iure descriptas*, quarum aliquas iam cognoscimus, II° *sed etiam* a) *sua ipsius voluntate*, b) *praemonito loci Ordinario*, idque sufficit nec opus est approbatione huius, III° *aut eiusdem Ordinarii* nempe dioecesis incardinationis a) *decreto* b) *iusta de causa lato*, quin processus fiat, et causa in genere describitur: *si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter iudicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri*. Unde causae iustitia Episcopi prudentiae remittitur, nec id obstat quominus clericus ille recursum habeat ad S. Sedem, si ex decreto se iniuste gravatum existimet, ad obtinendam permanentiam in clericatu.

164. **Regressus ad statum clericalem.** — Incipiens a clericis de quibus statuit immediate praec^s. §^us, loquitur *can. 212*. § 1. *Qui in minoribus ordinibus constitutus ad statum laicalem quavis de causa regressus est* iuxta praec. §^m, *ut inter clericos denuo admittatur*, non est repetenda clericalis tonsura seu ordinatio sacra; *requiritur* tamen *licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem*, et hoc bene notandum pro illis, qui ab ea forsitan excardinati regressi fuerint ad statum laicalem in alia dioecesi novae incardinationis; quae licentia ex can. *non est concedenda*, a) *nisi post diligens examen* seu informationem ex officio *super vita et moribus*, b) *et congruum, iudicio ipsius Ordinarii* licentiam concedentis, *experimentum*

§ 2. *Clericus vero maior* (i. e. saltem subdiaconus) *qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos* fortassis inferioris proprio gradus a principio *denuo admittatur, indiget Sanctae Sedis licentia*.

165. **Effectus reductionis ad statum laicalem.** — *Can. 213*, § 1. *Omnes* tum clerici maiores tum minores *qui e clericali statu ad laicalem legitime* i. e. ad normam can. 211 ab ecclesiastica auctoritate *redacti aut regressi sunt* sponte, *eo ipso* I° *amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia*, concorditer ad ea quae praescripta sunt de natura clericorum iuridica, et II° *vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre*. Ac iuste, ne fideles ratione decipiantur, quia, ut videbimus, laicis haec non licent ex can. 683. Hic canon am-

pliavit ad omnes huiusmodi clericos, quae ius Decretalium statuebat pro coniugatis clericis in tit. de clericis coniugatis (III, 3).

De clericis maioribus loquitur ex professo § 2. *Clericus tamen maior obligatione coelibatus tenetur*, cum quo praescripto canon implicite liberos supponit clericos maiores ab aliis et minores ab omnibus obligationibus clericorum. Pro illa obligatione adhuc admittit legislator exceptionem, aiens: *salvo praescripto can. 214*.

166. Reductio per sententiam iudicis in casu metus. — *Can. 214.* § 1. *Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit* etsi valide, et hoc primum, deinde: *nec postea, remoto metu* i. e. cessante, *eandem ordinationem ratam habuit*, exponitque modum *saltem tacite* a) *per ordinis exercitium*, b) *volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere*, ad quod sufficit hoc sciri ab ipso, tunc enim implicite per exercitium habet hanc voluntatem, nisi propter aliud motivum ordinem exerceat: si ergo nec saltem tacite modo praefato, et a fortiori requiritur nec expresse ordinationem, remoto metu, ratam habeat, *ad statum laicalem*, a) *legitime probata* I° *coactione* ad ordinationem suscipiendam, II° *et ratihabitionis defectu* factae videlicet cum duabus supra positis conditionibus, b) *sententia iudicis redigatur*, c) *sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus*. Et quidem iuste, quia nolens in ordinem sacrum iam receptum persistere, ad quem minores ordinantur in praesenti disciplina, sine causa in his permaneret. - Locutus est canon de iudicis sententia et de legitima probatione: has considerat Codex, dum adiungitur § 2. *Coactio autem et defectus ratihabitionis probari debent ad normam can. 1993-1998* positorum sub tit. XXI, Lib. IV, inscripto « De causis contra sacram ordinationem ». Usque nunc consideravimus clericos in genere.

SECTIO II.

De clericis in specie.

CAN. 215. - § 1. Unius supremae ecclesiasticae potestatis est provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas *nullius*, vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere.

§ 2. In iure nomine dioecesis venit quoque abbatia vel praelatura *nullius*; et nomine Episcopi, Abbas vel

Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet.

CAN. 216. - § 1. Territorium cuiuslibet dioecesis dividatur in distinctas partes territoriales; unicuique autem parti sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda, suusque peculiaris rector, tamquam proprius eiusdem pastor, est praeficiendus pro necessaria animarum cura.

§ 2. Pari modo vicariatus apostolicus et praefectura apostolica, ubi commode fieri possit, dividantur.

§ 3. Partes dioecesis de quibus in § 1. sunt *paroeciae; partes* vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur *quasi-paroeciae*.

§ 4. Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum inconsulta Apostolica Sede.

CAN. 217. - § 1. Episcopus territorium suum in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes, distribuat, qui veniunt nomine *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus*, etc.

§ 2. Si haec distributio, ratione circumstantiarum, videatur impossibilis aut inopportuna, Episcopus consulat Sanctam Sedem, nisi ab eadem iam fuerit provisum.

167. **Inscriptio sectionis.** — Sequitur *Sectio II. De clericis in specie;* seu in hac Sectione disponuntur praescripta, quae pluribus clericis sed non omnibus sunt communia, et quidem ratione hierarchiae iurisdictionis sub cuius gradibus et officiis sunt respectivi gradus et officia hierarchiae ordinis in praesenti Ecclesiae gubernatione disposita, ut alias diximus.

Cum vero iurisdictionis potestas in praelatis infra Romanum Pontificem subditos sortiatur ordinarie secundum territorium unicuique assignatum, de ecclesiastica territoriali divisione, praemittuntur tres canones.

168. **Divisiones territoriales Sedi Apostolicae reservatae.** — *Can. 215. § 1. Unius supremae ecclesiasticae potestatis est provincias ecclesiasticas*, quae sunt superiores territorii divisiones et constant ex pluribus sequentium, *dioeceses, abbatias vel praelaturas nullius*, de quibus in seq. §° et infra, *vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas*, quae omnes divisiones possunt quandoque non esse partes superioris divisionis: has ergo singulas a) *erigere*, i. e. de novo condere, b) *aliter circumscribere*, dando eis limites, quos prius non habebant, c) *dividere*, constituendo ex una plures, ac viceversa d) *unire*, e) *supprimere*, v. gr. mutando Vicariatum Apostolicum in dioecesim, vel territorium ac fideles tribuendo aliis dioecesibus circumstantibus, quin prioris titulus retineatur. Et hoc iam viget a longe retroacto tempore rationabiliter, quia immediatum Su-

periorem habent Sedem Apostolicam tum provinciae ecclesiasticae quarum natura iuridica ex determinatis dioecesibus, etc. composita est, tum alia territoria in provincias non coadunata.

169. **Nomina iuridica dioecesis et Episcopi.** — § 2. *In iure* iam antea condito sed nunc certo ac scripto, cui conformari praesumuntur canonica documenta publica, *nomine dioecesis venit quoque Abbatia vel Praelatura Nullius; et nomine Episcopi, Abbas vel Praelatus Nullius*, qui, ut vidimus in canone 198, etiam comprehenduntur sub nomine tum Ordinarii, tum Ordinarii loci. Exceptio seu limitatio praesenti canoni adiuncta est duplex: I° *nisi ex natura rei*, de qua in iure seu documento praesupposito II° *vel* alterutrius *sermonis contextu aliud constet*, h. e. certo. Qui sint Abbates vel Praelati Nullius discetur in Cap. Tit. seq. « de Praelatis inferioribus ». - Notandum est Episcopi vocabulum non extendi hoc in canone ad Vicarios Praefectosve Apostolicos.

170. **De divisione dioecesium** praescribunt sequentes duo canones. - *Can. 216. § 1. Territorium cuiuslibet dioecesis* cuius « nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can 215, § 2) *dividatur*, est ergo iussum adimplendum a Superiore qui « dioecesi » praeest. [1] *in distinctas partes territoriales:* quarum item praeceptive designantur constitutiva, scilicet: *unicuique autem parti* a) *sua peculiaris ecclesia*, quae a verbo designante partem illam « territorii » proprie appellatur paroecialis, b) *cum populo determinato est assignanda*, qui populus, supposita territorii praescripta limitatione, ex iure scripto de domicilio et quasi-domicilio satis determinatur communiter, c) *suusque peculiaris rector*, ideoque cum quadam recognita per Ecclesiam potestate, d) *tamquam proprius eiusdem pastor*, cum relatione iuridica necessario respiciente illos parochianos, *est praeficiendus pro necessaria animarum cura.* Quae proinde in foro tantum interno sufficiens est. - Huc pertinet quod declaravit S. Congr. Consistorialis [2] sub n. « II. Ad constituendas paroecias requiritur quidem Ordinarii decretum, per quod territorii fines, sedes paroecialis et dos tam pro cultu quam pro sacer-

[1] Sacra Congr. de Prop. Fide haec statuenda censuit: (9 Dec. 1920. C. O. XIII, 18) 1° Cum dioeceses huic Sacro Consilio subiectae tamquam missiones haberi debeant, permitti potest ut in eisdem aliqua pars territorii indivisa maneat, idest sine designatione limitum paroecialium.

[2] 1 Aug. 1919. C. O., XI, 346.

dotis sustentatione determinentur; necesse tamen non est inamovibilitatem rectori assignari, (nec determinari rectorem in Decreto eodem, quamvis convenienter fieret): quin imo, si iustae adsunt causae, amovibilitas in ipso creationis decreto declarari potest, iuxta canones 1411, 4°, 454, § 3, (statuentes modum in hac amovibilitate decernenda servandum) et 1438 » illud in decreto requirens ut salvum sit.

« III. Quod si exiguus aut fluctuans fidelium numerus, vel absoluta congruae dotis carentia erectionem quarumdam ecclesiarum in paroecias minime suadeant; huiusmodi ecclesiae uti *subsidiariae* vel *capellaniae* habeantur intra fines alicuius paroeciae, cuius in ditione ac dependentia manebunt, donec paroecialitatem propriam assequi poterunt ». - Haec norma quamvis data sit « dioecesibus quae, ante Const. *Sapienti consilio*, iurisdictioni S. Congr. de Prop. Fide subiiciebantur, postea vero in ius commune traductae sunt », dum ipsa exprimit mentem S. Congr^s. Consistorialis, poterit tute in casibus iisdem applicari alibi.

IV. In constituenda erigendarum (praedictarum sub n. II, aliarumque) paroeciarum dote prae oculis habeantur quae in Codice statuuntur, (prout in loco proprio) cann. 1409, 1410 et 1415, § 3 », nempe in Lib. III sub Titulo XXV « De beneficiis ecclesiasticis ».

« V. Erectione porro, uti supra, (et qualibet alia paroeciae) canonice peracta, rector paroeciae, sive parochus, sive vicarius oeconomus (nempe: « vacante paroecia » constituendus, can. 472, 1°, « iisdemque officiis adstringitur, ac parochus »..., can. 473, § 1, ac inde) obligatione tenentur applicandae Missae pro populo (ad normam can. 466); a qua eximuntur rectores ecclesiae subsidiariae vel capellaniae (de quibus loquuta est S. Congr. sub n. III). Quod quidem onus (applicandae Missae pro populo) si nimis grave reperiatur (in illis dioecesibus vel alibi), ad Sanctam Sedem recurrendum erit pro opportuna (dierum praescriptorum) reductione ».

Sicut dictum est de dioecesi in praec. §°, subditur alter § 2. *Pari modo* i. e. cum eisdem constitutivis *vicariatus apostolicus et praefectura apostolica*, et « ex sermonis contextu » (can. 215 § 2) huius canonis, non comprehensa sub dioecesis nomine in paragrapho praecedenti, non ex absoluto praecepto, sed *ubi*

commode fieri possit, idest; prout ait Instructio S. Congr. de Prop. Fide [1]: « 1) Ea est sacrorum Canonum mens ut cuiusvis seu Vicariatus Aplci. seu Praefecturae territorium in distinctas partes » *dividantur*, ad normam seq. § 3. « Quare Vicarii Praefectique Apostolici eo tendere debent ut Missionem sibi concreditam ad hanc suscipiendam aptae constitutionis formam adducant, et, ubi iudicaverint ad eam divisionem procedi posse, id perficere non omittant. 2) Non praepropere tamen et inconsiderate urgenda est divisio, praesertim si ea quae necessaria sunt, praevideantur defutura (can. 1415, § 3)...[2]. 3). Neque tamen necesse est aut suadendum ut tempus exspectetur quo totum Vicariatus vel Praefecturae territorium in quasi-paroecias dispertiri possit; pedetentim enim et per partes utiliter etiam proceditur, ita ut una pars in quasi-paroecias dividatur, alterius partis divisione in opportunius tempus dilata ».

§ 3. *Partes dioecesis de quibus in § 1, sunt paroeciae* iuxta receptam in usu significationem; *partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae*, sub conditione *si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus*, non unus pluribus, *appellantur quasi-paroeciae* in hoc Codice, quo inducitur haec canonica denominatio. - « Circa naturam paroeciarum seu missionum, in quas eaedem (ac supra ex Declaratione cit. S. Congr^s. Consistorialis) dioeceses partiuntur.... S. Congr.... censuit declarare: I. ex can. 216 Cod. I. C. indubium est, partes dioecesum ut supra, quibus peculiaris rector pro animarum cura sit adsignatus, uti paroecias in posterum haberi atque eo nomine appellari debere, reservata appellatione *quasi-paraeciarum* vel *missionum* partibus in quas, pro cura animarum, dividuntur Vicariatus apostolici et apostolicae Praefecturae ». Imo denominatio postrema *missionum* locum habet, nisi verificetur norma sequens « fideliter et diligenter servanda », cum ceteris citatae Instructionis:[1] « Erectio quasi-paroeciae fiat per decretum Ordinarii, quo clare describantur territorii limites. Ubi vero practice hoc obtineri non possit, sufficit declarasse quae christianitates ad singulas quasi-paroecias pertineant. Decreto insuper statuatur quae

[1] 25 Iul. 1920. C. O. XI, 231. — [2] Vide ad can. 302, 303, 304, § 1.

sit ecclesia principalis quasi-paroeciae, nec non residentia quasi-parochi »[1].

Ex cap. 14 de officio iudicis Ordinarii (I, 31) seu in Conc. Gen. Alex. III ait: « Quoniam in plerisque partibus infra eandem civitatem atque dioecesim, permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores: districte praecipimus, ut Pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesum, provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum, divina illis officia celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo ». Hoc caput adhuc viget, constituens exceptionem recognitam a Conc. Trid. in suo Decreto de Reform. c. 13 sessionis XXIV. « In iis quoque civitatibus, ac locis ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines nec earum rectores proprium populum, quem regant; sed promiscue petentibus sacramenta administrant; mandat S. Synodus Episcopis, pro tutiore animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque populum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant »; notanda quae subduntur: « aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant ».

Quae ultima pars prudenti Episcopi arbitrio cedens locum, ablata est in futurum, ac vis quoque imminuta cap[s]. Decretal, cit[i].: ait enim § 4. *Non possunt sine speciali apostolico indulto* singulis dando *constitui paroeciae pro diversitate* a) *sermonis* v. gr. incolarum seu parochianorum slavi, czechi idiomatis, b) *seu nationis* v. gr. italorum, gallorum *in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae* c) *mere familiares* v. gr. familiae regalis, vel quarundam familiarum oppidi, *d*) *aut personales* v. gr. militum; non abrogatur autem cap. cit. quoad paroecias ob rituum diversitatem, ad normam can. 1: *ad constitutas autem* (scilicet: in § recensitas) hucusque legitime *quod attinet, nihil innovandum, inconsulta Apostolica Sede.*

171. **Divisio dioecesis in vicariatus foraneos.** — Sicut distributio inferior Ecclesiae catholicae in dioeceses, etc. su-

[1] Insuper eadem S. Congr. censuit (9 Dec. 1920, CO. XIII, 18) quoad dioeceses ipsimet subiectas: 2º Quae vero territorii partes limitatae iam sunt vel limitari in posterum contingat ad normam can. 216, eae nomine paroeciae veniunt; at eisdem applicantur ea quoque quae de quasi-paroeciis peculiariter statuta sunt.

bordinatur divisioni eiusdem in provincias, pariter distinctio dioecesium in parochias subditur distinctioni, de qua statuit *can. 217. § 1. Episcopus territorium suum in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes*, quod notetur, *distribuat, qui veniunt* ex usu a Codice admisso *nomine vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus, etc.* - Prudentiae vero memor legislator subdit praescriptum de quo § 2. *Si haec distributio, ratione circumstantiarum* loci, personarum, bonorum forsitan temporalium, etc., *videatur* a) *impossibilis aut* b) *inopportuna, Episcopus consulat Sanctam Sedem*, a qua consultatione liberat sequens exceptio: *nisi ab eadem iam fuerit provisum* praecedenti actu positivo circa territorii distributionem in eas partes. - Quamvis canonis praescriptum attingat « Episcopum » solummodo, sub cuius nomine « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), atque « paroecias » non vero quasi-paroecias, S. Congr. de Prop. Fide in sua citata Instructione animadvertit: « 9) Optimum demum consilium erit, divisione territorii in quasi-paroecias peracta, dispertiri quoque Vicariatum vel Praefecturam in aliquos districtus qui plures quasi-paroecias comprehendant,... ut ita etiam Vicariatus foranei adumbrentur atque aptius regimini et administrationi missionis provideatur ».

TITULUS VII.

De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes.

172. **Divisio sectionis in titulos et huius tituli VII in capita.** — Posita territoriali Ecclesiae catholicae completa distributione, divisio secundae sectionis Libri secundi immediate inferior est in duos titulos, secundum gradus potestatis iurisdictionis, quibus ex institutione divina constat ecclesiastica hierarchia, ut vidimus in can. 108, § 3, et est optimum praedictae divisionis motivum.

Illa suprema potestas, de qua in titulo septimo, ordinarie ac ex iure divino personaliter possidetur a Romano Pontifice, extraordinarie vero exercetur in Concilio Oecumenico, hinc duo capita I et II sic inscripta. Participatio autem illius supremae

Synopsis Tituli VII Libri secundi

De suprema potestate — possessa —
- ordinarie et personaliter. Cap. I. De Romano Pontifice.
- extraordinarie ac collegialiter. Cap. II. De Concilio Oecumenico.

deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes
- pro sollicitudine univ. Ecclesiae —
  - praecipui ac personaliter. Cap. III. De S. R. E. Cardinalibus.
  - etiam secundarii et collegialiter. Cap. IV. De Curia Romana.
- pro ecclesiasticis Prov. —
  - personaliter et pro —
    - pluribus: Cap. V. De Legatis R. P.
    - singulis: C. VI. De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.
  - collegialiter: C. VII. De Conciliis plenariis et provincialibus.
- pro territoriis quae iuris divini Pastore non gaudent —
  - ordinarie in praesens: C. VIII. De Vicariis et Praefectis Apostolicis.
  - extraordinarie: C. IX. De Administratoribus Apostolicis.
  - ordinario ac stabiliter: C. X. De Praelatis inferioribus.

potestatis datur iure ecclesiastico quibusdam tanquam Romani Pontificis coadiutoribus in sollicitudine universali omnium ecclesiarum, et hi sunt praecipue S. R. E Cardinales, secundario Praelati, aliique officiales ac consultores, qui eam excercent collegialiter vel singulariter: primum exercitium fit per Curiam Romanam, secundum vero per Legatos Romani Pontificis; subsequuntur ergo « Cap. III. De S. R. E. Cardinalibus, Caput IV. De Curia Romana et Caput V. De Legatis Romani Pontificis ». Supremae potestatis est alia derivatio iuris ecclesiastici pro singulis provinciis vel pluribus earum, et quidem vel exercetur personaliter, atque hinc « Cap. VI De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis », vel collegialiter, unde « Caput VII. De Conciliis plenariis et Provincialibus ». Demum pro territoriis quae diocesibus aequipollent, Pastore tamen nondum gaudent qui prae-

ditus sit divini iuris officio, adsunt Proelati qui iuris ecclesiastici officio donantur; sicut etiam veris dioecesibus extraordinarie destinantur personae cum participatione iurisdictionis Romano Pontifici propriae in singulas dioeceses. Hinc tria ultima Capita iuxta eorumdem Praelatorum dignitatem coordinata: « Cap. VIII. De Vicariis et Praefectis Apostolicis », qui aequiparari possunt sequentibus respective: « Cap IX. De Administratoribus Apostolicis. Cap. X. De Praelatis interioribus ».

CAPUT I.

De Romano Pontifice.

Can. 218. - § 1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.

§ 2. Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens.

Can. 219. - Romanus Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino, plenam supremae iurisdictionis potestatem.

Can. 220. - Gravioris momenti negotia quae uni Romano Pontifici reservantur sive natura sua, sive positiva lege, *causae maiores* appellantur.

Can. 221. - Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet, ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio.

173. **Inscriptio Capitis et eius canones.** — *Cap. I. De Romano Pontifice*, de illo nempe qui legitime assumptus est ad regendam dioecesim Romanam, et sic vere succedens B. Petro, (qui dum ibidem sedem constituit suam, morte martyrii suum Apostolatum consummavit), eius Primatum in universam Ecclesiam usque ad finem mundi ex Christi voluntate permansurum consequitur. Sub nomine Rom. Pontificis venit in iure (C. « Vacante Sede Aplca. » Pii PP. X) supremus ceu « summus dominici gregis pastor et caput,... qui in B. Petri locum succedens, Christi Iesu in terris personam gerit ». Quae descriptiva definitio in prima eius parte designat officium et potestatem, qua summus est Pontifex, in secunda proximum motivum eam obtinendi, eo quod successor sit B. Petri, et in ultima parte supernaturalem illius dignitatem. Quatuor sunt huius capitis canones, in quibus successive officium et potestas Romani Pontificis primo denunciatur, eiusdem inauguratio in unoquoque

determinatur, negotia eidem propria principio indigitantur, et ultimo dicitur modus ex historia confirmatus, quo possit Romanus Pontificatus ex proprio Papae arbitrio amitti.

174. **Romani Pontificis officium et potestas.** — *Can. 218.* § 1. *Romanus Pontifex*, idest: Romanae dioecesis, *Beati Petri* Apostoli *in Primatu* (de quo Christus Iesus: « Pasce agnos meos, pasce oves meas ») *Successor habet non solum* 1° *primatum honoris*, quo certe insignitus est, *sed* 2° *supremam*, altiorem prae omnibus in Ecclesia, *et plenam potestatem iurisdictionis* i. e. totam illam quam Deus Ecclesiae suae tradidit, ac diversimode participatam a ceteris Praelatis, et quae protenditur a) *in universam Ecclesiam* quoad personas, b) *tum in rebus quae ad fidem et mores* pertinent iure quidem divino mensurandas, c) *tum in iis quae ad disciplinam* iure humano dimetiendam, *et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae* i. e. catholicae in finem ipsius Ecclesiae gerendum *pertinent*.

§ 2. *Haec potestas est* a) *vere episcopalis* seu superintendens, b) *ordinaria* ita ut adnexa officio, communiter data opportunitate sit exercenda, c) *et immediata* eo quod non per intermediarios Praelatos sit exercenda necessario, nec tamquam in gradu solum appellationis, nec solum pro negotiis ex se universalibus; atque illas dotes possidet *tum* a) *in omnes* simul *et singulas ecclesias* sive regionales, sive peculiares, *tum in omnes* coniunctim *et singulos* b) *pastores et fideles* c) *a quavis humana auctoritate independens*. Quae independentia est asserta praeterquam in aliis documentis, in damnatione Prop. XX Syllabi Pii IX: « Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu ».

Iste canon divinum Apostolici Primatus ius enuntiat iisdem verbis, ac istud definitum est a Conc. Vaticano sub anathemate in const. « Pastor aeternus » de Ecclesia Christi [1].

175. **Divisiones** supremae potestatis sic accipere possumus: cum iurisdictionis ecclesiasticae potestas idem sit ac « ius regendi subditos in ordine ad Ecclesiae finem », possumus considerare in Romani Pontificis iurisdictione tum eius materiam modumque ipsam attigendi, tum formam et modum exercendi potestatem ipsam, tum extensionem ratione subditorum, tum

[1] 18 Iul. 1870, c. III.

denique rationem ex qua Romanus Pontifex eamdem possidet potestatem. Indeque derivantur diversae divisiones in Summi Pontificis iurisdictione. — Primo « secundum materiam », si haec sit doctrina a fidelibus retinenda, est « supremum magisterium », si materia illa sint omnia quae divinum respiciunt cultum vel directam sanctificationem animarum, est « summum Ecclesiae sacrum ministerium », si demum quoad cetera media pro Ecclesiae obtinendo fine Summus Pontifex fideles ac pastores regat, conservari potest commune nomen, eritque « suprema regiminis potestas ». Qua ultima potestate Romanus Pontifex disponit ut plurimum de rebus Ecclesiae propriis, et tunc est « directa » respectu materiae, sed non raro propter accidentalem rerum temporalium connexionem cum ordine ad Ecclesiae finem, potest Papa illam potestatem extendere usque ad res ac personas extraneas Ecclesiae, et rite vocanda esset illa potestas « indirecta ».

2° ratione « formae » in exercitio, divisio adhibita communiter in societatibus adoptari potest, ita ut etiam potestas R. Pont[is]. distinguatur in « legislativam », quae generaliter statuta condit, in « exequutivam » quatenus leges applicat ad singulos casus, et quidem dupliciter; videlicet: in forma contentiosa et est « potestas iudicialis », vel extra iudicii formas, et erit « potestas administrativa »; demum cogens inobedientes fideles ad parendum auctoritati Ecclesiae propriae, et tunc vocatur « potestas coercitiva, seu poenalis ». Sed aliter quoque modum invenire licet diversum in exercenda iurisdictione per Romanum Pont. Potest enim Papa regulas iuris communis libere observare, et vocabitur « potestas ordinaria » ipsius: vel non sic, sed potestatis plenitudine sibi propria utitur Papa, secundum quam supra ius est constitutus, et recte vocatur « potestas extraordinaria ».

3° ratione « subditorum » quos respiciunt actus iurisdictionis Pontificiae, diversam potestatis extensionem consideramus: eritque stricte universalis si exercetur in totum orbem catholicum, vel respiciet Ecclesiam non orientalem, et tunc agere videretur tamquam Patriarcha occidentis, vel ad Italiam et insulas adiacentes se convertit, et conveniret cum antiquis Primatibus; vel pro Romana Provincia vel civitate, ac tunc se geret ut Metropolitanus Romanus respective aut Episcopus civitatis

Romae. Sed bene considerandum has denominationes sumi non proprio sensu ac restrictivo, quia etiam has diversas regiones, sicut alias, obligare potest vi auctoritatis supremae ac ex potestatis plenitudine.

4° ratione *modi* quo potestas R. Pontificis ab Eodem possidetur, erit potestas « propria » vel potestas « vicaria », quae ab invicem distinguuntur, eo quod priore utatur erga materias omnino relictas suae potestati absque limitibus pro actus validitate, altera vero utatur circa illas materias sibi subiectas ut stricte gerenti vices Dei, proindeque necessario requiritur iusta causa pro illius potestatis valido exercitio.

176. **De initio potestatis in unoquoque Rom. Pont.** — *Can. 219. Romanus Pontifex, legitime electus*, in vigenti disciplina ad normam can. 160, *statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino*, quod exposuimus in praec. can. 218, *plenam supremae iurisdictionis potestatem*, de qua ibidem. Notandum autem non obtinere cum tali electione potestatem ordinis, qua fortassis careat plena. Huic canoni concordant ex C. « Vacante Sede Apostolica » citata num[i] « 87. Post electionem canonice factam consensus electi per Card. Decanum nomine totius S. Collegii requiratur ». (Ex Coerem. Greg. XV). « 88. Hoc consensu praestito » qualitercumque certo « intra terminum quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium (ex contextu, eligentium) per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. 90. Quod si electus nondum sit Presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur ». Haecque omnia vigent.

177. **Causae maiores.** — *Can. 220. Gravioris momenti negotia quae*, sive iudicialiter sive extra iudicium tractanda *uni Romano Pontifici reservantur* a) *sive natura sua* v. gr. quae infallibilitatis donum ei personale praesupponunt, b) *sive positiva lege* v. gr. in can 1557 § 1[1], *causae maiores appellantur*

[1] Can. 1557 § 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:
1° Eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum: — 2° Patres Cardinales: — 3° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares.

Non vero quae Congregationibus Romanis vel Tribunalibus Romanae Curiae reservatae sunt. Ad triplicem classem illae referri possunt. Videlicet: aliquae sunt ratione materiae, quando nempe istae propter sui naturam a Sede Aplca. solum definitiva sententia iudicari queunt. Aliae sunt causae maiores propter personarum de quibus agitur dignitatem, quae, etsi laica, postulat ex decentia ut Sedi Apostolicae earum causae deferantur, et expresse in iure sacro idipsum cavetur. Huc pertinet caput 5 sess. XXIV de Ref. Conc. Trid. « Causae criminales graviores contra Episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Rom. Pont. cognoscantur et terminentur. Quod si eiusmodi sit causa, quae necessario extra Rom. Curiam sit committenda; nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis a beatissimo Papa eligendis. Haec vero commissio, et specialis sit, et manu ipsius SSmi. Pontificis signata; nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Rom. Pont. transmittant; reservata eid. Ssmo. sententia definitiva. Cetera alias sub fel. rec. Iulio III supra his decreta (sess. XIII cc. 6. 7. 8), necnon et Const. sub Inn. III in Conc. Generali quae incipit « Qualiter et quando » (c. 24 de accusationibus... V, 1) quam S. Synodus in praesenti innovat, ab omnibus observetur ». Quorum textuum dispositiones vel hoc in cap. continentur, vel ad modum procedendi pertinent, proindeque sunt materia Libri IV Codicis iuris canonici.

Demum causae maiores vocandae sunt omnes aliae Rom. Pont. reservatae in iure canonico, discendaeque in aliis Titulis; quod sic exprimit Conc. Trid. in c. 20 sess. XXIV de Ref. ... « Ab his (praescriptionibus) excipiantur causae, quae iuxta canonicas sanctiones apud Sedem Aplcam. sunt tractandae », atque adiungit: « vel quas ex urgenti, rationabilique causa iudicaverit summus Pont. per speciale rescriptum Signaturae Sanctitatis suae, manu propria subscribendum committere, aut avocare ». Scilicet: agnoscitur *ius Papae* avocandi ad se causas ecclesiasticas, ut in priori instantia eius Auctoritate definiantur.

178. **Summi Pontificatus renunciatio.** — Sicut in canone 219 unice facta fuit mentio de canonica electione, quae in Ecclesia semper fuit habita, ut modus designandi verum Petri

successorem, ec silentio praetermissa est quaestio: num Rom Pont. sibi designare queat legitimum successorem modo sibi beneviso; pariformiter loquitur canon subsequens 221 de modo amittendi Summum Pontificatum ex historia confirmato, nullam faciens mentionem, an quid idem contingat, si persona illum Primatum tenens in amentiam fortassis perpetuam inciderit, vel ut privata persona haeresim amplecteretur, idque ipsum fieret publici iuris. Haec esse possibilia nullum negandi motivum apparet, ast quamvis ab Auctoribus quaestiones huiusmodi tractentur, videntur non carere quadam curiositate, si electi ad S. Pontificatum persona perpendatur, atque Divina Providentia vigilans indubie ac efficaciter bono Ecclesiae suae atque Romani Pontificis custodiae uti membri praecipui illius. Et si casus eveniret, solutio praevia quaestionis non multum proficeret nunc data, quando eventus circumstantiae praevideri nequeunt. Silentium Codicis suffultum est ceteroquin iuris principio [1]: « Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur » et [2] « Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter, et facile, quam quae perraro eveniunt ». Intellige principia huiusmodi, nisi causa proportionata subeat pro aliqua lege, sicut extat pro *can. 221. Si contingat ut Romanus Pontifex renuntiet*, de cuius facti certitudine ut constet, interest Ecclesiae quam maxime, *ad eiusdem renuntiationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio*, v. gr. Concilii Oecumenici forsitan existentis. Et hoc erat necessario statuendum, ut cognosceretur quo modo haec renunciatio contenta non esset sub can. 187. Immo quamvis ratio dictet, ex divino ac naturali iure vigere pro hac renunciatione can^s. 184 et 185, et quamvis can. 186 optime servandus esset ad certitudinem renunciationis protegendam, tamen Summus Pontifex illum servare pro renunciationis validitate non esset obligatus. Factum historicum renunciationis memoratur et cum utilitate in cap. 1 de renunciatione (I. 7.) in 6° « Quoniam aliqui curiosi disputantes de his, quae non multum expediunt, et plura sapere, quam oporteat, contra doctrinam Apostoli, temere appetentes, in dubitationem sollicitam, an Romanus Pon-

[1] Pand. Lib. I tit. III, l. 4. — [2] l. 5.

tifex (maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendam universalem Ecclesiam, et Summi Pontificatus onera supportanda) » unde etiam ob alias causas « renuntiare valeat Papatui, eiusque oneri et honori, deducere minus provide videbantur: Coelestinus PP. V Praed. noster, dum eiusdem Ecclesiae regimini praesidebat, volens super hoc haesitationis cuiuslibet materiam amputare, deliberatione habita cum suis fratribus S. R. E. Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus) de nostro et ipsorum omnium concordi consilio et assensu, auctoritate Apostolica statuit, et decrevit: Romanum Pontificem posse libere resignare. Nos igitur statutum huiusmodi ne per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eandem in recidivam disceptationem... ad perpetuam rei memoriam, de fratrum nostrorum consilio duximus redigendum ».

CAPUT II.

De Concilio Oecumenico.

CAN. 222. - § 1. Dari nequit Oecumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum.

§ 2. Eiusdem Romani Pontificis est Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare.

CAN. 223. - § 1. Vocantur ad Concilium in eoque ius habent suffragii deliberativi:

1° S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi;

2° Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati;

3° Abbates vel Praelati *nullius;*

4° Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat.

§ 2. Etiam Episcopi titulares vocati ad Concilium, suffragium obtinent deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur.

§ 3. Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati, suffragium non habent, nisi consultivum.

CAN. 224. - § 1. Si quis ex vocatis ad Concilium ad normam can. 223, § 1, eidem, iusto impedimento detentus, interesse non possit, mittat procuratorem et impedimentum probet.

§ 2. Procurator, si fuerit unus e Concilii Patribus, duplici suffragio non gaudet; si non fuerit, publicis tantum sessionibus interesse potest, sed sine suffragio; expleto autem Concilio huius acta subscribendi iùs habet.

CAN. 225. - Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii praeside cognita ac probata discessionis causa et impetrata abeundi licentia.

CAN. 226. - Propositis a Romano Pontifice quaestionibus Patres possunt alias addere, a Concilii tamen praeside antea probatas.

CAN. 227. - Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata.

CAN. 228. - § 1. Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate.

§ 2. A sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium Oecumenicum appellatio.

CAN. 229. - Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari iusserit.

179. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Deinde considerandum est *Caput II* inscriptum *De Concilio Oecumenico;* de qua inscriptione libenter excerpimus ex Bened. XIV Tractatu « de Synodo dioecesana » quae sequuntur, et adhuc vere dicta sunt: « Synodus, ut ipsa praesefert nominis etymologia, idem est, ac Concilium; seu plurium in unum locum, aliquid deliberandi gratia, conventus ». Et infra [1]. « Verum postea apud nos usus passim obtinuit, ut Synodi et Concilii nomine, non locus, nec quicumque hominum coetus, sed ii significentur, in quibus Episcopi intersunt, et Ecclesiastica negotia potissimum pertractantur ». Et n. II « Conciliorum seu Synodorum, quatuor nunc genera passim Auctores enumerant, Generalia, Nationalia », his substituuntur in Codice nostro Plenaria, « Provincialia et Dioecesana ». Et haec quatuor in Codice inveniuntur. Hic vero tantum de primo genere. « Generalia, quae et Oecumenica dicuntur, ea sunt, ad quae vocantur Episcopi totius orbis », aliique recensiti in § 1° can. 223, « qui possunt et debent iisdem interesse, nisi legitime impediantur, et quibus praesidet Romanus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos ».

In hoc Capite sic canones ordinantur: can. 222 est de habente potestatem in Concilium, postea de his qui Concilium Oecumenicum constituunt in cann. 223-225 agitur, de ipsius decretis subsequuntur alii duo canones 226 et 227, eiusque potestas tripliciter determinatur in duobus ultimis 228 et 229.

180. **Convocatio.** — *Can. 222. § 1* nos docet veri Oecumenici Concilii initium, dicens: *Dari nequit Oecumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum.* Inter causas ergo maiores adnumeratur et quidem ab antiquo. Sic enim ait[2] Pelagius II: « Multis denuo Apostolicis, et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari. Quapropter, ut iam dictum est, recte non concilium, sed vestrum conventiculum

[1] Lib. I. Cap. I, n. I.
[2] Can. 5, Dist. XVII.

cassatur », ita dictum propter huiusmodi defectum, « et quidquid in eo actum est, irritum habetur, et vacuum ». Quod nunc etiam § 1 huius virtute viget. - Praeter convocationem legitimam, tum praesidatus ipsius Concilii, tum disciplina in eo peragendo servanda, tum denique translatio, suspensio atque finalis dissolutio Concilii Oecumenici arguunt auctoritatem super ipsum, quae proinde consequenter Romano Pontifici ratione Primatus adiudicanda sunt. Inde § 2. *Eiusdem Romani Pontificis est* a) *Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse*, b) *res in eo tractandas* c) *ordinemque servandum constituere ac designare*, d) *Concilium ipsum transferre*, e) *suspendere*, f) *dissolvere*, g) *eiusque decreta confirmare*. Quae omnia semper viguerunt ut ex historia constat, et abunde refert Leo X in Conc. Later. V [1], unde summarium referimus a Leone XIII insertum in ep. encycl. « Satis cognitum »[2]: « Recte igitur in Conc. Lateranensi V Leo X statuit: « Solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum ,, et a fortiori suspendendorum » plenum ius ac potestatem habere, nedum Sacrae Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum romanorum Pontificum sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat ,,. Sane claves regni Coelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur: at vero summam potestatem sine Petro et contra Petrum unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Iesu Christo nullo pacto accepere ». Et Pius IX in Litt. apostolicis « Multiplices inter » II [3] testatur: « Licet ius et munus proponendi negotia, quae in Sancta Oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat ». Demum de praesidatu et actorum confirmatione sufficiat memorari can. 2. Dist. XVII, ubi Iulius PP. I ait: « Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit: quoniam nec ab orthodoxis Episcopis hoc concilium actum est, nec Romanae Ecclesiae Legatus interfuit: canonibus praecipientibus sine eius auctoritate concilia fieri

[1] C. « Pastor aeternus ». 19 Decembris 1516. § 2. — [2] 29 Iun. 1896. — [3] 27 Nov. 1869.

non debere. Nec ullum ratum est, aut erit umquam Concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate ».

181. **Patres Concilii Oecumenici, aliique intervenientes.** — Iam de Conc^{i}. Oecum^{i}. Patribus qui ex iure illud constituunt. *Can. 223.* § 1. *Vocantur ad Concilium* ex capitis inscriptione « Oecumenicum », etiamsi expresse non recenseantur in convocationis Bulla, *in eoque ius habent suffragii deliberativi* sequenti ordine ex litt^{s}. ap. « Multiplices » Pii IX[1] desumpto: 1° *S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi* charactere nec Sede iurisdictionis, atque tunc ex iuris privilegio propter supereminentem ipsorum dignitatem. 2° *Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales*, quod verbum est distributive sumendum, *etiam nondum consecrati*. Tamen post expeditionem litterarum et captam possessionem suae uniuscuiusque dioecesis. Illud quidem consequuntur ratione Episcopalis Officii ut Apostolorum successores, atque ex Conc^{i}. universalis natura, quae totam Ecclesiam quoad Pastores repraesentat. Cui rationi innititur sed iure ecclesiastico quod sequitur: 3° *Abbates vel Praelati nullius*; item privilegio iuris suffulti sunt 4° *Abbas primas*, nempe: benedictinorum atratorum. *Abbates superiores Congregationum monasticarum*, etiam illorum benedictinorum, aliorumque monachorum, *ac supremi Moderatores religionum* (notetur bene) a) *clericalium*, b) *exemptarum* « etiamsi Vicarii generalis titulo appellentur, dum tamen re ipsa cum omnibus supremi moderatoris iuribus et privilegiis universo suo Ordini legitime praesint »[2], *non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat* pro singulis Conciliis Oecumenicis in futurum celebrandis. - Quae respiciens statuit § 2. *Etiam Episcopi titulares, vocati ad Concilium*, quae conditio est necessaria, *suffragium obtinent deliberativum* merae vi convocationis ad ipsos factae, et rationabiliter, dum per donum consecrationis habiles facti sunt ad docendum et regendum; sed qualitas suffragii coartatur sequenti clausula: *nisi aliud in convocatione expresse caveatur.* Quo casu sequentibus in hoc adnumerarentur. Videlicet: § 3. *Theologi ac sacrorum canonum periti, ad Concilium forte invitati*, et in hac tantum hypothesi adhuc *suffragium non habent, nisi consultivum.*

[1] N. IV.

[2] Litt. ap. « Multiplices », 27 Nov. 1869. n. IV.

182. **Praedictorum obligationes.** — *Can. 224. § 1. Si quis ex vocatis ad Concilium* non ex omnibus, sed *ad normam canon. 223, § 1, eidem, iusto impedimento detentus*, non alia de causa, et quod posset a natura vel officii ratione vel aliorum vi provenire, *interesse non possit*, duo tunc adimpleat, scilicet: *mittat procuratorem et impedimentum probet.* Sic extensum fuit praescriptum Pii IX pro Conc. Vat. in litt. ap. « Aeterni Patris »[1]. - De huius procuratoris iuribus cavet § 2. *Procurator, si fuerit unus e Concilii Patribus*, v. gr, alius Episcopus residentialis, *duplici suffragio non gaudet;* puto tamen quod Episcopus titularis cum voto consultivo ad Concilium vocatus, si procurator absentis fieret, in deliberativum commutaret propter repraesentatum; *si non fuerit* Concilii Pater, vi procurationis *publicis tantum sessionibus interesse potest, sed sine suffragio* ullo, hoc supponit dari alias Congregationes (praeter illas sessiones) ad deliberandum ac disceptandum; *expleto autem Concilio, huius acta subscribendi ius habet* quicumque Procurator ob initium paragraphi ac contextum.

183. **Obligatio non discedendi.** — *Can. 225. Nemini eorum qui Concilio interesse debent*, quocumque ergo motivo, etsi Concilii Patres dici nequeant, *licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum*, sed propter peculiares emergentes casus additur: *nisi a Concilii praeside* actu, per se vel per alium I° *cognita ac probata discessionis causa et* II° *impetrata abeundi licentia.* Haec generalis norma concors est peculiari pro Conc. Vatic. in litt. citatis « Multiplices inter », n. IX.

184. **Ius proponendi.** — Pariter consonat n. II in cit. Litt. *can. 226. Propositis a Romano Pontifice quaestionibus* secundum ipsius ius assertum in can. 222, § 2, *Patres possunt alias addere*, ius ergo hinc habent sequenti sub conditione quoad ipsas: *a Concilii tamen praeside antea probatas*, modo tamen legitimo si constitutus fuerit vel sibi beneviso.

185. **Conciliaria Decreta.** — *Can. 227. Concilii decreta* i. e. disciplinaria (de dogmate enim idipsum tenendum est ob eius naturam) *vim definitivam obligandi non habent, nisi* I° *a Romano Pontifice* personaliter *fuerint confirmata* sive in eadem Concilii sessione, si praesens fuerit Papa, sive alias ut pluri-

[1] 29 Iun. 1868.

mum post eorum conditionem, et II° *eius iussu promulgata*. De his enim Decretis valet quoque can. 8, § 1: « Leges instituuntur, cum promulgantur ». Haec autem promulgatio non regitur can. 9, quia non sunt « leges ab Apostolica Sede latae » ad normam can. 7. De qua re iam Paschalis Papa scribebat Panormitano Archiep°.[1]. « Aiunt in Conciliis statutum non inveniri: quasi Romanae Ecclesiae legem concilia ulla praefixerint: cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas ».

186. **Concilii Oecumenici potestas.** — Potestatem Conc. Oecumenici generaliter definit *can. 228*. § 1. *Concilium Oecumenicum* proprie, non solum legitima convocatione, ac incoeptione, sed etiam eo quod multitudine Patrum vere repraesentet universam regentem Ecclesiam, vel propter diversas regiones unde venerunt, etsi aliqua desit, nec maiori Praelatorum omnium Ecclesiae numero coalescat, vel propter hunc maiorem numerum, etsi ad duas tertias omnium partes non pertingat, et ex quibusdam non venerint nationibus; etc. ita ut ob circumstantias non sit censendum Concilium quorumdam Episcoporum a Romano Pontifice celebratum, prout de iure Primatus posset; ast tunc « Acta » essent potius « Sedis Apostolicae », quam Oecumenici « Concilii decreta » (can. 226). - Illud ergo sic declaratum Concilium, qua collegiale subiectum *suprema pollet in universam Ecclesiam potestate*. Concorditer tum interrogationi faciendae Wicleffitis et Hussitis ex Bulla « Inter cunctas »[2] Martini V. « 5. Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium Generale universalem Ecclesiam repraesentet? » docentem quidem seu gubernantem; tum damnationi Prop. Martini Luther « 29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis et iudicandi eorum decreta », haec quoad disciplinam, « et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio ». Si ergo « via nobis facta non est », sequitur id esse propter ipsius supremam potestatem.

[1] In cap. 1 de electione et electi potestate (I, 6).
[2] 22 Febr. 1848.

Sed inde dubium exurgit: quo modo deforme non sit in eadem societate circa eadem obiecta duplicem dari potestatem supremam residentem in diversis subiectis, nempe in Romano Pontifice ac simul in Concilio Generali rite incepto, dum hoc exercet illam. Equidem Romanus Pontifex tempore aperti Concilii Oecumenici non amittit nec diminutam habet suam Primatus potestatem. - Ad hoc respondendum cum principio a D. Thoma in quaestione simili proposito[1]. « Inconveniens est, quod duo aequaliter super eumdem gregem constituantur. Sed quod duo quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus, et Papa ». Atque adiungimus iuxta idem principium: super eamdem Ecclesiam Christi immediate sunt tempore alicuius Oecumenici Concilii, istud persona moralis collegialis et principalior Romani Pontificis persona, uti duplex subiectum eiusdem potestatis. « Principalior » dixi, tum quia potestas suprema praecipue in eo est, tum quia haec Romani Pontificis auctoritas in dies exercetur pro quibuscumque Ecclesiae generalibus ac specialibus negotiis, igitur ordinarie ac perpetuo; potestas vero Concilii Generalis etsi habitualiter ad eadem omnino negotia se extendat, tamen non exercetur, nisi pro his quae ad ipsius coadunationem impulerunt, seu extraordinarie ac temporanee. Imo potestas Romani Pontificis personalis praeeminet Concilii Universalis potestati, quatenus ab illa pendet Concilii existentia, Romanus Pontifex ut caput Concilio praeest, a quo capite derivatur potestas ipsius suprema, integra cum infallibilitate, subduntur ei Patres Concilii etiam omnes simul quoad disciplinam in Concilio servandam, huiusque acta disciplinaria et moralia et dogmatica ab eodem Romano Pontifice vim completam suscipiunt. Nec tamen propterea Patres Concilii sunt mere consiliarii, sed iudices ac definientes, non aliter quam ut ait Dominus Apostolis: « Amen dico vobis, quod in regeneratione cum venerit Filius hominis in *sede* maiestatis suae, *sedebitis* et vos super *Sedes* duodecim iudicantes duodecim tribus Israel ». Idest cum ipso et sub Ipso, a quo eadem potestas erit derivata eidemque accessoria. - Hinc sequitur necessario § 2. *A sententia Romani Pontificis non datur*

[1] In 4 Sent. dist. XVII, a. 4 ad q. 4 ad 3.

ad Concilium Oecumenicum eiusdem sententiae tempore praesens aut futurum *appellatio*, utpote quae facienda sit de inferiore ad superiorem iudicem [1]. Similiter dicendum de quocumque recursu profluit ex can. 222 § 2.

187. **Eiusdem suspensio.** — Ex dictis rationabiliter sequitur Concilium Oecumenicum sine Romano Pontifice non solum acephalum, sed quoad supremam potestatem defectu aliquo saltem gravi laborare: hinc recte quamvis alio ex motivo praescriptus est pro casu Sedis vacantis ex Romani Pontificis morte (quae non raro evenit Concilii Generalis tempore) *can. 229. Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex,* non solum rite electus fuerit et electionem acceptaverit, sed *illud resumi et continuari iusserit.* Hoc generaliter statutum fuit primo a Pio IX in const. « Romanis Pontificibus » [2], instante Concilii Vaticani principio, qui ad hoc motus est recordatione mortis superventae Iulio II tempore Conc. Later. V, atque Pauli III et Pii IV exemplis perdurante Concilio Tridentino, causa sui successoris electioni pacificae providendi. Huius Pii praescriptum in C. « Vacante Sede Apostolica » a Pio X insertum adhuc viget, ac explicat canonem quem commentamur. En eius verba [3]: « 28. Si quando contingat ut Romanus Pontifex decedat, perdurante celebratione alicuius Concilii generalis, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis orbis terrarum loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive fieri debet, minime vero ab ipso Concilio, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuslibet aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii, auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos. Quin imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere queant, ipsum Concilium in quibuslibet statu et terminis existat, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis, suspensum ipso iure intelligi debet, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a qui-

[1] « Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a iudiciis RR. Pontificum ad Oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Rom. Pontifici superiorem appellare ». Ita in Conc. Vaticano sess. IV, c. III. — [2] 4 Dec. 1869. — [3] Tit. II, Cap. I.

buslibet conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis decretis seu canonibus conficiendis, nec ob quamlibet causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit ».

Quaeri potest quid iuris « si contingat Romanum Pontificem e vita decedere » post Concilii Oecumenici convocationem sed ante celebrationis tempus, quae incipit caeremoniis inaugurationis ? - Resp.[1] « Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur ». Quamvis igitur Concilium Oecumenicum incipi nequeat vacante Sede Apostolica, quia plus est iuridice illud intermitti, quando iam est supremae potestatis subiectum, quam non adipisci hanc potestatem per ipsius inaugurationem, iuxta reg. iuris 35 in 6° « Plus semper in se continet quod est minus », attamen videtur canoni magis conforme convocatos exspectare posse novi Pontificis iussionem.

CAPUT III.

De S. R. E. Cardinalibus.

Can. 230. - S. R. E. Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt.

Can. 231. - § 1. Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur: episcopalem, ad quem soli pertinent sex Cardinales diocesibus suburbicariis praepositi; presbyteralem, qui constat Cardinalibus quinquaginta; diaconalem, qui quatuordecim.

§ 2. Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique titulus aut diaconia in Urbe assignatur a Romano Pontifice.

Can. 232. - § 1. Cardinales libere a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur, viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. A Cardinalatus dignitate arcentur:

1° Illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati; itemque alii irregulares vel a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones, etsi cum ipsis auctoritate apostolica fuerit ad ordines et dignitates etiam episcopalem dispensatum;

2° Qui prolem etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel nepotem ex ea habent;

3° Qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sunt.

Can. 233. - § 1. Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice in Consistorio sicque creati et publicati obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et privilegia de quibus in canone 239.

§ 2. Si tamen Romanus Pontifex creationem alicuius in Consistorio annuntiaverit, eius nomine sibi in pectore reservato, sic promotus nullis interim gaudet Cardinalium iu-

[1] Pand. Lib. I, Tit. III, l. 4.

De S. R. E. Cardinalibus[1].	natura dignitatis	quoad singulos	Can. 230
		quoad Sacrum Collegium	» 231
	creandis qualitates praeviae		» 232
	in eorum creatione	actus Rom. Pontificis	» 233
		iuramentum quandoque emittendum	» 234
		effectus	» 235
	quoad ascensum	per optionem	» 236
		ad decanatum S. Collegii	» 237
	obligatio residentiae		» 238
	privilegia		» 239
	iura	Cardinalium diversi ordinis	» 240
		Sacri Collegii, Sede Apostolica vacante	» 241

ribus aut privilegiis, sed postquam a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem fruitur a publicatione, iure vero praecedentiae a reservatione in pectore.

CAN. 234. - Promotus absens a Curia debet in recipiendo bireto rubro iurare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento Summum Pontificem aditurum.

CAN. 235. - Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a Sancta Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram non solum ipso facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur.

CAN. 236. - § 1. Per optionem in Consistorio factam et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate ordinis et promotionis, Cardinales ex ordine presbyterali transire ad alium titulum et Cardinales ex ordine diaconali ad aliam diaconiam et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint, etiam ad ordinem presbyteralem.

§ 2. Cardinalis ex ordine diaconali, transiens per optionem ad ordinem presbyteralem, locum obtinet ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsum ad sacrae purpurae honorem assumpti sunt.

§ 3. Suburbicaria si vacet sedes, Cardinales ex ordine presbyterali, qui momento vacationis praesentes fuerint in Curia vel ab ea absentes ad tempus ob sibi commissum negotium aliquod a Romano Pontifice, optare eam possunt in Consistorio, servata prioritate promotionis.

§ 4. Cardinales quibus una ex ecclesiis suburbicariis est assignata, aliam optare nequeunt; cum vero Cardinalis gradum Decani attigerit, dioecesim suam Ostiensi cumulat, quae proinde cum alia atque alia dioecesi suburbicaria in persona Cardinalis Decani semper coniungitur.

CAN. 237. - § 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, idest antiquior promotione ad aliquam sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales.

§ 2. Vacante decanatu, ipso iure succedit Subdecanus, sive in tem-

[1] Vide alios canones in pag. 222, 223, 233.

pore vacationis sit praesens in Curia, sive in sua suburbicaria dioecesi commoretur, sive absit ad tempus ob sibi commissum munus a Romano Pontifice.

Can. 238. - § 1. Cardinales tenentur obligatione residendi in Curia, nec fas est ipsis ab eadem discedere sine licentia Romani Pontificis, salvo praescripto §§ 2, 3 huius canonis.

§ 2. Haec obligatio urget quoque Cardinales Episcopos suburbicarios; sed ipsi non indigent licentia ut sese conferant ad dioeceses sibi commissas, quoties opportunum iudicaverint.

§ 3. Cardinales qui sunt Episcopi alicuius dioecesis non suburbicariae, lege residendi in Curia eximuntur; sed cum ad Urbem venerint, Summum Pontificem adeant, nec ab Urbe discedant antequam ab eodem abeundi licentiam impetraverint.

188. **Inscriptio capitis.** — Deinde considerandum est *Cap. III* inscriptum *De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus*, quod verbum (relictis aliis etymologiis) ratione historica derivatum videtur ab incardinatione dioecesi romanae, ita ut sic prius nominarentur Sacerdotes rectores diversarum Ecclesiarum Urbis, quibus accesserunt Diaconi regionarii, et Episcopi finitimarum Urbi dioecesium, qui in Basilica S. Ioannis Lateranensis assistebant Romano Pontifici sacra celebranti. Cum progressu temporis eorum munus eligendi Romanum Pontificem exclusive ipsis deferretur, et a Summis Pontificibus aucti fuerint dignitate, nunc temporis sunt illi qui obtinent potissimam dignitatem a Papa seu post Papam in Ecclesia, quamvis ex iure ecclesiastico ortam.

189. **Ordo canonum.** — Canones successive tractant: de huius dignitatis natura can. 230, 231, de qualitatibus creandorum Cardinalium can. 232, can. vero 233 quo actu creantur, cui subsequuntur can. 234 de iuramento praestando per novum Cardinalem, et de promotionis effectibus can. 235, alii duo canones praescribunt modum adipiscendi altiores gradus in ipso sacro Collegio; de obligatione residendi unicus est canon 238, cui additur 239 de privilegiis, et 240 de iuribus, et clauditur caput canone 241 de potestate Sacri Collegii, Sede Apostolica vacante.

190. **S. R. E. Cardinalium dignitas.** — *Can. 230. S. R. E. Cardinales Senatum* i. e. seniorum coetum consiliarium *Romani Pontificis constituunt, eidemque in regenda ecclesia*, ut singuli etiam inter alios praelatos ac clericos *praecipui consiliarii et adiutores assistunt.* Const. praecipua quae agit de iisdem est « Postquam verus ille » Sixti V [1]. In cuius initio praesens canon

[1] 3 Dec. 1586.

ampliatus invenitur. Sed ipse Nicolaus III in cap. 17 de electione et electi potestate in 6° (I, 6) vocans eos « fratres suos », ait « qui Romano Pontifici in exequutione officii sacerdotalis coadiutores assistunt », et infra « eidem Rom. Pontifici in omnibus, quae pro tempore imminent, libere consulant, et assistant, in ipsaque Rom. Pontificis vicarii Dei, quae suis temporibus occurrerit, electione,... in omni libertate procedant ».

191. **Sacrum Collegium.** — Senatus praedictus est vera persona moralis collegialis, quae nomen peculiare « Sacrum Collegium » sortita est. De quo ait *can. 231. § 1. Sacrum Collegium in tres ordines*, ad similitudinem graduum potestatis ordinis, *distribuitur: episcopalem, ad quem soli pertinent sex Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi*, non Cardinales alias dioeceses cum residentia forsan obtinentes, *presbyteralem, qui constat Cardinalibus quinquaginta*, etsi talis numerus non sit completus de facto, idemque dicatur quoad sequentem, scilicet: *diaconalem, qui quatuordecim.* Quoad numerum septuaginta Cardinalium in Sacro Collegio legatur Sixtus V in § 4 cit. const[s]., qui primus fixit variabilem antea numerum, ad hoc motus exemplo Veteris Testamenti, quando Moyses assumpsit 70 seniores in adiutorium regiminis populi israelitici. Ac de diaconibus loquitur in § 5°.

§ 2. *Cardinalibus ordinis* a) *presbyteralis ac* b) *diaconalis* in Sacro Collegio, non ratione ordinationis potioris habitae, quia multi prioris ordinis sunt charactere episcopali insigniti, et ordinis diaconalis omnes sunt veri presbyteri: eis singulis *suus cuique* a) *titulus aut* b) *diaconia* respective *in Urbe assignatur a Romano Pontifice.* Quo gaudent honore antiquae determinatae Ecclesiae Romae, numero plures quam ipsi Cardinales Sacrum Collegium constituentes. Sacrum Collegium Cardinalium appellatur et est: « Sedis B. Petri et universae Ecclesiae senatus amplissimus constans solum omnibus S. R. E. Cardinalibus, ac praeditus canonicis iuribus ac obligationibus ». Illud sacrum Collegium constituitur praedictis S. R. E. Cardinalibus in tres ordines distinctis, sed pari iure suffragii praeditis. Nunc sic est ordinatum, ut ei praesit Decanus, nempe: Card. Episcopus Ostiensis (pro tempore). Vices illius supplet Subdecanus, qui est Card. Episcopus antiquior in ordine post Decanum. Praeterea Cardinales antiquiores singulorum ordinum, hoc est: ex

Episcopis, Presbyteris et Diaconis Cardinalibus iuxta disciplinam vigentem vocantur Capita Ordinum. Pro administratione redituum Collegii Cardinalium singulis annis deligitur a Rom. Pontifice unus ex ipsis residens in Curia, qui vocatur Camerarius S. Collegii Cardinalium. Denique iuxta Const. « Sapienti Consilio » (I. 2° n. 6) « Praelatus, cui Adsessoris nomen in S. Congr. Cons., fungetur munere a secretis S. Collegii Patrum Cardinalium ».

192. **S. Consistorium** est « coadunatio S. R. E. Cardinalium in Curia Rom. praesentium, praeside Romano Pont., ut quidam solemnes actus fiant extra cultus liturgici solemnitatem ». Haec posteriora verba secernunt s. consistorium ab aliis coadunationibus, quae locum habent in solemnitatibus divini cultus, et vocantur cappella papalis. Distinguitur Consistorium in secretum, semipublicum ac publicum. In consistorio secreto, nemo alius admittitur, et in eo fiunt creationes Cardinalium, novis Cardinalibus aperitur os, traditur anulus, assignaturque titularis Ecclesia; publicantur provisiones beneficiorum consistorialium etiamsi antea vim consequutae sint; et postulantur pallia per S. R. E. Cardinales aut per Advocatos consistoriales pro novis Archiepiscopis, etc. In consistorio semipublico admittuntur etiam omnes qui adsunt in Curia Episcopi, et ab eis ac S. R. E. Cardinalibus datur in scriptis votum circa cuiusque Beati canonizationem, Cardinalibus votum etiam legentibus. Consistorium demum, quod publicum dicitur, eo quod non solum Praelati habentes locum in Cappella Papali, sed etiam dignitates laicae ac selecti fideles admittuntur, coadunatur ad imponendum galerum novis Cardinalibus, quibus etiam os clauditur, ac durante Consistorio per Advocatum consistorialem causa Beatificationis vel canonizationis perorari solet.

193. **Qualitates creandi S. R. E. Cardinalis.** — *Can. 232. Cardinales libere*, quin praesentationis ius praetendere possint reges aut Gubernia, quae aliquos viros proponunt, *a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur* ad normam Dec. Conc. Trid. (sess. XXIV de Ref. cap. 1), *viri* a) *saltem in ordine presbyteratus constituti*, mutato per praxim nunc Codice confirmatam praecedenti iure scripto, b) *doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia* c) *egregie praestantes*. Quae qualitates perbelle

amplilantur a Leone X in const. « Supernae dispositionis »[1] et a Sixto V (in cit. const. § 14) cuius initium est: « Ceterum, ut non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint super quibus ostia universalis Ecclesiae tuto nitantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exsequi possint, etc. ».

Quod iam in Const. Sixtina cavetur, refert § 2. *A Cardinalatus dignitate arceantur: 1° illegitimi,* a) *etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati;* contrarium enim « multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicae Sedis dignitate alienum »; et infra « cardinalatus celsitudo et splendor, qui dignitati regiae comparatur, facile deprimi, commaculari aut quodammodo inobscurari posset » (const cit. § 12). Sequitur: *itemque* b) *alii irregulares vel* c) *a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones* in Tit. « de ordine » VI Lib. III,*etsi cum*

[1] Leo X in C. « Supernae » (5 Maii 1514) incipiens a § 16 pertractat de obligationibus S. R. E. Cardinalium; dicens: « Et cum S. R. E. Cardinales, ceteros omnes in ipsa Ecclesia, post S. Pont., honore ac dignitate praecedant, conveniens ac debitum est ut vitae munditia ac virtutum splendore cunctis praefulgeant ». Quapropter plura statuit quae ad illas exercendas pertinent, ibique videri possunt. Praeterea (§ 17) quod cum Episcopis honorifice se gerant, (§ 18) « Cumque Romano Pont. communi omnium fidelium patri, assistant, personarum acceptatores vel advocatos eos fieri valde inconveniens est; propterea statuit ne partialitatem suscipiant aliquam,... sed a privata omni passione seiuncti, sedandis et componendis inter quoscumque litibus omni diligentia vacent incumbantque; principum et quorumcumque aliorum ac praesertim pauperum et religiosorum iusta negotia pio promoveant affectu; oppressos et iniuste gravatos, iuxta vires suas et officii debitum, adiuvent ». Item (§ 19) titulorum loca et eorum personas adiuvent, corrigantque, (§ 20) consanguineis subveniant moderate, in commendis vicarios et alios necessarios cappellanos seu religiosos provideant, (§ 21) bona ecclesiarum ipsarum conservent et restaurent, (§ 22) de familiaribus quoad numerum, mores, aliaque optime curent. - § 26 « Et quoniam ad Cardinales maxime spectat operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire quae regiones haeresibus erroribusque ac superstitionibus infectae sint, et ubi divinorum mandatorum ecclesiastica deficiat disciplina... Haec et huiusmodi scire ac Romano Pontifici referre operam dabunt, ut opportuna et salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant... (§ 28). Et cum Card. officium in primis versetur in frequenti Rom. Pont. assistentia et Sedis Aplcae. negotiis, propterea statuit ut omnes Card. in Rom. Curia resideant, et qui erant absentes,... revertantur. Alioquin fructus beneficiorum et omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter et specialiter Card. concessis, quamdiu abfuerint, omnino careant (quod interpretari potest ferendae sententiae); exceptis tamen illis, quos, ratione officii ab Aplca. Sede iniuncti vel de Romani Pont. mandato aut licentia, vel iusto metu, aut alia quavis legitima causa impediente, vel aegrotationis abesse contingat... ». Denique statuit reformationem de impensis funeralium (§ 29), quod vota aliaque ibidem determinata ex consistoriis non revelent, et (§ 30) de silentio a Papa indicto observando.

ipsis auctoritate apostolica fuerit ad ordines et dignitates etiam episcopalem dispensatum (§ 13), sub quarum nomine non significatur supereminens Cardinalatus dignitas, et sic rationabiliter praescribitur secundum iuris principium: (expressum in l. 4, tit. IX, de senatoribus D. L. I) « Qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore ».

Const. Sixti V § 16. « Cum autem ad hunc honorem adeo sublimem promovendi omni virtutum, et praesertim castimoniae laude, supra caeteros plurimum eminere debeant »; arcentur - 2° *Qui* a) *prolem etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel* b) *nepotem ex ea habent* i. e. utriuslibet sexus viventem iuxta temporis verbi proprietatem; quamvis ratio prohibitionis amplior sit: « qui enim filios, etiam legitimos, ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suae testimonium continentiae exhibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriae domus negotiis ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiae negotia sibi credita aut negligenter tractet aut minus sollicite et fideliter, quam par est, eiusdem Ecclesiae iura tueatur ».

Sequitur in § 17. « Insuper, ut factionum fomitem et simultatum ansam ex sacro hoc coetu, quantum cum Domino possumus, amputemus », adiungit prohibitionem ex Dec. Iulii PP. III in consistorio edito, quam sic refert Codex: 3° *Qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi coniuncti sunt:* v. gr. frater, patruus, avunculus, nepos.

194. **Cardinalium creatio.** — Cum aliquando valde intersit cognoscere, quandonam quis incipiat esse Cardinalis, hoc declarat *can. 233.* § 1. *Cardinales creantur*, veluti evecti ultra meritum ad hanc dignitatem, *et publicantur*, utrumque simul *in Consistorio, sicque creati et publicati obtinent ius ad electionem Romani Pontificis et privilegia de quibus in can. 239*, in quo nempe omnia recensentur, quibus ex iure scripto gaudent, ut patebit ibidem. - Hoc canonis statutum invenitur atque defenditur in n. 30 const. Pianae « Vacante Sede Apostolica » his verbis: « Postquam aliquis S. R. E. Cardinalis in Consistorio creatus fuit, is statim vocem et ius eligendi Pontificem habet, et consequenter etiamsi cardinalitius galerus nondum illi traditus sit, neque os clausum, vel si clausum fuerit, non-

dum tamen apertum sit. Etenim huiusmodi claudendi oris ritus ad praecipuam Cardinalium facultatem, quae circa S. Pontificis electionem versatur, non pertinet, sed caeremonia quaedam est, ea de causa introducta, ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia quae ab ipsis in his et aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur ».

De speciali Cardinalium creatione ad huius effectum quod attinet, loquitur § 2. *Si tamen Romanus Pontifex* a) *creationem alicuius in Consistorio annuntiaverit*, b) *eius nomine sibi in pectore reservato*, I° *sic promotus* ceteroquin publice ignotus, sed quamvis sciretur, *nullis interim gaudet Cardinalium iuribus aut privilegiis* infra explicandis; aliquid tamen consequitur si et quando postea publicetur, videlicet: *sed* II° *postquam a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit* (ut videtur) alio in Consistorio ad § 1 normam, a) *iisdem fruitur a publicatione*, supple: iuribus et privilegiis antea dictis, b) *iure vero praecedentiae a reservatione in pectore*, quod ultimum alia secumfert iura circa optionem. Idque iam vigebat in praec. iure.

195. **Iuramentum quandoque emittendum.** — Similiter ex const. Sixtina (§ 19) desumptus est *can. 234. Promotus absens a Curia debet in recipiendo bireto rubro iurare* quod sequitur: a) *se intra annum*, b) *nisi legitimo detineatur impedimento*, c) *Summum Pontificem aditurum;* scilicet ut ait Sixtus V: « ad Urbem, vel alio ubi Romana Curia eo tempore fuerit, personaliter adventurum, ut sistat se Nobis aut Rom. Pont. pro tempore existenti, et S. Sedi Apostolicae cuius obsequiis erit adscriptus, et quamdiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat; atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus ac toto statu eiusdem Sedis plene instruatur, atque ad Ecclesiae seu Provinciae, cui forsan praeerit, necessitates sublevandas, abusus tollendos, mores reformandos. ecclesiasticam disciplinam, si qua ex parte, labefacta fuerit, restituendam opportuna et salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna caritate, sapientia et vigilantia recipiat, et pro viribus exsequatur ».

196. **Promotionis effectus.** — *Can. 235. Nisi aliter in casibus particularibus* promotionis uniuscuiusque *fuerit a Sancta Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram*, sic designata dignitate ob eius insignem habitum, *non solum ipso*

facto vacant dignitates omnes, ecclesiae, beneficia quae promotus possideat, sed etiam pensiones ecclesiasticae amittuntur. Sed ex can. 6. 2° Codicis [1] intelligendum est hoc praescriptum modo explicato a Sixto V in Dec°. « Sanctissimus »[2] per haec verba: « per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Ecclesiae et omnia beneficia, cuiuscumque nominis et tituli sint, nisi fuerit data retentio quae concessa intelligatur, et data ad patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias, ad monasteria etiam commendata, ad prioratus et ad cetera omnia alia beneficia, quae viderentur convenire dignitati Cardinalatus. Ad alia vero, quae videntur repugnare dignitati et gradui Cardinalatus, puta... decanatus, canonicatus et similia beneficia, non extendatur, cum obtinentes huiusmodi beneficia teneantur residere in choro, et habere debeant locum post Episcopum, Cardinalis dignitati non convenientem ». Hinc colligimus non posse collegium canonicorum vel alterius ex ecclesiis supradictis procedere ad Vicarii Capitularis deputationem vel similem Praelati electionem ob praetextum huius canonis, eo quod Episcopus vel Praelatus ad Cardinalatum promotus fuit, quamvis in singulis casibus per documentum Curiae Romanae provideatur de tali retentione ad canonis normam.

197. **Cardinalium optiones.** — Optio, cuius mentionem facit sequens canon, in genere est « actus legitimus, quo persona reliquens munus suum, aliud petit quadantenus melius, approbante Superiore, sed in exercitio iuris ad hoc illi competentis ». Duae in specie dantur in Cardinalibus optiones, quarum una in eodem ordine remanent, altera, in ordinem superiorem conscendunt, et haec considerari potest de inferiori ad medium, et de medio ad supremum.

Can. 236. § 1. *Per optionem in Consistorio factam,* sicut diximus de creatione, *et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate* a) *ordinis* ex sacrae ordinationis sacramento, non illius ordinis distincti in Cardinalium collegio, b) *et* insuper prioritate servata *promotionis* ad Cardinalium dignitatem, 1° *Cardinales ex ordine presbyterali* in Sacro Collegio

[1] Can. 6... 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi.

[2] 16 Mart. 1588.

transire ad alium titulum et II° *Cardinales ex ordine diaconali* a) *ad aliam diaconiam et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint*, computatum ad normam can. 34, § 3, III° *etiam* b) *ad ordinem presbyteralem*, omissa optione directa ad ordinem Episcopalem qualibet vacatione quarta dioecesis suburbicariae, quam concessit eis Sixtus V in § 8 suae Const[5].

Concessae posterioris optionis Cardinalium diaconorum effectum continet § 2. *Cardinalis ex ordine diaconali, transiens per optionem ad ordinem presbyteralem, locum obtinet* seu praecedentiam *ante omnes illos Cardinales presbyteros, qui post ipsum ad sacrae purpurae honorem assumpti sunt*. Nec indiget explicatione. - § 3. *Suburbicaria si vacet sedes, Cardinales ex ordine presbyterali*, sub conditione a) *qui momento vacationis praesentes fuerint in Curia, vel* hac conditione deficiente sub altera; b) *ab ea* Curia *absentes* I° *ad tempus* et II° *ob sibi commissum negotium aliquod a Romano Pontifice*, non alia de causa v. gr. rusticandi etiam de Papae licentia, illi *optare eam* Sedem *possunt in Consistorio, servata prioritate promotionis tantum*, etsi Cardinales presbyteri promotione posteriores charactere sint episcopali insigniti. Et haec quidem ex praecedenti iure Sixtino. - Contra quod iam prius abrogatum ait § 4. *Cardinales quibus una ex ecclesiis suburbicariis est assignata, aliam optare nequeunt: cum vero Cardinalis gradum Decani attigerit, dioecesim suam* suburbicariam *Ostiensi cumulat*, quae Decani propria semper fuit, *et quae proinde* decursu temporum seu unius alteriusve vacationis, *cum alia atque alia* diversis inter se, ast una solum singulis vicibus *dioecesi suburbicaria in persona Cardinalis Decani* pro tempore *semper coniungitur*. Ita fuit constitutum a Pio X motu proprio « Edita a Nobis »[1]. En verba ex citato motu proprio: « Iam, ut incommodis ac detrimentis occurratur, quae frequens mutatio sedium gignere consuevit, hoc ratum fixumque esto quod decrevimus, ut, quam quisque Cardinalis Episcopus nactus est initio Sedem, in ea permaneat etiam cum Decani gradum attigerit; tum enim dioecesim suam Ostiensi cumulabit, (quae peculiaribus gaudet praerogativis, v. gr. decanatu S. Collegii, ac praesertim illa quod Cardinalis, qui ei praeest, Pontificem Maximum solemni ritu, pallio etiam adhibito, consecrare soleat)[2].

[1] 5 Maii 1914. — [2] Constitutionem « Postquam verus » V., § 8.

Quare perpetua coniunctione dirempta Veliternae dioecesis et Ostiensis, cui quidem accidet ut cum alia atque alia in persona Cardinalis Decani coniungatur, hae Suburbicariae erunt sedes: Portuensis et S. Rufinae, Albanensis, Praenestina, Sabinensis, Tusculana, et Veliterna ». Et id confirmatum est Motu proprio « Ex Actis » Bened. PP. XV [1], quo revocavit const. « Apostolicae » Pii X anni 1910 et quoad reliqua Motu pr. « Edita a Nobis » citatum.

198. **Decanatus Sacri Collegii.** — Optionum occasione sumpta, refertur statutum Const. « Pastorale officium » Clemen. XII [2] in qua de optionibus ad Sedes suburbicarias agitur, et §^m^ 4 secundum Codicis canones immutatum partialiter tradit *can. 237. § 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus*, et definitur; *idest: antiquior promotione* non ad Cardinalis dignitatem, sed *ad aliquam sedem suburbicariam*, subditurque Decanatus ius solummodo praecedentiae: *cui tamen nulla est in ceteros Cardinales iurisdictio, sed ipse primus habetur inter aequales*, uti Cardinales. § 2. *Vacante decanatu, ipso iure* ad optionis similitudinem *succedit Subdecanus*, qui proinde supponitur secundus antiquitate promotionis ad sedem suburbicariam, *sive in tempore vacationis* a) *sit praesens in Curia, sive* b) *in sua suburbicaria dioecesi commoretur*, potest enim vi seq^s^. canonis, *sive* c) *absit* I° *ad tempus, et* II° *ob sibi commissum munus a Romano Pontifice*, et hac tantum de causa.

199. **Obligatio residendi.** — Ratione muneris Cardinalitiae dignitati proprii obligatio in S. R. E. Cardinalibus exurgit, de qua tractat *can. 238. § 1. Cardinales tenentur obligatione residendi in Curia*, non tantum presentiam sui faciens, sed cum opera et consilio iuxta Rom. Pont. voluntatem, *nec fas est ipsis ab eadem discedere sine licentia Romani Pontificis, salvo praescripto §§ 2, 3 huius canonis*, quoad obligationem residendi aut licentiam obtinendi. - Nempe: § 2. *Haec obligatio urget quoque Cardinales Episcopos suburbicarios, sed ipsi non indigent licentia ut sese conferant ad dioeceses sibi commissas* per aliquod tempus, *quoties opportunum iudicaverint;* quae opportunitas causas multiplices rationabiles includit etiam respicientes Card^s^. personam. - Cum tamen, ut vidimus, possint

[1] 1 Feb. 1915. CO, VII, 229.
[2] 10 Ian., 1731.

ad Cardinalatum assumi Episcopi residentiales detinentes Ecclesiam suam, de his cavet § 3. *Cardinales, qui sunt Episcopi alicuius dioecesis non suburbicariae, lege residendi in Curia eximuntur; sed cum ad Urbem venerint*, I° *Summun Pontificem adeant* praesentialiter, II° *nec ab Urbe discedant antequam ab eodem abeundi licentiam impetraverint*, sic monstrantes ipsorum subiectionem ratione dignitatis, quae fundamentum constituit legis residentiae. Et hoc servabatur in iure praecedenti.

Can. 239. - § 1. Praeter alia privilegia quae in hoc Codice suis in titulis enumerantur, Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent;

1° Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii;

2° Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis, de quibus in n. 1;

3° Verbum Dei ubique praedicandi;

4° Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini;

5° Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis;

6° Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis stationes *Viae Crucis* cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; nec non benedicendi pro fidelibus, qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes *Viae Crucis* visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem *Viae Crucis* a Romanis Pontificibus adnexarum;

7° Celebrandi super aram portatilem non solum in domo propriae habitationis, sed ubicunque degunt: et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur;

8° Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis;

9° In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem;

10° Fruendi altari privilegiato personali quotidiano;

11° Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci, in quo Cardinales actu commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt;

12° Benedicendi ubique populo more Episcoporum; sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus;

13° More Episcoporum gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam atque utendi mitra et baculo pastorali;

14° Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praeiudicio illius qui indulto gaudet;

15° Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis;

16° Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant;

17° Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes;

18° Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto;

19° De reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can. 1298;

20° Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacrae supellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum consecratione, si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique locorum, servatis servandis, peragendi, firmo praescripto can. 1157;

21° Praecedendi omnibus Praelatis etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens; Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis;

22° Conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras;

23° Ministrandi sacramentum confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris;

24° Concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas.

§ 2. Cardinalis Decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel episcopali consecratione indigeat, et tunc pallio utitur; quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario.

§ 3. Demum Cardinalis Proto-diaconus pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit; et nomen novi electi Pontificis populo annuntiat.

200. **Privilegiorum legalis ordinatio.** — Iam de Cardinalium privilegiis agendum, et recolere oportet [1] ex Secretaria Status sub die 20 Aug. 1917, quod « Beatissimus Pater » Bened. XV « Motu proprio concessit ut S. R. E. Cardinales iam nunc omnibus ac singulis fruantur privilegiis quae can. 239, § 1, 240 » nunc explicandos, « 600, n. 3, 1189, 1401 eiusdem Codicis describuntur ». Immo his quae in § 1 enumerata sunt iam fruebantur ante Codicis promulgationem vi similis concessionis Pii X denunciatae per clar. Card. Gasparri.

Quoad successivam privilegiorum coordinationem in toto Codice ac in hoc canone notandum, factam fuisse primam h. e. Codicis logice, quia cetera remissa fuerunt aptius inserenda propriae materiae, haec vero, quae in canone adunantur habenda sunt tamquam prima mensura ex qua participant aliae dignitates in Ecclesia privilegia magis vel minus pro mensura minoris vel maioris distantiae ab illa praeeminenti dignitate. Inter privilegia tamen recensita priorem locum obtinent quae sunt exclusiva Cardinalium, sub n. 1° privilegium omnino proprium, sub ceteris 2°-6° absolute propria, nam Episcopis com-

[1] CO. IX-I, 475.

petunt sub aliqua limitatione vel conditione: sequuntur communia Cardinalibus et Episcopis sub num. 7° 12°; quae omnia liquent ex can. 349, § 1°, n. 1°; privilegia pro Cardinalibus sunt

Can. 239 Privilegia S. R. E. Cardinalium

- omnium § 1
  - in Codice suis in titulis enumerata
  - exclusiva
    - omnino, et sine conditionibus: quoad absolutionem — 1°
    - quatenus absoluta, quoad
      - confessarium eligendum — 2°
      - praedicationem per seipsos — 3°
      - celebrationem in coena Dom. et in nocte Nativitatis — 4°
      - benedictionem cum applicatione indulgentiarum — 5°
      - stationes et Icones Crucifixi, pro Via Crucis — 6°
  - communia etiam Episcopis quoad
    - celebrationem
      - super aram portatilem — 7°
      - in mari — 8°
      - iuxta proprium calendarium — 9°
      - cum altari privilegiato — 10°
    - lucrandas indulgentias in propriis sacellis — 11°
    - benedicendum populum — 12°
  - quae sunt Episcoporum iura quoad
    - insigna pontificalia — 13°
    - celebrationem in sacellis privatis — 14°
    - usum throni et baldachini — 15°
    - honores Ordinariis locorum proprios — 16°
  - quadantenus aliis concessa quoad
    - oracula pontificia testanda — 17°
    - proprium sacellum — 18°
  - exclusiva, sed sub conditione saltem quandoque,
    - de reditibus beneficiariis — 19°
    - quoad consecrationes et benedictiones — 20°
    - praecedentiae — 21°
    - conferendi
      - primam tonsuram et ordines minores — 22°
      - confirmationem — 23°
    - concedendi indulgentias 200 dierum — 24°
- Cardinalis Decani et Subdecani § 2
- Cardinalis Proto-diaconi § 3

sub num. 13°-15°, quae constituunt Episcoporum iura; sequuntur quae aliis etiam competunt praeter Episcopos, sed Cardinalibus potiori modo in num. 17°, 18°, ac demum cetera privilegia sub conditionibus aut limitationibus sunt ipsis Cardinalibus elargita. - Explicabimus ea prout enumerantur in Codice, adiungentes in fine logicam, prout res fert, enumerationem, iuvandae memoriae causa. Quaedam sunt privilegia contra ius aliquorum sacrorum canonum, alia vero sunt praeter ius.

201. **Privilegia.** — *Can. 239.* § 1. *Praeter alia privilegia quae in hoc Codice suis in titulis enumerantur*, quarum aliqua sunt indicata supra in Tit. de privilegiis clericorum, *Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio* ad normam can. 233, *facultate gaudent* unaquaque sequenti:

202. **Privil. novum absolvendi ubique, omnes, et a quibusvis peccatis et censuris.** — 1° *Audiendi ubique terrarum* quoad loca, quod proprium est sive ordinariam iurisdictionem habentium in foro interno sed quoad proprios subditos, ut patebit infra, vel delegatorum ab habente iurisdictionem in personas, *confessiones etiam religiosorum utriusque sexus* sub quo verbo comprehenduntur exempti etiam ordinum clericalium, atque moniales ac sorores pro quibus speciales facultates a Codice exiguntur, hinc quorumcumque poenitentium confessiones audire queunt Cardinales, *et* cum facultate *absolvendi ab omnibus* a) *peccatis et* b) *censuris* c) *etiam reservatis*, atque propter distributivam universalitatem clausulae intelligendum a quocumque Superiore aut iure, ac quomodocumque reservatis, eo magis quod particula « tantum » limitationi apponatur sequenti: *exceptis tantum censuris*, non peccatis, atque illis a) *Sedi Apostolicae* et b) *specialissimo modo reservatis*, (novum membrum diversae reservationis) et quae in specie designantur nominatim in V° Libro Codicis, c) *et illis* nempe censuris *quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii*. De his notandum est, non inveniri expressas in ullo Codicis loco, ni fallor; unde viderentur abrogatae ad normam can. 6, n. 5°; sed hoc dici nequit, quia ibidem scriptum est: « Quod ad poenas attinet » notetur bene « quarum in Codice nulla fit mentio,... eae tanquam abrogatae habeantur »; sed harum « quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii » non solummodo hic fit mentio, sed etiam uti vigentium, ac veluti specialissimo

modo reservatarum. - Nec mirandum est alibi non esse expressas, sunt enim hae censurae incurrendae non a quibuscumque, sed tantum ab his relative paucis, qui participes sunt illius S. Officii secreti. Opportunius tractare de his censuris remittimus ad canonem circa hoc S. Tribunal, quod simul est Congregatio.

203. **Eligendi confessarium sibi et familiaribus.** — Prosequamur in privilegiorum canone: 2° *Sibi suisque familiaribus*, qui nempe ad ipsius familiam secum commorantem, saltem ut inservientes, pertinent, *eligendi sacerdotem*, sive cleri saecularis sive religiosi, etsi nondum confessarium, sed singulari verbo expressum, seu unum tantum quolibet in tempore forsitan successive mutatum pro libito sed quoad se suosque familiares, eo quod « privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere » (can. 67), propter quod postremum verbum putamus, casu quo absit S. R. E. Cardinalis a loco ubi eius familiares manserunt, posse ubi degit alium sibi eligere sacerdotem praeter illum familiaribus deputatum, *confessionibus excipiendis* scilicet in hunc finem, nec additur approbatum, cum approbatio, velut necessaria ex Concilio Trid. ad absolutionum validitatem, sit abrogata, remanens tantum ad liceitatem praescripta, ut patet in Tit. IV. de Poenitentia, Lib. III; confirmaturque interpretatio illa ex sequentibus; dicitur enim de praefato sacerdote: *qui, si iurisdictione careat*, quae solebat dari cum approbatione ad confessiones audiendas, *eam* a) *ipso iure obtinet*, posita praedicta Cardinalis electione, atque proinde quoad absolvendum ad minus a peccatis censurisque non reservatis, sed extenditur expresse *etiam quod spectat* b) *ad peccata* in plurali numero, proindeque non solum « ad unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi »[1], sed etiam ad ea quae in singulis dioecesibus sint Episcopis reservata, c) *et censuras*, et cum ad has extendatur iurisdictio, intelligendum est ad minus de censuris « simpliciter Sedi Apostolicae reservatis »; attamen privilegium ultra progreditur ob verba: d) *reservatas quoque* scilicet: strictius quam simpliciter; ast limitatur haec facultatis ampliatio per verba: *illis tantum censuris exceptis, de quibus in n. 1*. Quae ibi

[1] Can. 894.

explicata sunt. - Interpretatio data verborum « etiam quod spectat ad peccata... » non infirmatur, eo quod in can. 349, § 1, n. 1° videatur supponi vi huius privilegii non posse absolvi peccata Ordinariis locorum reservata sine censura, quia ibi scriptum est: « Episcopi fruuntur privilegiis de quibus in canone 239, § 1 num. 7-12; nec non n. 2, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos », quae clausula inutilis evaderet, si casus illi iam fuerint privilegio comprehensi. Sed notare oportet in eodem Cardinalium privilegio, iurisdictionem ipso iure concedi electo sacerdoti, quae non subest limitationi reservationis ab Ordinario statutae secundum huius naturam [1] (can. 893, §§ 1, 2), e contra electus ab Episcopo saltem residentiali ut plurimum ex electione iurisdictionem obtinebit ab eo, vel habebit prius ab altero, quae circa loca et censuras a iure ob privilegium evidenter extenditur, sed non ita certo quoad casus non a iure communi reservatos.

204. **Praedicandi.** — Prosequitur canon quem commentamur: 3° *Verbum Dei ubique praedicandi*, atque istud est ius Episcoporum ad Cardinales ex privilegio extensum et ampliatum quoad loca.

205. **Celebrationis missae ob diem horamve prohibitae.** — 4° *Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret*, non aliter, atque privilegium confert disiunctive alterutram facultatem: sequitur obiectum concessae celebrationis, nempe: *unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini*, cum talis celebratio privata non liceat die ac hora praedictis. Putamus colligi iuxta interpretationem datam, nobis certam, non posse S. R. E. Cardinalem illa nocte unam vel duas missas celebrare atque alias duas vel unam permittere coram se celebrandam; hoc enim non esset uti facultate disiunctiva sed copulativa.

206. **Benedictionis cum indulgentiarum applicatione.** — 5° *Benedicendi ubique, solo crucis signo*, unde verba non designantur necessaria, *cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis* iuxta rescripta pro tempore illo elargita per

[1] Can. 893, § 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario capitulari et Vicario generali sine mandato speciali nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.
§ 2. Haec avocatio dicitur reservatio casuum.

S. Poenitentiariam. *rosaria, aliasque coronas precatorias*, v. gr. angelicam, septem dolorum, etc., *cruces, numismata, statuas*, a) *scapularia a Sede Apostolica probata* quoad subiectum, materiam et formam seu colorem. b) *eaque imponendi sine onere inscriptionis*, quod constituit speciale quid pro Cardinalibus; imo et consequenter possunt benedicere numismata scapularibus praedictis substituenda.

207. **Quoad stationes et crucifixos pro Via Crucis.** — 6° *Sub unica benedictione*, at verbis exprimenda, ut in Tit. de sacramentalibus can. 1148, § 2 [1] exigitur ad benedictionum validitatem, *erigendi* a) *in ecclesiis et* b) *oratoriis etiam privatis* c) *aliisque piis locis*, etsi oratoria non sint, v. g. in hospitalibus, *stationes Viae Crucis cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; necnon* seu etiam *benedicendi pro fidelibus*, id est: in usum tantummodo eorum singularium, *qui causa infirmitatis vel alius legitimi*, nempe: decretis recogniti *impedimenti, sacras stationes Viae Crucis* rite erectas *visitare nequeant, Crucifixi icones*, quales non sunt cruces absque imagine, *cum applicatione* (ad dictas « icones » per dictam benedictionem) *omnium indulgentiarum devoto exercitio eiusdem Viae Crucis a Romanis Pontificibus adnexarum*. Quae omnia liquent, adnotando benedictionem hanc dandam esse cum formula praescripta, quia contrarium non dicitur in privilegio.

Huc quoque pertinent sequentia dubia « quae Sacrae Poenitentiariae Aplcae. Tribunali solvenda sunt proposita:[2] III. An per idem Decretum (Congr. S. Officii. 24 Jul. 1912. CO. IV. 529) censendus sit abolitus usus crucium vel crucifixorum, quibus per facultates speciales, cuicumque tributas, adnexae fuerant indulgentiae Viae Crucis, lucrandae ab iis etiam qui nullo detinentur impedimento ab exercitio rite obeundo; et an huiusmodi cruces et crucifixi, qui fuerint iam benedicti et distributi, in posterum pro lucrandis indulgentiis valeant tantum in casu legitimi impedimenti? Ad III. *Affirmative* ad utramque partem ». Quae limitatio expressa in privilegio sic est intelligenda.

[1] Can. 1148... § 2. Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta.

[2] Dec. « Postquam » S. Poenit. 14 Dec. 1917 III, IV. CO. X, 31.

Nec istud aliquatenus tangit condictiones pro usu Crucifixi huiusmodi necessarias ut indulgentiae lucrentur. De illis est Dubium « IV. Utrum in usu crucifixorum cum adnexis indulgentiis Viae Crucis rite benedictorum, ad indulgentias lucrandas, requiratur Passionis Dominicae meditatio; vel saltem pia eiusmodi recordatio, an sola sufficiat statutarum precum recitatio, viginti nempe *Pater* cum totidem *Ave Maria* et *Gloria?* Et S. Poenitentiaria respondendum censuit: Ad IV. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam ».

208. **Celebrationis super aram portatilem.** — Sequitur privilegium altaris portatilis pro ipso Cardinale, ac praeterea in ipsius devotionis commoditatem, nempe: 7° *Celebrandi super aram portatilem*, quod « privilegium ita intelligendum est » ut explicatur in can. 822. § 3. *non solum* a) *in domo propriae habitationis*, quamvis extra oratorium, b) *sed ubicumque degunt*, etsi causa itineris, hospitii apud amicum; c) *et permittendi ut alia Missa*, etiam praeter propriam, *ipsis adstantibus* (hac ergo sola sub conditione) v. gr. ad Missae gratiarum actionem *celebretur*. - Sed quia hoc privilegium altaris portatilis ex can. 822. § 3 « ita intelligendum est, ut non secumferat facultatem celebrandi in mari ». subditur: 8° *Celebrandi in mari. debitis cautelis adhibitis* propter debitam Sacrificio reverentiam, v. gr. dummodo sit mare tranquillum ac in decenti loco.

209. **Missae proprio calendario conformis.** — 9° *In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem*, cum generaliter contrarium fieri debeat. sed ipsis S. R. E. Cardinalibus libertas salva manet ad alterutrum pro libitu. etsi color paramentorum non concordet.

210. **Cum altari privilegiato.** — 10° *Fruendi altari privilegiato personali quotidiano*. i. e. eorum Missa habet semper indulgentiam plenariam adnexam in suffragium defuncti pro quo celebrant.

211. **Quoad lucrandas indulgentias.** — 11° *Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas praescripta est visitatio templi alicuius vel publicae aediculae* etsi determinatae, illius tamen *civitatis vel loci* i. e. oppidi etc.. *in quo Cardinales actu commorentur* ad modum inhabitationis. *quo privilegio etiam eorum familiares*, qui n. 2° interpretati sunt. *frui possunt*. Mutatur hoc privilegio locus sacer visitandus in

eadem civitate, oppido, etc., propter eorum Cardinalium reverentiam.

212. **Quoad benedicendum populum.** — 12° *Benedicendi ubique populo more Episcoporum*, cum hac ob S. Pontificis reverentiam limitatione: *sed in Urbe* a) *in ecclesiis tantum*, b) *piis locis et* c) *fidelium consessibus*. Ab hoc incipit collatio iurium honoris Episcoporum.

213. **Insignia pontificalia.** — 13° *More Episcoporum* a) *gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam*, quod concessum fuit motu proprio Pii X « Crux pectoralis »[1], b) *atque utendi mitra et baculo pastorali*.

214. **Celebrandi in sacello privato.** — 14° *Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello* seu « oratorio domestico » ad normam can. 1195 erecto propter ea quae adduntur: *sine praeiudicio illius qui indulto gaudet*, ut unica missa coram indultario celebretur, quae praeter illam Cardinalis missam posset proinde celebrari. Idest: cumulatur privilegium privilegio.

215. **Usus throni et baldachini.** — 15° *Pontificalia* idest: « sacras functiones » a) *cum throno et baldachino peragendi* « quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram » (can. 337, § 2), atque hoc ipsum b) *in omnibus ecclesiis* c) *extra Urbem*, sed in quodam solo casu *Ordinario praemonito* tantum, scilicet: *si ecclesia sit cathedralis*, ob deferentiam erga illius dioecesis Pastorem.

216. **Honorum propriorum Episcopis.** — 16° *Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant*: atque hucusque de iuribus honorificis Episcoporum, non decebat enim altiorem Cardinalium dignitatem eis esse privatam.

217. **Quoad oracula pontificia.** — 17° *Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes*; generaliter, proindeque de negotiis ad eorum officium in Curia Romana non pertinentibus, nam de his etiam alii officiales Curiae Romanae fidem faciunt in rescriptis.

218. **Quoad proprium sacellum.** — 18° *Fruendi sacello proprio* nempe oratorio *ab Ordinarii visitatione exempto*, quod privilegium necessario sic exprimitur propter can. 344 § 1.

[1] 24 Maii 1905.

219. **Circa reditus beneficiarios.** — 19° *De reditibus beneficiariis libere disponendi* ad quascumque causas *etiam per testamentum*, additurque limitatio de quibusdam huiusmodi rebus, nempe: *salvo praescripto can. 1298* ubi agitur de sacra supellectili aliisque rebus omnibus stabiliter divino cultui destinatis quae, « exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis », dandae vel reliquendae sunt ab ipsis S. R. E. Cardinalibus loco sacro « vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae ».

220. **Quoad consecrationes et benedictiones.** — 20° *Consecrationes* proprie dictas ob usum sacri chrismatis *et benedictiones* a) *ecclesiarum*, b) *altarium*, c) *sacrae supellectilis*, d) *Abbatum* e) *aliasve similes*, *excepta oleorum sacrorum consecratione*, chrismatis nempe, olei infirmorum et olei cathecumenorum, *si Cardinalis charactere episcopali careat*, nam si Episcopali consecratione sit praeditus, nec illa exceptio viget pro eo, *ubique locorum, servatis servandis* (intelligendum) ex iure liturgico, *peragendi, firmo praescripto can. 1157*; qui est huius tenoris: « Non obstante quolibet privilegio, nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu »: ergo pro aliis consecrationibus vel benedictionibus ex hoc privilegio Cardinalium, talis consensus non requiritur, et sic non omnes licent cuilibet Episcopo, quamvis actus illi revera Ordinis Episcopalis sint.

221. **Ius praecedentiae.** — 21° *Praecedendi omnibus* a) *Praelatis* proprie dictis ad normam can. 110, b) *etiam Patriarchis*, qui superiores sunt inter illos, *imo* c) *ipsis Legatis Pontificiis* praecedentibus fere semper alios Praelatos, cum sequenti exceptione: *nisi* a) *Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens*, ubi proinde praecedit ceteros Cardinales; servata ulteriore limitatione, nam sequitur: b) *Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis*. Et hoc quia ab egressu ex Urbe incipit Legationis honoribus potiri usque ad regressum in eam.

222. **Quoad collationem primae tonsurae et ord. min.** — 22° *Conferendi primam tonsuram et ordines minores*, quando Cardinalis sit charactere presbyter, cum hac solum conditione pro validitate ad normam can. 67 [1]: *dummodo promovendus*

[1] Can 67. Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere.

habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras ad normam can. 958. 964, 2°, 3°, 4°; quo privilegio fiunt ministri extraordinarii sacrae ordinationis, quando nondum essent alia de causa.

223. **Quoad ministrandam confirmationem.** — Idem quoad confirmationem dicendum ex sequenti n. 23°. *Ministrandi sacramentum confirmationis*, et hoc etiam invito forsitan confirmandi Ordinario, quia S. R. E. Cardinales utentes privilegio huiusmodi non comprehenduntur in can. 783, 784 [1]; *sed firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam iuris* expressam in Tit. II de confirmatione, Lib. III, can. 799 [2].

224. **Concedendi indulgentias.** — 24° *Concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam* a) *toties quoties lucrandas*, per iterationem operis eis ditati, sed b) *in locis vel institutis* simul c) *ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis*, non pro aliis [3]: quoad has vero personas exclusas et quoad praedictas intelligatur quod subiungitur: *item* a) *in aliis locis, sed* b) *a praesentibus solummodo*, c) *singulis vicibus lucrandas*. Unde non toties quoties, cum agatur de concessione indulgentiarum praesentibus ad modum benedictionis, verbum autem « item » sic intelligendum, ut quod sequitur de aliis locis, etiam de praedictis antea intelligatur.

225. **Logica coordinatio.** — Possumus logice, quatenus fieri potest, coadunare praefata privilegia sic, memoriae iuvandae causa: 1° de actibus pontificalibus: 22m-23m quoad sacramenta ordinis et confirmationis, et 20m quoad sacramentalia: 2° de honoribus Episcoporum: 12m 13m 15m et 16m: ac 3°: 21m de praecedentia; postea 4° de celebratione missae: quoad tempus 4m, quoad locum in sacello alieno 14m, et in cuiusdam qualitatis proprio 18m, in terra ubicumque 7m, et quandoque in mari 8m,

[1] Can. 783. § 1. Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio. § 2. In aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci...

Can. 784. Presbytero quoque licet, si apostolico locali privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint.

[2] Can. 799. Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eumdem certiorem faciat.

[3] Et huc pertinet velut implicitum, quod Pius X ait in const. « Apostolicae » 15 Apr. 1910. n. XIII. « Cardinalis, (Episcopus suburbicarius), etiam absens (a sua dioecesi) facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum ». Quod stare potest cum isto canone, ut eius explicatio.

quod missae ritum 9m, et quoad missam privilegiatam 10m, septem igitur privilegia; postea 5° de sacramento poenitentiae 1m ministrando, 2m suscipiendo: quibus coniunguntur de concessione indulgentiarum piis obiectis 5m, occasione Viae Crucis 6m, personis 24m, de lucrandis ab eo indulgentiis 11m; denique 6°: quoad praedicationem Verbi Dei 3m, quoad reditus beneficiarios 19m, et ultimum, quod potuisset primum enumerari, de fide in foro externo facienda, quod est 17m.

226. **Peculiaria privilegia.** — Sequuntur privilegia quae solis competunt Card. Decano, et Cardinali antiquiori promotione inter diaconos. - § 2. *Cardinalis Decanus gaudet* a) *privilegio ordinandi* sacerdotem, etc. *et consecrandi* in Episcopum *electum Pontificem, si hic* qualibet *ordinatione vel episcopali consecratione indigeat*, idque demum scriptum erat in const. « Vacante Sede Apostolica » n. 90. « Quodsi electus nondum sit presbyter vel Episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur », *et tunc* b) *pallio utitur* Card. Decanus, quod est ordinarie iuris Archiepiscoporum, sed notetur adverbium « tunc », quo limitatur privilegium hoc pallii utendi; *quod privilegium*, scilicet: solummodo ordinandi et consecrandi iuxta dicenda de usu pallii, *absente Cardinali Decano* ex qualibet causa, *competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Card. Episcopo suburbicario.* Et hoc cautum non erat, quod sciam, in praecedenti iure.

227. **Privilegia Card. Proto-Diaconi.** — § 3. *Demum Cardinalis Proto-diaconus* scilicet: in promotione ad Cardinalatum primus inter Card.s diaconos, a) *pallia Archiepiscopis* cum suffraganeis *et Episcopis* consecratione *privilegio fruentibus* personali vel propter sedem, *eorumve procuratoribus*, si absint illi, *vice Romani Pontificis* propter iuridicam pallii naturam, *imponit; et* b) *nomen novi electi Pontificis populo annuntiat*. Ita hoc praescriptum est in const. « Vacante Sede Apostolica » n. 89. « Deinde populo expectanti novus Romanus Pontifex a Priore Diaconorum publicatur ». Invenimus etiam n. 91. « Tandem per Decanum Cardinalem diaconum coronatur », idest ille imponit tiaram Romano Pontifici die incoronationis suae, sed hoc pertinet ad ius liturgicum omissum « plerumque » in Codice (can. 2).

CAN. 240. - § 1. Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus et in eiusdem possessionem canonice immissus est verus Episcopus suae dioecesis, eaque potestate in eam pollet, quam Episcopi residentiales in propria dioecesi obtinent.

§ 2. Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconiis, postquam eorundem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiae pertinent.

§ 3. Cum throno et baldachino Cardinalis ordinis presbyteralis potest in suo titulo pontificalia peragere et Cardinalis ordinis diaconalis in sua diaconia pontificaliter assistere, et nemo alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu; in aliis vero Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldachino uti nequeunt sine licentia Romani Pontificis.

CAN. 241. - Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia non aliam habent potestatem, quam quae definitur in constit. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904.

228. **Iura Cardinalium.** — Sequitur de iuribus S. R. E. Cardinalium ratione ecclesiarum ipsis uti Cardinalibus assignatarum. *Can. 240. § 1. Cardinalis ad sedem suburbicariam* a) *promotus et* b) *in eiusdem possessionem canonice immissus*, (quo modo id fiat, videbimus) ait Pius X in const. cit. « Apostolicae » n. 1: « Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri Episcopi residentiam habentes »: confirmatque canon: *est verus Episcopus suae dioecesis, eaque potestate in eam pollet, quam Episcopi residentiales in propria dioecesi obtinent*. Eamque infra proprio in loco perpendemus. Et patet textus. - § 2. *Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconiis* respective ad eorum ordinem, *postquam eorundem canonicam possessionem ceperint* per lectionem Brevis provisionis de illa Ecclesia cum solitis caeremoniis, *omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis Ecclesiis, exceptis* a) *ordine iudiciorum et* b) *qualibet iurisdictione in fideles*, quamvis Ecclesia ipsa parochialis fuerit, - *sed* c) *salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium Ecclesiae pertinent*. Uno verbo, quae ad Ecclesias materialiter atque earum usum formalem per clerum eis addictum et populum fidelem attinent. - Sed adiungitur aliquid episcopalis ordinis, quod in praedictis ecclesiis competit earum Cardinalibus. Hinc § 3. *Cum throno et baldachino* a) *Cardinalis ordinis presbyteralis potest in suo titulo pontificalia peragere*, et sic pro eis extenditur privilegium Cardinalibus commune in n.° 15° §ⁱ 1ⁱ can. praec. concessum, sed « extra Urbem », *et* b) *Cardinalis ordi-*

nis diaconalis in sua diaconia pontificaliter assistere, scilicet: cum pontificalium usu, sed non pontificalia peragere ut supra, *et c) nemo alius ibidem id potest:* scilicet: in ecclesia titulari vel diaconia cum throno et baldachino pontificaliter assistere, ac multo minus pontificalia peragere, etsi Cardinalis episcopus fuerit, *sine Cardinalis assensu* ad quem ecclesia pertineat; d) *in aliis vero Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldachino uti nequeunt sine licentia Romani Pontificis*, ad normam limitationis privilegii sub n. 15 praecedentis canonis.

229. **Potestas S. Collegii Cardinalium et Romanae Curiae.** — Denique ait *can. 241. Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia*, de qua statim tractabitur, *non aliam habent potestatem quam quae definitur in const. Pii X « Vacante Sede Apostolica » 25 Dec. 1904* [1]. Proindeque in hac etiam parte, quae ad Romani Pontificis electionem non pertinet, manet in suo vigore, praeter ea quae in sua vi perdurant ob canonem 160 iam explicatum. Cum vero constitutionis pars in praesenti canone citata brevis sit utilitatisque communis, referre ipsam non piget.

In n. 1 « irritum et inane esse Papa decernit quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum... Pontificem pertinentis... coetus ipse Cardinalium exercendum duxerit (nisi quatenus in ipsa Constitutione expresse permittitur) ». Antea edixerat « nullam huiusmodi potestatem Pontificis Maximi habere S. Collegium Cardinalium ».

2. « Item », quoad iura Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae praecipit, « ne S. Cardinalium Collegium... *a*) quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam ipsis *b*) sive directe detrahere attentet, *c*) sive indirecte attentare videatur per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura... perpetratorum: immo vult *d*) ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat ».

3. « Leges a RR. PP. latae », per ipsum S. Collegium... « *a*) corrigi vel immutari nullo modo possunt, *b*) nec quidquam eis detrahi sive addi, vel *c*) dispensari quomodolibet... Quod potissimum valet de Const^s. Pontificiis... circa negotium electionis Rom. Pont^s. latis ». - Prohibitiones sub his tribus n^is.

[1] Tit. I. Cap. I, III et IV.

etiam exprimuntur in Const. « Praedecessores nostri » Leonis XIII; et additur in genere: « ne Sede vacante aliquid innovetur ».

4. « Eidem S. Cardinalium Collegio (unice) plenam tribuit facultatem, qua hanc ipsam Const^m^. interpretari, ac declarare valeant dubia exorta *a*) circa sensum praescriptionum... vel *b*) circa rationem eas traducendi ad usum ». Simulque declarat « in hac re, vel in aliis deliberationibus habendis ad tramites huius Const^is^. (excepto electionis R. P. actu) sufficere, si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat »[1].

5. « Pariter in casu urgentis negotii, quod ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis, in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium... de opportuno remedio disponere potest et debet ».

In Cap. III, n. 13 dicitur: « Si contingat S. R. E. Camerarii aut Poenitentiarii Maioris officii vacatio ante novi Pontificis electionem, tunc Congregatio generalis triduo post sequutam vacationem... habeatur, ac vota... Cardinalium... pro deputatione Illius qui defuncti vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis... dentur per schedulas secretas... etiam ab infirmis Cardinalibus colligendas,... isque deputatus habeatur » qui obtinuerit maiorem partem relativam votorum. « cui sic deputato attribuit S. Pont... facultates exercendas quamdiu Sedes vacaverit. Quod si... vota paria fuerint, ille deputatus habeatur, qui fuerit ordine dignior, vel, si eiusdem ordinis, senior ». Hinc negotium primo scrutinio absolvendum est. (Ex Const. eadem, Cap. IV). 22. « Circa facultates Sacrar^m^. Rom^m^. Congreg^m^., Sede vacante, hae, quae sequuntur normae ab omnibus observandae sunt, non obstantibus privilegiis quisbusvis.

23. SS. Congregationes, ead. Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SS.mo*, vel *ex audientia SSmi.*, vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum*, quae a Rom. Pont. earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

24. Facultates vero quae ipsis per Litteras Apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum Con-

[1] Eadem facultas et eodem modo conceditur S. Cardinalium Collegio in Const. « Praedecessores nostri » Leonis XIII quoad hanc Const.m

greg^{m}. propriae censentur, eae morte Romani Pont^{is}. non extinguuntur ».

25. Quoad usum vero « *vult* .... (Pontifex) ut his facultatibus ordinariis SS. Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis, quae minoris momenti sunt, libere, pro rei opportunitate, utantur. In iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, illud *statuitur*, ut, 1° si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pont^{i}. reservetur omnino: sin autem 2° nullam admittat moram, tunc S. Collegio *est concessum* ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congreg^{is}., ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex, quae iuxta datam sibi a Domino prudentiam iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint ».

CAPUT IV.

De Curia Romana.

CAN. 242. - Curia Romana constat Congregationibus Tribunalibus et Officiis, prout inferius enumerantur et describuntur.

CAN. 243 - § 1. In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit.

§ 2. Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum.

CAN. 244. - § 1. Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorumdem Romano Pontifici fuerit antea significatum.

§ 2. Gratiae quaevis ac resolutiones indigent pontificia approbatione, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium, Congregationum Moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque sententiis Tribunalis Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae.

CAN. 245. - Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit.

230. **Inscriptio capitis.** — In cap. III consideravimus S. R. E. Cardinales uti personas in iure tum physicas, tum constituentes Sacrum Collegium forsitan etiam coadunatum, sive in

Consistorio quando de ipso facta fuit mentio, sive pro Romani Pontificis electione aliisve actibus, Sede Apostolica vacante; propter connexionem tamen materiae innuimus quidquam de illis respectu Congregationum, quae Romanae Curiae partem constituunt. Hinc transeundum est ad ipsorum considerationem, quatenus vel soli vel cum aliis S. R. E. Cardinalibus, semper tamen cum adiumento consiliove aliorum Praelatorum ac clericorum officialium, Sedi Apostolicae seu Romano Pontifici conferunt eorum muneris utilitatem. De qua re sequitur *Caput IV* inscriptum *De Curia Romana*, quae etymologice a cura derivatur, sicut « non sine magna ratione Pomponius curias a cura dictas admonet »[1]. Cura enim idem est ac sollicitudo, anxietas animi, quia hoc modo rebus publicis ac communibus est insistendum. « Curia » ergo antonomastice « Romana » praevaluit ad designandum curialium complexum, qui nempe Romani Pontificis generalem curam de Ecclesiae universalis negotiis participant. Et proprie dicta est: « complexus illorum dicasteriorum, quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur ». Ita invenitur descripta in Const. « Sapienti consilio » Pii X[2]. - Ius praecedens circa illam continetur vel confirmatur in praelaudata const., cui adnexae fuerunt et « Lex propria » quoad tribunalia Romanae Curiae, et « Ordo servandus in SS. Congregationibus, etc. Normae communes ». Hae complementum acceperunt quando 29 Sept. eiusdem anni fuerunt editae « Normae peculiares ». Tota haec sapiens ac utilis innovatio iuridicum habuit robur « post ferias autumnales (tunc) decurrentis anni, hoc est a die III mensis Novembris 1908 » (C. Sapienti consilio). Sic etiam legitur ibidem in Const^s. fine: « Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congr^s., Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus ».

Const. « Sapiendi consilio » lata fuit ut removerentur defectus ibidem expressi, qui decursu temporis irrepserant in Curia Romana praesertim in SS. Cong^s. Videlicet: in hac Const. memoratur ante omnia scopus, quem sibi praefixit Sixtus V, quando per Const^m. « Immensa »[3] perfecit incoepta a suis De-

[1] Lexicon iur. can. et civ. v. Curia. — [2] 29 Iun. 1908. — [3] 22 Ianuarii 1587.

cessoribus, augendo numerum Cong^m^. Romanarum et eorum fines praefigendo. Nempe: ut « partita inter eas aliosque Rom. Curiae magistratus ingenti curarum negotiorumque mole... possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique sive titulo religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae aliisve de causis ad S. Pont^m^. confugerent ». Qui scopus certe obtentus est, ut ex historia constat.

Postea refert tres praecipuos defectus antedictos qui acciderunt SS. Congregationibus, nempe: 1° « ut singularum iurisdictio seu competentia non omnibus perspicua, nec bene divisa evaserit », 2° « plures Congregationes de eadem re competentes esse », et 3° « nonnullas ad pauca tantum negotia esse utiles, dum aliae obruuntur negotiis ». Ut ergo Cong^s^. illae « Rom. Pont^i^. Ecclesiaeque operam suam praestare facilius valeant et suppetias ferre perfectius » innovat Pontifex Romanam Curiam.

231. **Curiae Romanae constitutio.** — *Can. 242. Curia Romana* proprie dicta et iuridice *constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, prout inferius enumerantur et describuntur*. Nempe undecim sunt Congregationes, eodem numero ac in const. « Sapienti consilio » sed mutato Congr^s^. Studiorum nomine cum competentia, et suppressa Indicis Congregatione, nova Congr. pro Ecclesia Orientali a Congr. de Prop. Fide fuit separata. Tria sunt Tribunalia et sex Officia. In hoc differunt ad invicem, quod Congregationes sunt: « Coetus Cardinalium designatorum a Rom. Pont. ad certa negotia ecclesiastica fori externi discutienda et per vota numero maiora, ordinarie etiam decisiva, definienda, et in cuius coetus nomine unus Cardinalis cum plurium officialium adiutorio incumbit in administratione negotiorum quorumdam ».

Tribunalia sunt: « Coetus Praelatorum et S. R. E. Cardinalium quibus competit iurisdictio vel in foro interno vel in foro stricte iudiciali ».

Officia vero sunt: « dicasteria quorum praecipuum est munus expeditio documentorum circa quosdam S. Sedis actus », excepta Camera Apostolica, cui est concredita eiusdem S. Sedis temporalium bonorum administratio.

232. **Normae servandae.** — *Can. 243.* § 1. *In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda est disciplina,*

et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales, sive pro omnibus praedictis sive pro Congregationibus tantum, *tum particulares*, sicut pro S. Romana Rota « Regulae », *quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit*. Quae nunc vigent sunt illae « Normae communes », quae Const. « Sapienti consilio » fuerunt adiectae, et « peculiares » postea publicatae, de quibus supra; non « Lex propria », quae utpote desumpta ex Codice nunc publicato huic cedit. Supervenientes post illas erunt observandae, sive praeteritae, uti die 4 Aug. 1910 « Regulae servandae in iudiciis apud S. Rom. Rotae tribunal approbatae et confirmatae a Pio Papa X »[1], atque die 6 Martii 1912 « Regulae servandae in iudiciis apud supremum Signaturae Aplcae. Tribunal, approbatae et confirmatae a Pio Papa X »[2], sive in futurum edantur forsan revocatoriae aut mutationem inducentes praeteritarum. - Specialem mentionem meretur conditio tractandorum negotiorum de qua statuit § 2. *Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum*. In hac disciplina secreti, supereminet « Secretum S. Officii », sic dictum uti peculiare huius Congregationis, cui par est quodammodo illud servandum in S. Congregatione Consistoriali, postea est commune caeteris dicasteriis, sed specialiter servandum in S. Poenitentiaria ob naturam fori interni, et in Sacra Romana Rota propter iuridicas consequentias in foro iudiciali persequendas. De his in Lib. IV. Codicis inveniuntur canones agentes de competentia Signaturae apostolicae, de secreto communiter servando cavent « normae communes » supracitatae in Cap. III de iureiurando, de S. Congreg. Consistorialis secreto habetur speciale iuramentum in « Normis peculiaribus » citatis[3], et secretum S. Officii regitur Decretis Clem. XI[4] et Clem. XIII[5].

Ut facilius et ordinate duo haec decreta in omnibus eorum partibus intelligantur, partiales ipsorum dispositiones adiunctis sub quaesitis distribui possunt: 1. Quinam illud secretum servare tenentur et sub qua sanctione. - 2. Quot et quaenam aliae personae ad illud admitti possunt. - 3. Erga quas personas servandum est. - 4. De quibus rebus. - 5. Quanam temporis ampli-

[1] CO. II, 783. — [2] CO. IV, 187. — [3] Cap. VII, art. II, n. 4. — [4] 1 Dec. 1709. — [5] 1 Febr. 1759.

tudine, idest: utrum de singulis negotiis secretum sit servandum in perpetuum. - 6. Coram quibus de hoc secreto S. Officii emittendum est iuramentum. - 7. De interpretatione iuramenti.

Ad 1m: in Decreto Clem. XI « Ssmus... statuit et decrevit, ut omnes Emi. Card. Generales Inquisitores, Consultores, Qualificatores, Revisores librorum aliique S. Inquisitionis officiales nunc et pro tempore existentes... inviolabile secretum servent: adeo ut nec directe nec indirecte, neque nutu neque scriptis, neque verbo nec alias quomodolibet sub quovis, quantumvis colorato praetextu, sive maioris boni ,sive urgentissimae et gravissimae causae, sive etiam alicuius facultatis.... praefatum secretum audeant quoquo modo violare: et hoc nedum sub poena excommunicationis maioris l. s., quam incurrere voluit eo ipso, absque alia declaratione, cuius absolutionem sibi tantum, suisque successoribus RR. PP., dempta super hoc facultate Sacrae Poenitentiariae, ipsique D. Card. Poenitentiario, praeterquam in mortis articulo, reservavit, sed etiam sub aliis gravissimis poenis arbitrio Sanctitatis Suae et successorum, habito tamen respectu ad qualitatem transgressionis et transgressorum infligendis ».

Ex Dec°. Clem. XIII: « Idemque omnino secretum sub iisdem censuris et poenis ab iis etiam servari iussit omnibus, quibus talia negotia, et causae aliquando communicari contigerit, quos propterea de hac stricta secreti servandi obligatione moneri mandavit, quoties eis dicta negotia et causae communicabuntur ».

Ad 2m quaesitum: in Dec°. Clem. XI. « Quoniam vero... Sanctitas sua stricte mandavit quod imposterum ad nominationem et instantiam faciendam ab unoquoque D. Card. Generali Inquisitore pro suo servitio aliquos ad iuramentum de secreto S. Officii amplissime servando admittendos, quorum alter sit studii adiutor, et alter amanuensis, unus tamen theologus pro materiis theologicis admitti possit, quem ex qualificatoribus eligere Sanctitas Sua praefatos DD. Cardinales vehementer hortatur. Ad instantiam vero et nominationem DD. Consultorum neminem imposterum ad secretum admitti voluit... Indulsit tamen DD. Cardinalibus, ut ad instantiam et nominationem alicuius ex praedictis Consultoribus, spectata petentis indigentia, et personae nominatae qualitate, unam tantum eidem concedere possint, qui ad tale secretum admittatur ».

Ad 3^m^ quaesitum. Ex Dec°. Clem. XI: « Porro tale secretum sub iisdem censuris et poenis observandum esse declaravit Sanctitas sua etiam cum DD. Card. Generalibus Inquisitoribus a curia absentibus quibuscumque ». - Ex Dec°. Clem. XIII: « Volens insuper Sanctitas Sua occurrere, ne S. Officii negotia et causae aliis praeterquam iis, quibus opus est, innotescant, statuit et mandavit ut sub eisdem censuris et poenis secretum omnino custodiatur etiam cum Qualificatoribus, et librorum Revisoribus in iis rebus, negotiis et causis in quibus ipsi Qualificatores et Revisores librorum nullam operam contulerint, aut conferre debebunt, utpote nec propositionum qualificationem nec libri alicuius revisionem iis commissam concernentibus; idemque multo magis servari iussit et praecepit etiam cum iis, qui alias quidem negotiorum S. Officii sub secreto participes fuerunt, sed finito iam, et quoquo modo cessato eorum munere nullas amplius in eiusdem S. Officii negotiis et causis partes habent, cum his enim personis quacumque dignitate et auctoritate pollentibus, voluit et sub iisdem censuris et poenis mandavit nihil prorsus communicari posse, sed eas omnino haberi tamquam a S. Officio extraneas etiam quoad negotia et causas earum durante munere inceptas: firma tamen semper penes ipsas remanente obligatione secretum servandi quoad res, negotia et causas, quae eorum munere durante in S. Tribunali dicta, tractata et peracta fuerint ».

Ad 4^m^ quaesitum, videlicet: de quibus rebus, ex Dec°. Clem. XI: « in omnibus et quibuscumque causis et negotiis aliisque rebus, quae in eodem S. Tribunali dicentur et tractabuntur et peragentur, etiam super libris aut doctrinis examinandis, et personis ad eorum revisionem, seu relationem deputandis, exceptis tantum causis mere civilibus (fortassis in tempore anteacto) nec directe nec indirecte fidem aut religionem tangentibus... » - Ex Dec°. Clem. XIII: « nominatim statuit et decrevit, ut omnes Emi. Card. Inquisitores generales et consultores ,aliique omnes S. Inquisitionis officiales... ceterique etiam ad secretum admissi non solum in causis et negotiis dicti S. Officii, sed in aliis etiam ad illud non spectantibus, quae in eodem S. Tribunali per modum examinis, consultationis, voti, tam in Congr. coram Sanctitate Sua, quam in aliis Congr. DD. Emorum. Cardinalium et Consultorum proponi aut alio quovis modo per-

tractari ac discuti contigerit, servent solitum secretum, ut in causis S. Officii, ita quidem ut omnia negotia et causae in eodem S. Tribunali pertractanda et discutienda sub inviolabili secreto retineantur; exceptis tantum causis mere criminalibus et civilibus (forsitan pro tempore transacto) nec directe nec indirecte fidem aut religionem tangentibus: et hoc sub eisdem poenis et censuris ac prae ceteris sub poena excommunicationis l. s. eo ipso et absque alia declaratione incurrenda, cuius absolutionem Sanctitas Sua sibi tantum, suïsque successoribus reservavit, sublata cuique praeterquam in mortis articulo, ac ipsi etiam Card. Poenit. maiori quacumque super hoc absolvendi facultate ».

Ad 5m quaesitum; ex Dec°. Clem. XI: « eamdem secreti obligationem permanere voluit Clem. XI etiam causis et negotiis finitis, iis tantum rebus exceptis, quae in fine et expeditione earumdem causarum et negotiorum legitime publicari contigerit ».

Ad 6m quaesitum, ex Dec. Clem. XI: « Item voluit et mandavit Sanctitas Sua quod supradictum iuramentum praestetur a DD. Cardinalibus et Consultoribus in Sacra Congr. S. Officii coram DD. Cardinalibus Inquisitoribus. A Qualificatoribus autem, Revisoribus et aliis quibuscumque iuxta proportionem munerum et rerum assumptis ad inserviendum S. Tribunali praestetur coram P. Commissario cum interventu Notarii S. Officii quodque in formula iuramenti de secreto servando praestandi ab omnibus supradictis praesens decretum summatim inseratur, et eiusdem decreti exemplum cuilibet, tam ex dictis Card. quam ceteris officialibus ad quos pertinet transmittatur, iis vero qui ad secretum in posterum admittentur in actu ipsius iuramenti tradatur ». - Ex Dec°. Clem. XIII: « ac praesens decretum... iis qui ad secretum in posterum admittentur,... in actu ipsius iuramenti omnino tradi voluit et praecepit; idemque hoc suum decretum ad perpetuam rei memoriam in actis S. Officii referre mandavit ».

Ad 7m quaesitum, ex Dec°. Clem. XI: « Quod si in aliquo casu quis dubitet de huius secreti obligatione, Sanctitas Sua declaravit interpretationem faciendam esse in favorem secreti ». - Ex Dec°. Clem. XIII: « Ssmus Dominus... specialiter praecepit ut si in aliquo casu quis dubitet de secreti obligatione sive

quoad res sive quoad personas, interpretatio semper fieri debeat in favorem secreti... ».

In normis specialibus supra citatis [1] dicitur: « Praeter commune iusiurandum, (quod dabunt, coram suo Praelato, cuiusvis ordinis administri, antequam adsciscantur. Normae communes, Cap. III.) omnes qui aliquo munere in Consistoriali Congr. funguntur, illud etiam dabunt, quod S. Officii iusiurandum dicitur ». Additurque formula, in qua licet animadvertere concordantias et differentias cum secreto antea exposito. - Convenit iurisiurandi formula cum secreto S. Officii, quoad sanctionem (nempe: eiusdem excommunicationis pariter reservatae et sub aliis poenis gravioribus), quoad personas erga quas observandum est, (videlicet: etiam eiusdem Congr. non commorantes habitualiter in Urbe), et quoad tempus in quo servandum est secretum (scilicet: etiam negotiis finitis, nisi publicentur). - Sed in formula iuramenti, 1° non exprimitur vocabulum « indirecte » quoad modum laedendi secretum, 2° non fit mentio aliarum personarum, quae ad idem secretum admittantur (quamvis puto non defuturas), 3° sunt obiectum illius secreti, « quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesium erectionem seu earumdem unionem spectent », et 4° coram quibus emittendum sit, et de interpretatione ipsius iuramenti, nihil ex formula eruitur expresse, quamvis puto aptanda esse quae de secreto S. Officii decreta sunt. - Bene notanda est clausula finalis sequens: « Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, Sacrae Congr[i]. rem patefaciam ».

233. **Necessarius Rom. Pont. interventus in actis.** — Limitationes servandas in Romanae Curiae actibus ex Const. « Sapienti consilio » in fine, ast omissa clausula irritante, desumit *can. 244. § 1. Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorumdem Romano Pontifici fuerit antea significatum.* Quod ad eos pertinet servare, servatumque fuisse censendum est, etsi publice notum non facerent illi, sicut in documentis expri-

[1] C. VII Art. II n. 4°.

mere solent, nisi aliunde certo constaret praedictam fuisse omissam significationem.

Quod dictum est ante §^m 1^m, idem applicetur § 2. *Gratiae quaeris* concessae per rescriptum, vel aliter, atque in controversiis seu actis datae *resolutiones indigent pontificia approbatione* in forma quidem communi, quae relinquit acta uti Sacrae Congregationis, a) *exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium, Congregationum Moderatoribus speciales facultates tributae sint*, diversae pro tempore ac S. Pontificis voluntate atque illis cognitae, b) *exceptisque sententiis Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae.*

234. **Dubia de competentia.** — In const. « Sapienti consilio » (I, 2°, 4) erat praescriptum: « Huius Congregationis erit » scilicet: S. Congr. Consistorialis « in conflictatione iurium, dubia solvere circa competentiam Sacrarum Congregationum ». Et quidem satis rationabiliter, quia haec Congregatio magis delimitatam obtinuerat competentiam, eique Romanus Pontifex praeest; tamen adhuc melius, quando multa dubia fuerunt iam soluta, providit in Codice *can. 245. Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia et Officia Romanae Curiae*, de quibus posterioribus non fiebat mentio in cit. Const^s. loco, *dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit.* Et ita factum est die 24 Martii 1919 [1], quamvis nunc occurrente casu, ad manum habet coetum alia simili de causa designatum ac permanentem, de quo utpote constituto post Codicem is non loquitur, proindeque hoc in loco est opportune noscendus. Nempe: Benedictus XV in *Motu proprio* «Cum iuris canonici Codicem» [2] ait: « ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, aut crebra novarum legum varietate » reprobanda, nisi vera necessitas aut maxima utilitas eam postulet: ne ergo « tanti operis », Codicis nempe « stabilitas in discrimen aliquando vocetur »; decernit: « I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium seu *Commissionem*, uti vocant, constituimus, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea

[1] CO. XI, 251. — [2] 15 Sept. 1917.

Congregatione cuius propria res sit ,quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus. quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accedent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero iuris canonici periti, eadem Auctoritate designandi; sed Consilio ius erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* iamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suádeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit, ad decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum a praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis*, *ter*, etc., repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis Decretum, in *Acta Apostolicae Sedis* referantur ».

Praelaudata « commissio [1] statuit respondendum esse tantum dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus maioribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc.. non vero iis quae proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio

[1] 9 Dec. 1917, CO. X, 77.

Ordinario ». - Ex alia parte invenimus testimonium sequens sub nota in Actis Aplcae. Sedis (XI, 480): « Nella adunanza plenaria del 9 dicembre 1917, gli Emi. Padri, propostosi il seguente dubbio: *Utrum dubia quae minoris sint momenti aut non multum difficultatis habeant, solvi possint ab Emo. Praeside Commissionis*, hanno risposto *Affirmative* ».

ART. I. — *De Sacris Congregationibus.*

CAN. 246. - Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus, vel, si eisdem praesit ipsemet Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis Secretarius; quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris.

CAN. 247. - § 1. Congregatio S. Officii, cui ipse Summus Pontifex praeest, tutatur doctrinam fidei et morum.

§ 2. Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint.

§ 3. Ipsa sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur; itemque ad eam spectat facultas dispensandi in hisce impedimentis. Quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem est deferenda, quae tamen potest, si ita censeat et casus ferat, quaestionem remittere ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae.

§ 4. Ad eandem pertinet non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere, et dispensationes concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda, et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam canon. 1397.

§ 5. Ipsa una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt.

CAN. 248. - § 1. Congregationis Consistorialis Praefectus est ipse Romanus Pontifex. Praeter alios ad eandem pertinent ex officio Cardinales Secretarius S. Officii, Praefectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Secretarius Status. Inter Consultores eiusdem semper sunt Assessor S. Officii, Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis et Secretarius Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum.

§ 2. Ad hanc Congregationem spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea, in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis, novas dioeceses ac provincias et capitula tum cathedralia tum collegialia constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores Apostolicos, Coadiutores et Auxiliares Episcoporum constituendos proponere, canonicas inquisitiones seu processus super promovendis indicere actosque diligenter expendere, ipsorum periclitari doctrinam, salvo praescripto can. 255.

§ 3. Ab hac Congregatione dependent ea omnia quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium. Quare ipsa vigilat super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii te-

Art. 1. De SS. Congr.; scilicet: pro Ecclesia [1]

— Constitutio — Can. 246

		Competentia	
universa, limitans Congr.	— de Sacramentis — de Religiosis — de Prop. Fide — pro Eccl. orient.	circa priv. Paul et matr. mixta et iei. euchar. pro missa. Pro fide ac morib.	Congr. S. Officii Can. 247
— latina — pro locis ubi est Hier. eccl., limitata Congregationibus	pro neg. eccl. extr. S. Officii	prov. ac dioec. et capit. const., provis., et de Ordinariis	Congr. Consistorial. Can. 248
	» » SS. Rituum	de disciplina Sacramentorum ac ubique de matrimoniis	Congr. » Can. 249
	de Religiosis Caeremon.	pro disciplina cleri et populi	Congr. Conc. Can. 250
— pro religiosis, in communi vivent. et tert. ordin. saecul., limitata Congr.s	de Prop. Fide S. Officii Concilii	quoad omnia, et de dispensandis religiosis a iure com.	Congr. de religiosis Can 251
— pro locis mission. et aequiparatis; limitata per Congregat.s	de religiosis S. Officii de Sacram. SS. Rituum	quoad omnia, except. religiosis ut talibus et quibusdam materiis	Congr. de Prop. Fide Can. 252
sine limitatione territorii	non limitata	de cultu liturgico amplissime	Congr. SS. Rituum Can. 253
	pro Urbe	in aula Pontificali et funct. Card.	Congr. Caeremon. Can. 254
	sed a Congr. Consist.	de connexis cum leg. et Concord.	Congr. neg. eccl. extr. Can. 255
	sed per Congr. de Prop. Fide	de Seminariis et Universitatibus	Congr. Can. 256
— Orientali, limitata per Congr. S. Officii		quoad omnia: personas, disciplinam, et ritus	Congr. Can. 257

[1] Vide canones in pag. 246, 247, 262, 263, 272.

nentur; cognoscit ea quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indicit visitationes apostolicas examinatque eas quae fuerint absolutae, transmissis in utroque casu ad singulas Congregationes iis ad deliberandum negotiis quae ad eas peculiariter pertinent.

CAN. 249. - § 1. Congregationi de disciplina Sacramentorum proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis S. Officii circa ea quae in can. 247 statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa ritus et caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

§ 2. Ad illam itaque spectant ea omnia, quae decerni concedique solent tum in disciplina matrimonii, tum in disciplina aliorum Sacramentorum nec non in celebratione Sacrificii Eucharistici, iis tantum exceptis quae aliis Congregationibus reservata sunt.

§ 3. Ipsa cognoscit quoque et exclusive de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem concedendam, nec non de iis omnibus, quae cum his sunt connexa. Potest tamen cognitionem horum omnium, si id expedire iudicaverit, ad Sacram Romanam Rotam remittere. Pariter ad eam deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat. Eodem modo ad ipsam pertinet videre de obligationibus ordinibus maioribus adnexis, atque examinare quaestiones de ipsa validitate sacrae ordinationis, aut eas ad tribunal competens remittere. Et ita porro de aliis Sacramentis.

CAN. 250. - § 1. Congregationi Concilii ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur.

§ 2. Quamobrem ipsius est curare ut christianae vitae praecepta serventur, cum facultate opportune ab eisdem fideles dispensandi; moderari quae parochos et canonicos spectant; aut quae pias sodalitates, pias uniones (etiamsi dependeant a religiosis vel erectae sint in eorum ecclesiis seu domibus), pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, mobilia et immobilia, tributa dioecesana, taxas Curiarum episcopalium aliaque huiusmodi attingunt. Eidem reservata est facultas eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat; admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad religiosos; permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica, a potestate civili usurpata.

§ 3. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent, itemque de controversiis circa praecedentiam, salvo iure Congregationis de sodalibus religiosis et Congregationis Caeremonialis.

§ 4. Ad eandem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad Episcoporum coetus seu conferentias referuntur, extra loca quae subsunt Congregationi de Propaganda Fide.

§ 5. Est autem haec Congregatio competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in linea disciplinari pertractandas censuerit; cetera ad tribunal competens sunt deferenda.

235. **Constitutio SS. Congregationum.** — Iuxta diversitatem ac praemissum dicasteriorum Romanae Curiae ordinem, Art[i]. tres subnectuntur, quorum primus *De Sacris Congregationibus* inscribitur descriptis ad can. 242. Earum constitutionem in genere nobis exhibet *can. 246. Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus vel, si eisdem praesit ipsemet Romanus Pontifex*, sicuti constat ex Codice: tum Congregationi S. Officii, tum Consistoriali ac pro Ecclesia orientali; *eas dirigit Cardinalis Secretarius, quibus* scilicet: huic Cardinali in istis et Cardinali Praefecto in aliis *adiunguntur Cardinales quos Pontifex ei adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris*. De his haec statuuntur in « Normis communibus »[1]. « In omnibus... S. Sedis Officiis (dicasteri) duplex erit administrorum coetus, maiorum et minorum.

Excepta S. Rota, cui propriis erit agendum normis, in caeteris officiis omnibus, administri maiores, praeside Card[i]. suo, Congressum constituunt ».

« Maiores [2] administri cuiusque S. Cong[is]., Tribunalis, Officii » sicut et Consultores « a S. Pont. libere eliguntur... Litteras nominationis ad eos mittit Card.[s] a secretis Status ».

Sunt sequentes secundum normas speciales [3]. In Congr. de sacramentis « Praelatus a secretis et subsecretarii tres.

Theologi et sacri iuris periti aliquot... munere Consultorum funguntur.

Ex tribus subsecretariis unus, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, in petitiones omnes circa impedimenta matrimonii praecipue incumbet. Alter subsecretarius, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, ceteras curabit preces ad matrimonia pertinentes, uti sanationes in radice, natalium restitutiones, questiones de iustis aut irritis nuptiis vel de dispensatione in matrimonio rato, dubia et huiusmodi alia.

Tertius subsecretarius, cum adiutore et aliquot scriptoribus, sacrae Ordinationis aliorumque Sacramentorum rebus, excepto matrimonio, vacabit ».

« Administri maiores » [4] in Congr Concilii et ceteris omnibus « sunt Praelatus a secretis et Subsecretarius » seu Substitutus, exceptis S. Congr[e]. pro Ecclesia Orientali, quae constituta est sicut Consistorialis, et Congr[e]. S. Officii.

[1] C. I. 1° et 3°. — Ib. C. II. 1° et 11°. — [3] C. VII. Art. III. 1° 2° 4° 5° 6°. — [4] Ib. art. IV. 1° 2°.

In Congr. Conc. « *Consultorum* aliqui probati sint temporalium etiam gerendarum rerum peritia ».

Memoriae iuvandae causa, Congr. Romanae sequentes convenienter sic distributae ac ordinatae sunt. Nam Ecclesia catholica, utpote societas supernaturalis supponit omnino fidei fundamentum, quo sublato Ecclesia et quidquid est in ea corrueret: hinc primus locus tribuendus Cong[i]. S. Officii quae fidem tuetur; postea societas maxime indiget in ordine perfectionis 1° potestate qua conglutinatur et ad finem dirigitur, quam potestatem exercentes subiiciuntur Cong. Consistoriali; 2° subsequurtur media supernaturalia quibus perficiuntur fideles et ad finem perducuntur, hinc Cong. de disciplina sacramentorum; et 3° membra seu elementum materiale societatis ,quorum disciplina sive cleri sive populi concredita est S. Cong. Concilii. - Sunt vero personae quaedam, territoria et res quae exposcunt specialem curam Ecclesiasticae auctoritatis; videlicet: fideles qui peculiariter vacant studio sanctitatis acquirendae, legibusque peculiaribus dirigendi sunt, praeponitur ergo eis Cong. religiosorum; territoria inveniuntur, quae ob missiones vel ob recenter erectam hierarchiam episcopalem nequeunt convenienter regi iure can. communi, et pro his regionibus adest S. Cong. de Prop. Fide; atque cultus divinus maxime deservit exercitio spirituali sanctificationis, ac abusibus superstitionis expositus est, unde S. Cong. Rituum, cui accedit ob connexionem S. Cong. Caeremonialis.

Pro negotiis vero quae in dies eveniunt atque expostulabant quandoque Congregationem extraordinariam, et quae nunc temporis frequentius accidunt, in promptu habetur Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis. Ultimo Ecclesia providere debuit non solum ordinariis ac extraordinariis necessitatibus quae praesentes sunt, sed etiam duratura usque ad finem saeculi, memor praecepti Apostoli[1]: « quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere », in futuri providentiam servat idipsum in Seminariis atque Universitatibus, non solum per doctrinam theologicam et Sacrae Scripturae, sed etiam edocens ius canonicum quo Ecclesia gubernatur, et sanam philosophiam, ut ita sacri ministri sint ad redarguendum idonei ac bene ins-

[1] II. ad Timoth. cap. II v. 2.

tructi. Denique harum Congregationum vices pro Ecclesia Orientali gerit, quae hoc titulo est insignita.

236. **Competentia Congr. S. Officii, ac specialis constitutio.** — Sequuntur undecim canones de singulis Congregationibus. - *Can. 247.* § 1. Inter SS. Congregationes Romanas prima propter eius scopum, et quae hac solum de causa « Sacra Suprema » etiam dicitur, est *Congregatio S. Officii, cui ipse Summus Pontifex praeest*, atque *tutatur doctrinam fidei et morum*, sive damnando propositiones sive Instructiones proponens dogmaticam doctrinam vel ius divinum attingentes, etc.

Primo instituta est a Paulo III Const. « Licet » 21 Iul. 1542, proindeque originem repetit distinctum ab inquisitione medii aevi, cui subsequuta est tamquam superius complementum.

« 1° Huius Congregationis administri maiores, post Cardinalem a secretis, sunt Adsessor et Commissarius »[1].

Cardinalis a Secretis deligitur a S. Pontifice inter Cardinales Generales Inquisitores ex quibus constat haec Congregatio. Adsessor est unus ex Romanae Curiae Praesulibus, et Commissarius alius ex Ord. Praed. S. Theologiae Magister. Adsessor ad instar Secretarii aliarum Congregationum praeparat negotia praesertim extraiudicialia. Commissario vero potius demandata est cura praeparandi ac instruendi causas criminales ibidem iudicandas et adiutores habet duos eiusdem ordinis socios. Insuper adsunt Advocatus fiscalis qui est publicus accusator et leges tuetur, Advocatus etiam reorum, Notarius aliique officiales inferiores.

(Loc. cit.) « 2°. Consilium constat, ut ante, Consultoribus a Summo Pontifice nominandis. Praeter Consultores, pergunt esse nonnulli Censores, vulgo Qualificatori ». Horum est censuram ferre de libris aut propositionibus S. Officii iudicio subiiciendis. Ut consultores nati habebantur Magister S. Palatii Aplici., P. Generalis Ord. Praed., et Sacerdos professus Minorum Conventualium. Nihil de hoc cavetur in Iure novissimo Codicem praecedente.

4° « Unus ex substitutis Notariis officium sibi assumit imponendae taxationis rescriptis, quibus dispensatio conceditur ab impedimentis *disparitatis cultus*, et *mixtae religionis*...

5° Alterius est epistolas et rescripta distribuere, debitamque pecuniam exigere ».

[1] Ordo servandus.. Pars altera. C. VII. Art. I.

237. **Ut tribunal.** — § 2. *Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem* (notetur) *reservantur*, ex quibus verbis infertur evidenter: Congregationem S. Officii esse simul Tribunal competens unicum in Curia Romana de his causis prae aliis eiusdem Curiae dicasteriis. Imo cum quadam praerogativa; sequitur enim canon: *cum potestate has criminales causas*, sic vocatas ad normam can. 1552, § 2, 2° quia de punitione delicti in eis agitur, *videndi non solum* a) *in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci*, cui reservantur etiam prae regularibus Praelatis hae causae ex can. 501, § 2, *sed etiam* b) *in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint.* Quod iudicium, cum sit de iis delictis, quae haeresis suspicionem, vel superstitionem multiplicis speciei, vel sacramenti poenitentiae violationem ratione abusus aut sigilli sacramentalis continet, ac in his materiis « ex ipsa rei natura etiam Orientalem Ecclesiam afficiunt canones » (can. 1), in orientales quoque ut tribunal est competens S. Officii Congregatio, quamvis poenae ipsis infligendae v. gr. reductio ad statum laicalem ac earum inflictio pro delicto isto vel altero sint moderandae secundum propriam orientalium disciplinam ,quia Codex « ipse unam respicit Latinam Ecclesiam » (can. 1). - Quid innuant illa verba: delicta quae sibimet « secundum propriam eiusdem legem » reservantur, videtur erui posse ex fontibus ad hunc canonem citatis; videlicet [1]: « Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt », et horum expresse mentio fit in Lib. V Codicis v. gr. [2] can. 2316 et can. 2319, § 2. [3] Item scriptum invenitur in « Normis peculiaribus » [4] : « 6° In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant, et in iudicia ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus,

[1] Const. cit. § 1, n. 1°, 2.

[2] Can. 2316. Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est.

[3] Can. 2319. § 1... catholici... 2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam; 3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; 4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

§ 2. Ii de quibus in § 2, nn. 2-4 sunt praeterea suspecti de haeresi.

[4] Cap. VII, art. I.

atque in iis omnibus quae ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis referuntur, Congregatio S. Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.. 7° Mos procedendi S. Officii de quo in superiore num. 6°, itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio, quamprimum erunt scripto redigenda, et postquam a Patribus Cardinalibus revisa fuerint, per Card. a secretis Summo Pontifici erunt subiicienda ut approbentur ». Quod factum esse praesumendum est, atque forsitan S. Officii legem propriam in canone Codicis appellari. Et hucusque prima principalis pars competentiae eius quae latius patet.

238. **In re matrimoniali.** — Sequitur altera pars valde ampliata post Const. « Sapienti consilio » per Decretum S. Congregationis Consistorialis sine data, sed insertum in « Actis Aplcae. Sedis » (II, 56) quod his verbis refert § 3. *Ipsa sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto*, putamusque id exceptionaliter servandum prae Commissione Cardinalitia Codicis interpretandi, ut haec consulat prius S. Officii Congregationem antea posidentem ius praedictum. Sequitur obiectum cognitionis, nempe: *circa* a) *privilegium, ut aiunt, Paulinum et* b) *matrimonii impedimenta disparitatis cultus et* c) *mixtae religionis versantur; itemque ad eam spectat* d) *facultas dispensandi in hisce impedimentis*. Atque sic limitatur potestas Congr^s^. de disciplina Sacramentorum. E contra prodiit Declaratio S. Congr^s^. Consist^s^. [1] ad sequens: « Dubium VI. Utrum Congr. pro negotiis rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus? - Ad VI Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino quod pertinet ad Congregationem S. Officii ». Quia vero desinente eadem Congregatione die XXX Nov. 1917, seorsum S. Congr. pro Ecclesia Orientali existit a die 1^a^ mensis insequentis, de qua posteriori statutum est (can. 257, § 2): « pro Ecclesiis ritus orientalis omnibus facultatibus potitur aliarum Congregationum, incolumi iure Congregationis S. Officii », sequitur illam Congregationem acquisivisse ius ad illas dispensationes vi Declarationis praedictae, quia solum privilegium

[1] 12 Nov. 1908. CO. I, 148.

Paulinum per eam remansit de iure Congregationis S. Officii pro illis Ecclesiis. - Infertur in canone: *Quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem* etiam prae Congregatione pro Eclesia Orientali *est deferenda, quae tamen potest, si* a) *ita censeat et insuper* b) *casus ferat, quaestionem remittere ad aliam Congregationem*, quae indeterminata est, v. gr. de disciplina Sacramentorum, pro Ecclesia orientali, *vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae* praecise quando iudiciali ordine sit tractanda.

239. **Circa libros et scripta.** — Eidem Congr^i^., accreverat competentia iuxta M. pr. « Alloquentes » Bened. PP. XV feliciter regnantis [1]. « I. S. Congregatio Indicis iam nunc non erit. II. Quod fuit usque adhuc proprium munus S. Congr. Indicis, erit posthac S. Officii de libris ceterisque scriptis censuram ferre ». Hinc verba Const^s^. « Sapienti consilio » de Congr^s^. Indicis competentia (sub n. 7° 1) refert canonis § 4. *Ad eamdem pertinet non solum* a) *delatos sibi libros diligenter* excutere, i. e. examinare, *eos, si oportuerit*, b) *prohibere*, nam si non oporteat, poterit saltem silentio dimittere, *et* c) *dispensationes concedere* quoad vetitum librorum ac ephemeridum, *sed etiam* d) *ex officio inquirere*, indito primum a Const. « Sapienti consilio », *qua opportuniore licebit via, quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda, et* e) *in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam can. 1397* [2]; seu quod idem est: hunc canonem urgere in praxim, hinc limitatio Sacrae Congr. sequentis saltem per cumulativam competentiam. Revera hoc obiectum valde connectitur cum scopo principali Congr. S. Officii, quem in genere § 1 edixit, cui subsequuntur alii quatuor, unusquisque de materia speciali et aliam diversam Congregationem limitans vel Tribunal.

[1] 25 Mart. 1917, CO. IX, 167.

[2] Can. 1397. § 1. Libros quos perniciosos iudicaverint, ad Apostolicam sedem deferre; id autem peculiari titulo pertinet ad... locorum Ordinarios.

§ 4. Locorum Ordinarii per se aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos vigilent in libros, qui in proprio territorio edantur aut venales prostent.

§ 5. Libros qui subtilius examen exigant vel quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur, ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant.

240. **Circa ieiunium eucharisticum.** — Nempe: sicut §us tertius restringit Congrs. de disciplina Sacramentorum competentiam ex C. « Sapienti consilio » sortitam, ita aequaliter illam limitat § 5. *Ipsa una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt.* Optime, ut severius pro ipsis haec lex retineatur.

Iuvat innuere quod de modo procedendi in examine et prohibitione librorum semper servata fuit apud Indicis Congrm. Const. « Sollicita ac provida » Bened. XIV [1] continens regulas prudentia refertas, quae tamen in seipsa non amplius viget. Praeterea ex M. pr. « Alloquentes » n. III: « Ad ministeria quae erant apud S. Officium, accedat peculiaris Sectio de Indice; eique addicantur Officiales, qui extinctae Congregationi ministrabant. - Rationem autem eius Sectionis ordinandae S. Congr. S. Officii definiet, Nobisque (ait Pontifex) probandam proponet ». Nec IV utilem scitu praeterire lubet. « Ne... Congri. S. Officii negotiorum moles nimis hac accessione crescat, quidquid ad Indulgentias pertinet, omne iam esto Poenitentiariae Apostolicae: quae quidem pro suo instituto iudicabit de omnibus quae spectant ad usum et concessiones Indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt ».

241. **Constitutio Congrs. Consistorialis.** — *Can. 248. § 1. Congregationis Consistorialis Praefectus est ipse Romanus Pontifex. Praeter alios* S. R. E. Cardinales, ut vidimus in genere, *ad eandem pertinent ex officio, et* solummodo dum sunt in eo, tres *Cardinales* nempe: *Secretarius S. Officii, Praefectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus Studiorum et Secretarius Status. Inter consultores eiusdem semper sunt*, officii causa quo designantur, *Assessor S. Officii, Secretarius Congr. pro negs. eccles. extraord. et Secrs. Congres. de Seminariis et Universitatibus Studiorum.* Qui correlativi sunt Cardinalibus praedictis. Paragrapho ergo isti de Congregationis huius constitutione sequuntur alii duo de ipsius competentia.

242. **Competentia.** — § 2. *Ad hanc Congregationem spectat non modo parare agenda in Consistoriis* unde illius appellatio, v. gr. schedas de provisione ecclesiarum, concessiones palliorum, *sed praeterea*, a) *in locis Congregationi de Propaganda*

[1] 9 Iul. 1753.

Fide non obnoxiis, et est prima circumscriptio ratione locorum, I° *novas dioeceses ac provincias* de quibus sunt can. 215 et 272 *et capitula tum cathedralia tum collegialia* definienda in canone 391 *constituere;* II° *dioeceses iam constitutas dividere* ad normam can. 215; III° *Episcopos* de quibus can. 329 et seqq.; *Administratores apostolicos* de quibus can. 312 et seqq. *Coadiutores et Auxiliares Episcoporum* de quibus can. 350 et seqq. *constituendos proponere*, IV° *canonicas inquisitiones seu processus super promovendis indicere* iuxta dicenda in can. 330 *actosque diligenter expendere*, V° *ipsorum periclitari doctrinam*, et adiungitur alia circumscriptio competentiae per verba: b) *salvo praescripto can. 255* videndo in huius explicatione.

Posita competentia quoad divisiones territoriales faciendas per Sedem Apostolicam, et capitula et promotiones Episcoporum illi reservatas; transit ad aliam competentiae partem consequentem ex illa, primo in genere expressam, postea in specie. - § 3. *Ab hac Congregatione dependent ea omnia quae pertinent ad* a) *constitutionem*, b) *conservationem et* c) *statum dioecesium*, sub quo nomine veniunt quoque hic Abbatiae seu Praelaturae nullius ex can. 215, § 2. *Quare ipsa vigilat* a) *super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii* locorum ex can. 198, § 1 *tenentur*. Prosequitur canon: b) *cognoscit ea quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium* ad normam can. 340, § 1, et can. 323, § 1, quia nomine Episcopi ad normam can. 215, § 2 venit etiam hic Abbas vel Praelatus nullius. Sacra haec Congregatio c) *indicit* etiam *visitationes apostolicas* d) *examinatque eas quae fuerint absolutae*, et notanda sequens praescriptio: *transmissis in utroque casu*, nempe: relationis de statu et examinis de visitatione praedicta iam absoluta, *ad singulas Congregationes iis ad deliberandum negotiis quae ad eas peculiariter pertinent.*

243. **Competentia S. Congr. de disciplina Sacramentorum.** — De S. Congregatione per ordinem tertia dedimus specialia quoad subsecretarios et consultores. Tres paragraphos habet canon sequens, quorum primus de ipsius competentia in genere, secundus de eadem in specie, ac tertius de quaestionibus apud ipsam dirimendis. *Can. 249.* § 1. *Congregationi de disciplina Sacramentorum proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum;* quo loquendi modo exclu-

ditur doctrina de ipsis cum fide intime connexa, et quae cadit sub competentia S. Officii quam ipsum tutatur, additurque adhuc admonitio de limitatione quoad disciplinam in can. 247 adnotata, scilicet: *incolumi iure* a) *Congregationis S. Officii circa ea quae in can. 247 statuta sunt*, quibus verbis etiam doctrina ut obiectum illius expresse comprehenditur; alia ex parte item limitatur competentia quoad sacramenta, quando adiungitur b) *et Sacrorum Rituum Congregationis circa ritus et caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent*, et quae partem non modicam efficiunt disciplinae septem Sacramentorum. Quid nomine illorum rituum et harum caeremoniarum veniat, videbimus in huius Congregationis explicatione.

§ 2. *Ad illam itaque spectant ea omnia, quae decerni concedique solent* a) *tum in disciplina matrimonii*, b) *tum in disciplina aliorum Sacramentorum*, ex iure igitur ecclesiastico, *nec non* c) *in celebratione Sacrificii Eucharistici, iis tantum exceptis quae aliis Congregationibus reservata sunt*. Expresse igitur, sicut indicatur verbo « reservata ».

§ 3. *Ipsa cognoscit quoque et exclusive*, i. e. unice cum exclusione alterius dicasterii cuiuslibet, a) *de facto inconsummationis matrimonii et* b) *de existentia causarum ad dispensationem concedendam*, quae necessariae sunt ad dispensationis validitatem, *necnon* c) *de iis omnibus, quae cum iis sunt connexa*. Quacum locutione fit salvum illius cognitionis ius exclusivum. - Sed libertas prudens ipsi relinquitur ex his quae sequuntur. *Potest tamen cognitionem horum omnium, si id expedire iudicaverit, ad Sacram Romanam Rotam remittere*, ad hoc ut secundum strictum ius examinentur vel modo peritiori. - *Pariter* d) *ad eam* Congregationem *deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii*, velut ad Congregationem competentem, exceptis deferendis ad Congregationem S. Officii, *quas tamen*, illas de quibus hic canon, *si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant*, de quo iudicat Congregatio, tunc praeceptive *ad tribunal competens* primae videlicet instantiae *remittat*. Hoc comma in sequenti ampliatur: *Eodem modo ad ipsam pertinet* e) *videre de obligationibus ordinibus maioribus adnexis*, utpote munus connexum cum sequenti examine, sed etiam extra hoc ipsum, f) *atque examinare quaestiones de*

ipsa validitate sacrae ordinationis, aut eas ad tribunal competens remittere. Omnino ut in praecedenti commate. Tribunal competens in Lib. IV discitur. Ampliatur explicatio competentiae ex ultima canonis clausula: *Et ita porro de aliis Sacramentis.*

Fere iisdem verbis Const. « Sapienti consilio » eiusdem Congr[s]. competentiam tradit.

244. **Competentia S. Congr. Concilii.** — Sequitur Congregatio Concilii, nomine quidem convenienti, quia prosequitur scopum, quem sibi proposuit Conc. Tridentinum, reformationem scilicet cleri et populi christiani; sed huius Congr. ius est hodie imminutum quoad interpretationem Decretorum illius Concilii. non solum post novi Codicis promulgationem, quia illa Decreta quae in Codice inserantur authentice interpretanda erunt a Commissione Pontificia ad hoc instituta; sed etiam prius, quia erat distributum illud ius inter omnes Congregationes pro uniuscuiusque materia, quod eruebatur ex Normis post Curiae Romanae pianam reformationem, et authentice constabat.

Can 250. § 1. *Congregationi Concilii ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis,* quatenus ipse distinguitur a religiosis, *populique christiani refertur.* « Disciplinam » accipiamus praeceptorum praxim iuris vel divini vel ecclesiastici.

Posito principio generali, competentiam illius Congregationis explicat § 2. *Quamobrem ipsius est curare ut*, non iam solum Ecclesiae sed, sicut in canone dicitur, a) *christianae vitae praecepta serventur* b) *cum facultate opportune ab eisdem fideles dispensandi*, quod de praeceptis Ecclesiae est intelligendum, uti sunt « abstinentiae, ieiunia, festa servanda », nam id omne fuit sacro S. Officii Consilio sublatum in const. « Sapienti consilio » (I, 1°. 4); c) *moderari quae parochos et canonicos spectant* qua tales, praeter obligationes quorumlibet clericorum; *aut quae pias sodalitates, pias uniones*, explicandas in huius Libri ultima parte, (*etiamsi* hae *dependeant a religiosis*, quia ex privilegio ab ipsis erigantur vel dirigantur, *vel erectae sint in eorum ecclesiis seu domibus*, nec dependeant ab ipsis. quamvis eorum ecclesiae sint exemptae), *pia legata* v. gr. fundationes ad cultus exercitium. *pia opera* v. gr. hospitalia quae ab Ecclesia dependeant. *Missarum stipes, beneficia aut officia*

suis in locis explicata vel explicanda, *bona ecclesiastica* sic dicta propter eorum dominii subiectum, personae videlicet morales, quaecumque sint bona illa, nempe: *mobilia et immobilia*, *tributa dioecesana*, quae ab Episcopo ad canonum normam imponantur, exceptis forsitan quae pro Seminario iniungantur, *taxas Curiarum episcopalium aliaque huiusmodi attingunt.*

Sequitur ergo ad hanc S. Congr. spectare quascumque saecularium associationes pietatis aut charitatis causa initas, et ea quae respiciunt bona temporalia ecclesiastica vel cleri solummodo saecularis ac populi, de quibus ecclesiastica potestas cognoscere debeat. Haec autem limitatio est declarata « in peculiari coetu Emorum Patrum iuxta canonem 245... designatorum... 2. Utrum concedere, servatis consuetis normis, sanationes et condonationes quoad praeteritum, et reductiones quoad futurum relate ad capellanias et alia legata, quae, licet concredita non sint Ordini aut familiae religiosae, qua tali, erecta tamen aut translata reperiuntur in ecclesiis religiosorum, spectet ad S. C. Concilii, aut potius ad S. C. de Religiosis. E.mi Patres Cardinales... respondendum censuerunt. Ad 2. Privative ad S. C. de Religiosis, quoadusque legatorum administratio et adimplementum concredita sint Religiosis ». [1] E converso amplitudo competentiae fulcitur et explicatur seq.[s] resp.[s] Sacrae Congr. Consist. 1[a] « Utrum competentia super confraternitates... tributa S. Congr. Concilii se extendat quoque ad confraternitates et pias uniones quae dependent ab Ordinibus et Congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum Ecclesiis seu domibus an potius haec reservata sit Sacrae Congr. de Religiosis. Emi Patres [2]... respondendum censuerunt: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

2[a] « Utrum facultas admittendi ad compositionem eos, qui bona ecclesiastica quaecumque occuparunt, aut detinent, privative tribuenda sit Sacrae Congr. Concilii, an potius, quando agitur de bonis ad Ordines aut religiosas familias pertinentibus, eadem facultas reservanda sit Sacrae Congr. de Religiosis... Emi Patres S. Congr. Consist... respondendum censue-

[1] 24 Martii 1919. CO. XI, 251.
[2] 9 Dec. 1909, CO. I, 814.

runt: affirmative ad primam partem, neg. ad secundam »[1]. Et quidem rationabiliter, cum finis principalis huius compositionis sit spirituale bonum fidelium, atque causarum vel institutorum iuribus satis est provisum per ipsarum consensum saltem a R. Pont. suppletum, sicut per Consultorem fuit animadversum.

3ª « Utrum... spectet ad S. Congr. Concilii,... facultas permittendi Christifidelibus, ut bona acquirant Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata.... Emi Patres.... censuerunt: spectare ad S. Congr. Concilii »[2].

4ª « Utrum spectet ad S. Congr. Concilii, adprobare taxas Curiarum Episcopalium, necnon dirimere quaestiones omnes, quae ad eas referuntur; an vero haec facultas reservanda sit... Sacrae Congr. Cons... Aff. ad 1ᵐ partem, neg. ad 2ᵐ »[3].

Haec omnia inserta sunt in canone, sicque intelligenda sunt. - Sequitur in eo: *Eidem reservata est facultas* a) *eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum*, sive ratione qualitatum subiecti, sive ratione aliarum circumstantiarum collationis, attamen solum *quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat;* alias competens erit aliud dicasterium, scilicet: Dataria Aplca., si non sunt beneficia consistorialia, sed Sanctae Sedi reservata. Huc referenda est declaratio S. Congr. Consist. « proposito dubio: utrum facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de Religiosis. - Emi. Patres respondendum censuerunt: spectare ad S. C. Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae eis prohibeant paroecias retinere et regere »[4]. Demum iuxta canonem « reservata est facultas » b) *admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica*, quocumque modo id egerint saltem possessione, *etiam pertinentia ad religiosos* iuxta Declarationem citatam; ac c) *permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica, a potestate civili usurpata.* - Post hanc longam explicationem paragraphi primi sequitur § 3. *Videt quoque* a) *de iis omnibus*,

[1] 8 Iul. 1909, CO. I, 576. — [2] 14 Mart. 1910, CO. II, 230. — [3] 21 Ap. 1910, CO. II, 329.
[4] 5 Jul. 1915, CO. VII, 327.

quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent, sive personalem, sive localem, sive realem, *itemque* b) *de controversiis circa praecedentiam*, quae frequentes semper fuerunt, *salvo iure Congregationis de sodalibus religiosis* quoad praecedentiam inter eos *et Congregationis caeremonialis*, quod ius infra erit explicandum. Si praecedentia sit in sacra liturgia, sub caeremoniis ac ritibus continetur.

245. **Quoad Concilia.** — Aliam partem competentiae cum generali connexam refert § 4. *Ad eamdem pertinent ea omnia quae* a) *ad Conciliorum* tum provincialium tum plenariorum *celebrationem et recognitionem atque* b) *ad Episcoporum coetus seu conferentias referuntur*, quae ipsa Concilia supplent tempore inter ea lapso, cum limitatione addita: *extra loca quae subsunt Congregationi de Propaganda Fide.*

Ultimus paragraphus est de controversiis dirimendis ita expressus. - § 5. *Est autem haec Congregatio competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in linea disciplinari*, hoc est: extraiudiciali *pertractandas censuerit* iuxta eius prudens iudicium, prout constitutum iam erat in Const. « Sapienti consilio » de omnibus Congregationibus; *cetera* de negotiis eidem Congregationi commissis *ad tribunal competens sunt deferenda*, quando scilicet pertractanda erunt in forma iudiciali.

Ad complementum cognitionis circa hanc Congregationem, memorari iuvat quod legitur in Actis Aplcae Sedis (XI, 463): « Il Santo Padre, desiderando che i giovani sacerdoti, i quali abbiano compiuto il corso di diritto canonico, acquistino pratica nell'ordinario e regolare disbrigo degli affari ecclesiastici e nella particolare applicazione delle leggi canoniche in via amministrativa, il 2 ottobre 1919,... si è benignamente degnato di ordinare il ripristinamento dello Studio (prius dicti *del Concilio* ante Const. « Sapienti consilio ») presso la S. Congregazione del Concilio; il che viene effettuato con il presente atto ». Sequuntur tres conditiones admissionis: nempe: 1) sint particulariter commendati a proprio Ordinario, 2) consequuti sint lauream in iure saltem canonico, ac 3) obtineant prius *nihil obstat* ab Urbis Vicariatu. Hac obtenta ammissione debent frequentare Studium per triennium, iuxta normas peculiares. Post illud triennium recipient, si mereantur, relativum testimonium,

quod deserviet eis ut speciale requisitum ». Ita fuit dispositum sub data 11 Nov. 1919. - Illae autem normae peculiares prodierunt in lucem, sub inscriptione: « Regolamento per lo studio presso la S. Congregazione del Concilio »[1].

CAN. 251. - § 1. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat quae respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum sodalium utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictorum, eorumque qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque tertiorum Ordinum saecularium, incolumi iure Congregationis de Propaganda Fide.

§ 2. Quapropter, quaestionibus ordine iudiciario tractandis ad tribunal competens remissis et incolumi semper iure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari dirimit; sed si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, ipsa, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum iudicaverit, eandem quaestionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere.

§ 3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis, firmo praescripto can. 247, § 5.

CAN. 252. - § 1. Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicandum Evangelium et catholicam doctrinam praeest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna.

§ 2. Curat ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem in locis sibi subiectis pertinent.

§ 3. Eius iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Huic Congregationi sunt etiam subiectae regiones, quae, etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt. Eidem pariter subsunt societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas.

§ 4. Haec autem Congregatio tenetur ad competentes Congregationes deferre negotia quae aut fidem attingunt, aut causas matrimoniales, aut generales normas circa sacrorum rituum disciplinam tradendas vel interpretandas.

§ 5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos, attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

CAN. 253. - § 1. Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura aliaque id genus, de quibus sive servato ordine iudiciario sive in linea disciplinari disceptetur.

§ 2. Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes concedere

[1] 15 Dic. 1919. CO. XII, 50.

opportunas; insignia et honoris privilegia, tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

§ 3. Denique ea omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur.

CAN. 254. - Ad Congregationem Caeremonialem pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum et sacrarum functionum quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque eadem Congregatio cognoscit quaestiones de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

246. **Diversa limitatio competentiae SS. Congregationum.** — Antequam explicetur sequens canon, inserere utile erit quod scriptum in « Normis peculiaribus » (C. I n. 1°) adhuc viget: « Secundum praescripta Const. Sapienti consilio » simul ac Codicis « Officiorum i. e. dicasteriorum S. Sedis competentia partim territorium, partim vero materiam afficit ». « Consistorialis munia sunt circumscripta regionibus iuri communi », seu nunc temporis regulam generalem constituenti, « obnoxiis ».

« Concilii et de Seminariis et Universitatibus Congregationibus, in ipsarum competentiae negotiis, certi locorum assignati sunt limites, quemadmodum Consistoriali.

Propagandae Fidei Congregatio competentiam locis et rebus circumscriptam habet iuxta memoratae Constitutionis praescriptum » et can. 252.

Congregationes praedictae limitationi subiacent quoad territorium.

Tres sequentes aliter limitantur in propria competentia.

« Congregatio religiosorum sodalium praecipuam et propriam habet competentiam in religiosos ubicumque versantur,... salvo iure Congregationis de Propaganda Fide in religiosos qua Missionarios.

Congregationi de disciplina Sacramentorum in iis quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Prop. Fide obnoxia... Circa cetera Sacramenta competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subiectis ». Et Congregatio pro Ecclesia Orientali, modo peculiari respicit sibi subiectos.

« Congregationi S. Officii... Congregationibus Rituum, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Caeremoniali, itemque Tribunalibus tum interni, tum externi fori, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites ».

247. Competentia Congr. de Religiosis. — Iuxta igitur supradicta: *Can. 251. § 1. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita ea sibi exclusive vindicat*, de quibus ergo aliae Congregationes non sunt ullo modo competentes, *quae respiciunt* I° ut obiectum a) *regimen*, superiorum, etc., b) *disciplinam* i. e. regularem observantiam et legum ecclesiasticarum, c) *studia*, quibus vacant religiosi, d) *bona* quaecumque temporalia *et* e) *privilegia*, seu favores forsan contra ius, sed omittit canon « sacram ordinationem » in Normis expressam C. I. n. 1° e), II° circa personas *religiosorum sodalium* a) *utriusque sexus tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictorum*, b) *eorumque qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum*, sive nullum speciale votum perseverantiae ediderint, sive illud vel aliud votum religionis emiserint, sive ad vota disponantur tamquam novitii, postulantes, etc., *itemque* c) *tertiorum Ordinum saecularium* ut talium, nam ad eos pertinentes sunt cleri saecularis vel populi christiani personae. Atque competentia sic descripta est intelligenda « sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis », prout sanxit const. « Sapienti consilio » (I, 5° 1). Limitatio servanda est: *incolumi iure Congregationis de Propaganda Fide* postea innotescendo quoad controversias.

Bene sic delimitata ipsius Congr^s^. de Religionis competentia, determinat ipsam § 2. *Quapropter*, a) *quaestionibus ordine iudiciario tractandis* Congregationis sententia, etsi eidem delatis, *ad tribunal competens* ad normam can. 1579 in prima instantia *remissis*, hoc primum, *et incolumi semper iure* duarum Congreg^m^., videlicet: b) *Congregationis S. Officii* « circa causas ad hanc Congregationem spectantes »[1] *et* c) *Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia* et controversias de his emergentes, *haec Congregatio quaestiones omnes suae competentiae in linea disciplinari* seu extraiudicialiter *dirimit* resolutionibus. Verba « quaestiones suae competentiae » sic enucleantur « in peculiari coetu Emorum. Patrum iuxta canonem 245... designatorum, proposito dubio: 1. Utrum omnes quaestiones, seu instantiae, quae attingunt aliquod ius, aut commodum (seu interesse) alicuius familiae religiosae, aut sodalium religiosorum, spectent privative ad S. C. de Religiosis. - Ad 1. *Affirma-*

[1] Const. Sapienti consilio I, 5° 2. CO. I, 12.

tive: in sensu tamen canonis 251 Codicis Iuris Canonici »[1]. - Etenim quod erat scriptum in Const. « Sapienti consilio », et adhuc vigens ut generalis regula, scilicet: « in omnibus causis », legatur nunc « quaestionibus » sicut supra, « quae in linea disciplinari aguntur, religioso sodali sive convento sive actore », impraesentiarum intelligendum est cum limitatione iuxta canonis concessionem: *sed si quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam* sensu canonis antedicto, *ipsa* Congregatio, *praesertim ad instantiam partis*, sed etiam ex officio, *potest quoque*, semper tamen hac conditione: *si aequum iudicaverit, eandem quaestionem* iuxta formam procedendi sequendam, quam ipsa Congregatio censuerit, a) *ad aliam Congregationem aut* b) *tribunal* « competens » ut supra, non « ad Sacram Romanam Rotam », ut legitur in const. « Sapienti consilio » (I, 5° 2), nisi ad normam can. 1599, § 2, *remittere*. - Sequitur valde notandus § 3. *Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis*, ab omnibus scilicet canonum praescriptis, sed non pro omnibus Congregationi eidem subditis, quia nomine sodalium « religiosorum » etiam in favorabilibus intelligendi sunt ex can. 488, 7°, « qui vota noncuparunt in aliqua religione », atque ad normam can. 567, § 1 « novitii », qui « privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent ». Unica exceptio additur praefatae competentiae per verba: *firmo praescripto can. 247*, § 5, quod, ut vidimus, est de ieiunio eucharistico ad Missae celebrationem dispensando.

Illustrant hunc paragraphum canonis et confirmant interpretationem positam quae « Emi. Patres Cardinales, quibus a SSmo. D. N. Benedicto PP. XV resolutio commissa fuit, respondendum censuerunt[2]: 3. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad dispensationem ad Ordines sacros recipiendos a Religiosis sive ex defectu aetatis sive ab irregularitate, sive quoad alias conditiones quae ad conferendos Ordines requiruntur, sive quod ad studia pertinet quae sacris ordinationibus sunt praemittenda.

4. Cuinam Congregationi competentia tribuenda sit quoad religiosos dispensandos, qui propter morbum vel alia de causa

[1] 24 Mart. 1919, CO. XI, 251.
[2] 24 Martii 1919. CO. XI, 251.

a Missae celebratione physice vel moraliter impediuntur, veluti si pedibus consistere non valeant.

Ad 3. Ad S. C. de Religiosis. - Ad 4. Ad S. C. de Religiosis ».

Denique sub illo paragrapho indubie continetur quod disposuit Pius X s. m. in const. « Sapienti consilio » (I, 1° 4): « relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum sibi vindicat Congr. negotiis sodalium religiosorum praeposita ».

Libenter adiungimus ad huius Congr. constitutionem quod attinet: 1° ex Normis peculiaribus [1]: « Alterius ex adiutoribus proprium officium esto curare quae ad religiosos Ordines pertinent; alterius quae ad congregationes et omne genus instituta virorum; tertii quae ad congregationes et instituta mulierum. - Pro unoquoque horum munerum sui erunt scriptores distributi »; 2° Decreti tenorem « Peculiari curae » [2]: « specialis Consultorum Commissio, Praeside Card. S. Congr. Praefecto, auctoritate Apostolica constituitur, eidemque deferuntur omnia, quae ad novi cuiuslibet Instituti votorum simplicium eiusdemque Constitutionum examen et approbationem attinent, nisi speciali ex causa vel exortis inter Commissionis Consultores gravibus opinionum discrepantiis, Card. Praefectus opportunius iudicaverit ad Emorum. Patrum coetum rem deferre. Ordo ac ratio a Commissione servanda peculiaribus Normis continetur (eadem sub data promulgatis), Commissionis autem membra e Consultorum S. Congregationis ipse Card. Praefectus deliget ». Ex normis tamen peculiaribus (loc. cit.): « Decretum quo laudatur probaturque institutum aliquod, et decretum approbationis constitutionum, itemque substantialis mutatio quaevis in iam probatis institutis inducenda, ad plenam Congregationem semper pertinebunt ». - Addimus quoque circa eiusdem competentiam, sequentis dubii solutionem vigentem, quia canonis verba quoad sensum conveniunt cum praecedenti iure [3]: « Se la Congregazione di Propaganda debba rimettere alla Congregazione de' Religiosi quanto concerne le congregazioni missionarie... le cui costituzioni furono approvate dalla Congr. di Prop... Al V. Anche per le suddette congregazioni religiose... si stia al disposto della Cost. " Sapienti Consilio „».

[1] Cap. VII, art. V, n. 4°-6°. CO. I, 96.
[2] Congr. de Religiosis, 24 Martii 1914. — [3] S. Congr. Consistorialis, 12 Nov. 1908. CO. I, 149.

248. **Competentia S. Congr. de Prop. Fide.** — *Can. 252. § 1. Congregatio de Propaganda Fide*, uti ex nominis ratione patet, a) *missionibus ad praedicandum* gentibus *Evangelium et catholicam doctrinam*, ut illius explanationem, *praeest*, utique ex Romani Pontificis suprema potestate participata secundum Tituli inscriptionem, b) *ministros necessarios* territoriis missionum *constituit et mutat* sive de loco in locum sive substituens per alios, c) *facultatemque habet tractandi*, hoc est: examinandi ac iudicandi, d) *agendi*, hoc est: disponendi tum in genere tum in casibus particularibus, e) *et exsequendi*, nempe dispositiones urgendi, quoad *omnia hac in re*, videlicet in proprium scopum praedictum, *necessaria et opportuna*. Hic amplissima concluditur facultas.

Respectu habito ad can. 250, § 4, atque secundum ibidem expressa, sequitur § 2. *Curat ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem* illi sequuturam *in locis sibi subiectis* statim determinandis *pertinent*. De coetibus seu conferentiis Episcoporum tacet, quia pro his locis non sunt praescriptae, sicut opportune videbimus.

Sicut Congr^s. de Religiosis competentia determinatur ratione personarum, similiter (ratione tamen territorii) competentiae delimitationem, atque iisdem verbis ac Const. « Sapienti consilio » (I, 6° 1) exhibet § 3. *Eius* nempe: Sacrae Congregationis de Prop. Fide *iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia* iuris positivi et ratione iurisdictionis *nondum constituta, status missionis perseverat*. Scilicet: « ad eam pertinere decernitur (loc. cit. 3) Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet », ac etiam ex authentica declaratione [1] « Vicariatus Apostolicos, qui tamquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congr.^is de Prop., vi... Const.^is exemptas... dum ita permanent, (videlicet: tales Vicariatus Aplci.). Expedit tamen ut S. Congr. de Prop., quamprimum fieri possit, memoratos Vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius commune ».

(Const. loc. cit. 1) « Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt, eas Congr^i. de Prop. Fide subiectas esse » statutum est. Scilicet

[1] S. C. Consist. 12 Nov. 1908, Dub. I. CO. I. 148.

prout sequitur (loc. cit. 3): « ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congr[is]. de Prop. Fide hactenus subiectae », exceptis sequentibus, nempe (loc. cit. 2): « in Europa - ecclesiasticis provinciis Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesi Luxemburgensi; in America - provinciis ecclesiasticis dominii Canadensis, Terrae Novae, et Foederatarum civitatum seu Statuum Unitorum »[1].

Cum Constitutionis « Sapienti consilio » textu concordant verba §[i] 3. *Huic Congregationi sunt etiam subiectae regiones, quae, etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt.* Concorditer declarationibus per S. Congr. Consistorialem datis, sive quae sunt citatae, sive quae agunt de quibusdam Collegiis, [2] ut sequitur in can.: *Eidem pariter subsunt societates ecclesiasticorum* v. gr. missionum ad exteros Parisiorum, missionariorum Africae, *ac seminaria* v. gr. illud SS. Petri et Pauli in Urbe, *quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum* a) *regulas*, b) *administrationem* bonorum quidem temporalium, *atque* c) *opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas*. Dictum est « praesertim », unde non restringenda subiectio de expressis tantummodo rebus.

Limitatio praedictae competentiae ponitur negotiorum causa, itemque ratione quarumdam personarum. - Videlicet: (quemadmodum dicitur in C. « Sapienti », I. 6° 4) « ut unitati regiminis consulatur », § 4. *Haec autem Congregatio tenetur ad competentes Congregationes deferre negotia* a) *quae aut fidem attingunt* ad Congr. S. Officii, b) *aut causas matrimoniales*, iuxta Declar. S. Congr. Consist. [3]: illae causae pro diversitate mittendae erunt vel ad S. Congr. S. Officii vel ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum. Denique *aut generales normas circa sacrorum rituum disciplinam* c) *tradendas vel* d) *interpretandas* deferendas ad Congr. SS. Rituum, non vero quoad applicationem earum ad casus, nec quoad dispensationes iuxta De-

[1] Huc referri possunt, velut practicae applicationes, Deca. S. Congr. Cons. « Romana de competentia S. Congr. de Prop. Fide super nonnullas societates Missionum » (10 Dec. 1909, CO. I, 815) et « Romana, circa societatem Missionarium Africae » (15 Martii 1910, CO. II, 230).

[2] 12 Nov. 1908, 29 Iul. 1909, CO. I, pagg. 148, 678.

[3] 12 Nov. 1908 ad II.

clarationem S. Congr. Consistorialis[1]: IV... « utrum hoc praescriptum (« quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam » remittenda ex const. « Sapienti consilio ») extendatur quoque ad facultates Missam, divinum Officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverant sive Congr. Rituum sive etiam Congregatio de Propaganda. - Ad IV... negative ad (hanc partem quaesiti) secundam ».

De limitatione ratione personarum est positus § 5. *Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat*, si Congregationi de Prop. Fide delatum fuit, *aut relinquat*, si Congregationi de Religiosis praesentatum. In genere distinctio illa est obvia, v. gr. primi generis est sacramentorum administratio vel sacri ministerii exercitium, ad secundum vero pertinet observantia regularis et votorum. Potest tamen dubium emergere in particularibus casibus, quamvis canones inveniamus, qui missionarios Vicario Apostolico aut Superiori religioso subiici pro pluribus casibus edicunt, et consequenter uni vel alteri Congregationi.

249. **Congregatio SS. Rituum.** — *Can. 253.* § 1 iisdem verbis est conceptus ac in iure constitutionis « Sapienti Consilio » (I, 8°): *Congregatio Sacrorum Rituum ius habet videndi et statuendi* (unde nunc etiam « Decreta nova » promulgare potest de propria materia, quae obligatoria erunt saltem consulto Romano Pontifice) *ea omnia quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant*, illaque Decreta non videntur comprehendi sub Motu pr. Bened. PP. XV fel. regn. « Cum iuris canonici Codicem », nisi casu quo sacram liturgiam in Codicis canonibus expressam attingat, eo quod leges liturgicae manserunt « plerumque » extra Codicem (can. 2). Dictum est in canone: « Ecclesiae Latinae », quibus verbis competentia restringitur ad ritus et caeremonias sacrae Liturgiae in qua fit usus linguae latinae, exclusis evidenter orientalibus ritibus. Demum quae ad sacras caeremonias remote spectant, cognoscenda erunt cum iudiciali disceptatione a Sacra Rom. Rota, et in via disciplinari ab aliis Coongregationibus, seu quemadmodum sub-

[1] 12 Nov. 1908. CO. I, 149.

ditur in canone: *non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura* v. gr. inter Praelatos qui Conciliis intersunt, *aliaque id genus, de quibus sive servato ordine iudiciario sive in linea disciplinari* « hoc est: ratione disciplinae » *disceptetur*. Huc pertinet quod vigens adhuc legitur in « Normis peculiaribus »[1]: « Item ad Concilii Congregationem spectat iudicium de controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum, seu *praecedentiam*, exceptis iis quae sodales religiosos attinent, (quae controversiae Congregationi religiosorum sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *Cappellam*, Aulam Pontificiam et Patres Cardinales spectant, ad Caeremonialem deferendae ».

Quoad Consultores autem huius Congregationis memorandum *Motu proprio* « Quanta semper » Pii X[2], in quo nonnulla observanda statuuntur; videlicet: « Sacrorum Rituum Congregationis Consultores in duas classes seu sectiones sint divisi, alii ad suffragium ferendum in causis beatificationis et canonizationis, alii pro rebus ad liturgiam et reliquias Sanctorum quoquo modo pertinentibus. Sed nihil prohibet, quominus unus idemque Consultor in utraque sectione numeretur. Erit autem Cardinalis Praefecti eos Summo Pontifici proponere ad munus Consultoris assumendos, qui non solum vitae honestate, sed ea quoque scientia sint instructi, ut idonei ad suffragium in quaestionibus sibi commissis recte ferendum videantur.

Igitur qui in primam sectionem adscribendi erunt, doctrina, integritate spectati atque aetate provecti homines intelligant onus sibi demandari maximi momenti, in quo cauta diligentia ac magna maturitate procedendum est.

Ii vero qui in altera sectione erunt adnumerandi, pollere debent imprimis scientia liturgiae, tum rerum affinium, ut historiae, hagiographiae, cantus ecclesiastici, et aliorum huiusmodi. Cum autem difficile admodum sit plures invenire qui in omnibus his excellant, curandum erit, ut nonnulli saltem sint, qui in aliqua ex doctrinis liturgiae finitimis vere sint excellentes ».

De maiori determinatione competentiae scribitur § 2 (ex Constitut. loc. cit. 2). *Eius proinde est praesertim advigilare, ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur* a) *in sacro cele-*

[1] C. VII, Art. IV, n. 5º.
[2] 16 Ian. 1914 CO VI, 25.

brando, b) *in Sacramentis administrandis*, c) *in divinis officiis persolvendis*, d) *in iis denique omnibus quae Ecclesiae latinae cultum respiciunt*, e) *dispensationes concedere opportunas*, salva declaratione supra relata in favorem S. C. de Religiosis, f) *insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus*, g) *quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et* h) *cavere ne in haec abusus irrepant*.

Nomine rituum veniunt formulae aut verba cultus publici, et caeremoniarum nomine actiones, velut signum crucis, elevationes manuum, incensationes, etc. adhibitae in cultu divino. Attamen sub illis verbis « rituum et caeremoniarum » hic comprehenduntur etiam omnia legum liturgicarum obiecta, v. gr. utensilia sacra quoad materiam et formam, ecclesiarum ministrorumque ornamenta, sacer concentus, etc. atque de his Congr. SS. Rituum competens est ubicumque, ut alias diximus, quinimo, ut videtur, non exclusis religiosis ob rationem unitatis regiminis hac in re servandae. Limitatio sensus explicati quoad verba « rituum et caeremoniarum » eruitur ex considerata Congr^s. de disciplina Sacramentorum competentia magisque coarctatur per sequentis Congr. obiectum.

§ 3. *Denique ea omnia agit* haec SS. Rituum Congr., *quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei*, v. gr. ut in parte secunda Lib. IV per extensum exponitur, *vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur*. Non diversimode ac in Const. « Sapienti consilio » (I, 8°, 3). Revera omnia haec ad liturgicum cultum ordinantur, quapropter ab eadem Congr. nequibant avelli.

250. **Congr. Caeremonialis.** — *Can. 254* eadem const^s. « Sapienti consilio » (I, 9°) praescripta continet; videlicet: *Ad Congregationem caeremonialem pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello* Palatii Apostolici, ubi sacra solemnia fiant, *Aulaque Pontificali*, ubi consistoria et alii actus peragantur forsitan cum Romani Pontificis interventu, *servandarum et sacrarum functionum quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt*, v. gr. in propriis titulis vel in aliis Ecclesiis Urbis, circa quas extant Decreta eiusdem Congr. [1]; *itemque eadem Congregatio cognoscit quaestiones de praecedentia tum Patrum Cardinalium*

[1] 30 et 31 Maii 1912, A. S. S. XXXV, pag. 119, 247, 249.

tum Legatorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt, praesertim cum habituali munere.

Can. 255. - Ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis spectat dioeceses constituere vel dividere et ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere, quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est; insuper Congregatio in ea negotia incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur.

Can. 256. - § 1. Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum vigilat super omnibus quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent, incolumi iure Congregationis de Prop. Fide. Eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum, in quibus versari debent athenaea seu quas vocant Universitates vel Facultates quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi normasque tradit quibus ii conferri debeant, et, ubi agitur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

§ 2. In hac Sacra Congregatione connumerantur inter alios Cardinales Secretarius Congregationis Consistorialis et inter Consultores Assessor eiusdem Congregationis.

Can. 257. - § 1. Congregationi pro Ecclesia Orientali praeest ipse Romanus Pontifex. Huic Congregationi reservantur omnia cuiusque generis negotia quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.

§ 2. Quare pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potitur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen iure Congregationis Sancti Officii ad normam can. 247.

§ 3. Haec Congregatio controversias dirimit via disciplinari; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit.

251. **Congr. pro negotiis eccles. extraordinariis.** — Immutatum mansit praecedens ius de hac Congregatione, ac ita est magis exclusiva eiusdem competentia, etsi generaliter determinata. *Can. 255. Ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis spectat* a) *dioeceses constituere* b) *vel dividere*, quod utrumque « unius supremae ecclesiasticae potestatis est » (can. 215, § 1), c) *et ad vacantes dioceses idoneos viros promovere* iuxta explicationem can. 248 § 2, sed partialiter (quoad promovendos tantum) expressa tunc limitatio competentiae Congregationis Consistorialis designata nunc est sequenti clausula: *quoties hisce de rebus* sub litteris a) b) et c) *cum civilibus Guberniis agendum est*, non alias; *insuper Congregatio* generaliter d) *in ea negotia incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status*, qui eius

« moderator est » Congregationis (can. 263), et sic res conformat nomini, nam si « negotia extraordinaria » sunt, dicendum est in dies contingere; innuitur autem peculiare motivum originis huius dicasterii per clausulam: *praesertim* e) *ex illis* negotiis *quae cum legibus civilibus* diversarum nationum *coniunctum aliquid habent*, f) *et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur*. His enim in negotiis cum aliarum exclusione competens recognoscenda haec Congregatio, cui proinde adsciscuntur S. R. E. Cardinales ac officiales et consultores qui speciali hoc iuris civilis ramo atque publici ecclesiastici sunt periti.

252. **Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus.** — Loco eorum quae de Congreg. Studiorum habentur in const. « Sapienti consilio » Pii X et in adiectis « Normis », nunc servandum *Motu proprio* « Seminaria » Bened. PP. XV [1]: videlicet: « I. De Seminariis propria iam esto S. Congregatio, ad formam ceterarum Rom. Curiae, ad eamque omnia pertineant quae usque adhuc de Seminariorum rebus apud Congr. Consistorialem agebantur, ita ut eius posthac sit clericorum tum mentes tum animos fingere. - II. Huius S. Congr. muneribus munera accedant Congr. Studiorum; itaque haec eadem Congr. *de Seminariis et de Studiorum Universitatibus* appelletur ». - Hinc ait *can. 256*. § 1. *Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum vigilat* effective *super omnibus*, ut scriptum erat in const. « Sapienti consilio » de Congr. Consist. (I, 2°, 3), a) *quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent*, de quibus canones positi sunt in Lib. III, Tit. XXI, in hac re *incolumi iure Congregationis de Propaganda Fide*, id est: competentiae exclusivae in regionibus eidem subiectis.

253. **Alia pars competentiae.** — Iuxta Const. « Sapienti Consilio » § 1°, n. 11° de Congregatione studiorum sequitur in canone: Congregationi b) *eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum, in quibus versari debent athenaea seu quas vocant Universitates vel Facultates*, etsi ad Universitatis categoriam non pertingant, non omnes tamen, sed *quae ab Ecclesiae auctoritate dependent*, sive quia eius propriae utpote a communitate ecclesiastica vel a fidelibus erectae, sive quia

[1] 4 Nov. 1915, CO. VII, 493.

in Universitatibus civilibus facultates philosophiae, theologiae vel iuris canonici ex Aplca. auctoritate obtinuerunt potestatem gradus academicos sub eius dependentia conferendi, c) *comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur*. Admodum opportune adiunctum, ad omne dubium in hoc puncto resecandum de alterius Congregationis de religiosis competentia. Huiusmodi d) *novas institutiones perpendit approbatque; e) facultatem concedit academicos gradus conferendi normasque tradit* (Statuta vocantur) *quibus ii conferri debeant*, *et*, f) *ubi agitur de viro singulari doctrina commendato*, igitur extraordinarie, quem proinde nec examinari decet, *potest eos ipsa conferre*, quibus ille dignus censeatur.

254. **Constitutio.** — Abrogato ex omissione Codicis num. V M. pr. « Seminaria », eiusque n. VI reservato, quatenus concordet cum cann. contentis in Tit°. de Seminariis cit°., restat n^us^. IV partialiter recensitus in § 1° de constitutione S. Congr. Consistorialis, et quem in altera eius parte refert hic § 2. *In hac Sacra Congregatione connumerantur inter alios Cardinales Secretarius Congregationis Consistorialis et inter Consultores Assessor eiusdem Congregationis*. Et sic notum feci documentum integrum Benedicti XV hanc Congregationem sic laudabiliter transformantis eo modo quo prius excogitatum fuerat, sed in tempus opportunius dilatum.

255. **Sacra Congr. pro Ecclesia Orientali.** — Aliud eiusdem Pontificis recens invenimus documentum, quo nova sequens Congregatio separata initium habuit die 1 Decembris anni 1917, nam prius ea extitit coniuncta S. Congregationi de Prop. Fide per Const. « Romani Pontifices »[1] Pii IX^i^, qua eam sic instituit, et quam non attigit Const. « Sapienti Consilio » Pii X.

En praefatum documentum « Dei providentis » Motu proprio datum 1 mensis Maii 1917, cui insertus fuit proprio textu integer *can. 257.* § 1. *Congregationi pro Ecclesia Orientali praeest ipse Romanus Pontifex*. In Motu proprio praemittitur temporanea dispositio; videlicet: « I. Sacra Congregatio de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis die XXX mensis novembris huius anni esse desinat. II. Seorsum a S. Congregatione de Propaganda Fide, S. Congregatio pro Ecclesia Orientali sit a die

[1] 6 Ian. 1862.

1 mensis insequentis: cui quidem praeerit ipse Summus Pontifex ». Absque dubio ut paternae sollicitudinis testimonium luculentius fiat. Prosequitur: « Ea complectetur aliquot S. R. E. Cardinales, ex quibus unus Secretarius erit: adiunctos habebit e spectatissimis de Clero viris, unum Assessorem et plures tum ex latino tum ex orientali ritu Consultores; praeterea idoneum Officialium numerum ex clericis qui rerum orientalium peritiores sint ». Quae vigere pergunt, sicut intima compositio singularum Congregationum non tacta in Codice. Tres sequentes numeri sunt ipsimet §§ tres canonis 257.

256. **Competentia.** — Ita redactus est primus eorum:... *Huic Congregationi reservantur omnia cuiusque generis negotia* (competentia valde ampla) *quae* a) *sive ad personas* b) *sive ad disciplinam*, ius nempe ipsarum proprium quam longe extendatur, c) *sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur*, qui ultra limites competentiae S. Congr[s]. Rituum positi erant; immo valde animadvertenda monitio: d) *etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei*, h. e. materiae negotiorum, *sive personarum ratione latinos quoque attingant*. Valde prudenter, cum specialitas Ecclesiarum orientalium specialem eruditionem experientiamque in pertractantibus eas merito exigat.

257. **Facultates.** — Consequenter dictis redigitur cum limite § 2. *Quare pro Ecclesiis ritus orientalis*, ubicunque sint earum membra, *haec Congregatio* « circa omnia cuiusque generis negotia »... ut supra in §°. 1°. *omnibus facultatibus* iurisdictionis vel administrationis *potitur, quas aliae Congregationes* qua tales, non ut Tribunalia, prout est v. gr. S. Congr. Rituum « ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei quod attinet » (can. 253. § 3) ad normam Partis secundae Lib. IV. nec « quas » S. Poenitentiae tribunal circa indulgentias obtinet, quia Congregatio non est, *pro Ecclesiis ritus latini*, quas « ipse Codex unice respicit » (can. 1), *incolumi tamen* antea obtento in Orientales ac per Codicem non ablato *iure Congregationis S. Officii*, et « secundum propriam verborum significationem » quatenus Congregatio est, attamen « in textu et contextu consideratam » (canon 18) etiam ut Tribunal est, eo quod additur *ad normam can. 247* sine paragraphi adiunctione, ut alias Codex assolet, ergo « ad normam » integram, non excluso illius can[s]. §° 2°, quod ius can[s]. cit[i]. bene cognoscimus in omnibus suis particulis.

- Natura huius Congregationis non excluditur ab earum definitione sub can. 242 proposita. Porro ait § 3. *Haec Congregatio controversias* verbum innuens « obiectum iudicii... quod est *contentiosum* » (can. 1552. § 2, 1°) a) *dirimit via disciplinari*, sicut ceterae Congregationes pro singularum competentiae negotiis: *quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit* ipsa, non aliud dicasterium Romanae Curiae, b) *ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio*, quae proinde supponitur tribunal non esse, *designaverit*, sive illud constitutum sit, sive ab eadem Congregatione pro casu delegetur, sic enim ex contextu canonis naturaque huiusmet Congregationis bene infertur. Pariter dicendum videtur, si iudicium criminale contra orientalem aliquem sive subditum, sive Praelatum, apud Curiam Romanam fuerit ipsius Congregationis iudicio instaurandum, exceptis delictis circa quae S. Congregatio S. Officii est competens in orientales quoque, sicut supra interpretatum est. « Ex ipsa rei natura etiam Orientalem Ecclesiam afficit » (can. 1) praescriptum can^s. 1999 « de causis Servorum Dei et canonizationis Beatorum ».

ART. II. - *De Tribunalibus Curiae Romanae.*

CAN. 258. - § 1. Sacrae Poenitentiariae praeficitur Cardinalis Poenitentiarius Maior. Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt; quare hoc tribunal pro solo foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae easque dirimit.

§ 2. Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt.

CAN. 259. - Causae ordinem iudiciarium requirentes aguntur apud Sacram Romanam Rotam et apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae intra fines et secundum normas traditas in can. 1598-1605, salvo iure Congregationis S. Officii et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias.

258. **Inscriptio Articuli.** — Consequenter considerandus est *Art. II. - De Tribunalibus Curiae Romanae*, quorum natura iam nobis est cognita ex dictis ad can. 242, et sunt: Sacra Poenitentiaria, Sacra Romana Rota et Signatura Apostolica.

259. **Sacrae Penitentiariae constitutio et competentia.** — *Can. 258.* § 1. *Sacrae Poenitentiariae praeficitur Cardinalis Poenitentiarius Maior.* De illa est ordinatum in « Normis peculiaribus »: (Cap. VIII. Art. I. 1°). In Sacra Poenitentiaria « suis mu-

niis addicti manebunt praeter Card. Poenitentiarium, Regens, Praelati quinque Signaturae, Procurator, seu a secretis, Substitutus et aliquot inferiores officiales ». - S. Poenitentiaria, quae primum inter tribunalia recensetur, non est Congr., quia unus tantum Cardinalis, Poenitentiarius nempe Maior officium habet in ea; ab aliis vero Tribunalibus Romanae Curiae differt, tum eadem de causa quia unicum habet Cardinalem, tum quia non utitur disceptatione stricte iudiciali, et insuper gratias, dispensationes et rescripta concedit ad modum SS. Congregationum. Caeterum, ex Const. « In Apleae. [1]» Bened^t^. XIV cognosci potest optime constitutio, qualitates tum Maioris Poenitentiarii, tum aliorum officialium, omnium eorum munia, etc. Inde scimus: Praelatos quinque Signaturae supradictos esse: « (1°) Datarium, (2°) Theologum (ex Presbyteris Societatis Iesu) et (3°) Decretorum Doctorem (qui) eligentur viri eximia doctrina praestantes, casuumque conscientiae periti; (4°) Correctorem, (qui) sit in Decretis, stylo, ceterisque Poenitentiariae rebus diligenter versatus et instructus: (et 5°) Sigillatorem probatae fidei, et uti id munus postulat, omnium Officii expeditionum peritum... Ad haec omnes praedicti officii Poenitentiariae Ministri, etiam Procuratores et Scriptores, sint Presbyteri, vel certe in aliquo ex ss. ordinibus constituti » (Ib. § 10).

Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum, quod in can. 196 explicavimus, *etiam non sacramentale, respiciunt;* hinc evolvendo infertur: *quare hoc tribunal pro solo fòro interno* a) *gratias largitur*, v. gr. facultates absolvendi a reservatis, b) *absolutiones*, v. gr. censurarum vel peccatorum, quarum vel quorum adsit apostolica reservatio, c) *dispensationes*, v. gr. ab irregularitate ex occulto delicto, d) *commutationes*, v. gr. votorum reservatorum, ultimarum voluntatum quae occultae sint, e) *sanationes*, v. gr. collationis beneficii, quae fuerit nulla occulte ob simoniam, f) *condonationes* ex gr. perceptorum fructuum ex beneficio, g) *excutit praeterea quaestiones conscientiae easque dirimit;* id est: casus conscientiae intricatos fidelibus evenientes, qui proponendi eidem Tribunali sunt, reticito poenitentis nomine, per aliud fictum, dum tamen veritas omnesque casus circumstantiae patefiant. Ab eodem Sacro Tribunali responsiones gratis clausaeque sigillo

[1] 13 Apr. 1744.

eius dantur; hinc non omittantur indicationes necessariae illius sacerdotis vel confessarii cui mittendae sint.

260. **Quoad indulgentias.** — Nunc ex M. propr. « Alloquentes » Bened. PP. XV n. « V. Sectio de indulgentiis quae erat apud S. Officium cum suis officialibus, ad Poenitentiariam Apostolicam translata est: quam ipsam Sectionem Card. Poenit. Maior. Rom. Pont. consulto, ordinandam curabit », ait Pontifex. Hinc § 2. *Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum*, etiam interpretando de hac re Decreta suppressae S. Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum, *et concessionem indulgentiarum* ac consequenter facultatum indulgentias applicandi obiectis pietatis, indeque altaris privilegiati, *salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam* a) *circa easdem indulgentias vel* b) *circa novas orationes et devotiones respiciunt.* Hucusque de tribunali quod est Ecclesiae peculiare prae societatibus omnibus.

261. **Tribunalia fori externi.** — De Tribunalibus autem, quae Ecclesia uti societas perfecta in proprias personas et suas res possidet, statuit *can. 259. Causae ordinem iudiciarium requirentes aguntur* a) *apud Sacram Romanam Rotam* b) *et apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae intra fines competentiae alterius utrius et secundum normas traditas in can. 1598-1605*, ubi de his tribunalibus in specie, *salvo iure* a) *Congregationis S. Officii* b) *et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias;* videlicet: illius in criminales et matrimoniales causas in can. 247 recensitas, et istius in causas Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, de quarum procedendi modo specialis est pars Libri quarti.

ART. III. - *De Officiis Romanae Curiae.*

CAN. 260. - § 1. Cancellariae Apostolicae, cui praeest Cardinalis Cancellarius Sanctae Romanae Ecclesiae, hoc est proprium munus, apostolicas expedire litteras seu bullas pro beneficiorum et officiorum consistorialium provisione, novarum provinciarum et dioecesium ac capitulorum institutione et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

§ 2. Quae litterae seu bullae ne expediantur nisi de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius competentiam spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis in singulis casibus ipsius mandati terminis.

CAN. 261. - Datariae Apostolicae, quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae, commissum est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia

non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis, quoties eius collatio ad Ordinarium non pertinet; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

CAN. 262. - Camerae Apostolicae, cui praesidet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius, cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur; et tunc adamussim serventur normae statutae in const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904.

CAN. 263. - Officium Secretariae Status, cuius moderator est Cardinalis Secretarius Status, constat triplici parte hoc ordine:

1º Prima pars, cui praesidet Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, versatur in negotiis quae eidem Congregationi examinanda subiici debent ad normam can. 255, ceteris pro diversa eorum natura ad peculiares Congregationes remissis:

2º Altera pars, cui praeest Substitutus, incumbit in ordinaria negotia;

3º Tertiam partem dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, qui vacat expeditioni Brevium.

CAN. 264. - Ad Secretarias Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum spectat munus latine scribendi acta Summi Pontificis, ab eodem illis commissa.

Consequenter considerandus est *Art. III. - De Officiis Romanae Curiae*, quae iam nobis sunt nota quoad genericam eorum naturam, et sunt sex quae sequuntur.

262. **Cancellaria Apostolica.** — *Can. 260. § 1. Cancellariae Apostolicae, cui praeest Cardinalis Cancellarius*, in hoc mutato nomine Vice-Cancellarii per const. « Sapienti consilio », *hoc est proprium munus, apostolicas expedire litteras seu bullas* a) *pro beneficiorum* ad normam can. 1409 *et officiorum* « stricto sensu » (can. 145, § 1) *consistorialium provisione*, illa scilicet, quae fit per S. Congr^{s}. Consitorialis Decreta vel in Consistorio. b) *novarum provinciarum et dioecesium ac capitulorum* sive cathedralium sive collegiatorum *institutione* de quibus loquuntur canones 391, 392, c) *et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis*. Statutum est enim in Normis peculiaribus[1]: « Nominationes omnes quae solent in Consistorio promulgari, non aliter fient, nisi per litteras signo Romani Pontificis impressas, seu per Bullam. - Eadem ratione decreta mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu capituli, aut uniendarum dioecesium ». Art. II. citatus inscribitur « Congregatio Consistorialis ».

Bullae sunt litterae apostolicae apertae sive patentes, quae scribuntur in forma solemni cum multis clausulis ac de rebus

[1] Cap. VII. Art. II. n. 10º.

gravioribus et ordinarie lingua latina, in magna et crassa membrana, « initium anni ducendo a Kalendis Ianuarii » ex Bulla « Sapienti consilio » Pii X, et nunc ex Motu proprio Leonis XIII sub die 29 Decembris 1878 usus characteris teutonici prius adhibiti in Bullis sublatus est omnino, atque appensio plumbei numismatis cum chordulis, a quo illae litterae peculiare nomen « sub plumbo » acceperunt, restricta est ad huiusmodi Litteras Apostolicas de collatione, erectione et dismembratione beneficiorum maiorum, necnon ad alios solemnes actus S. Sedis. In reliquis vero Bullis substituta est praedicto numismati sigilli impressio rubri coloris referentis imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli, circumducta inscriptione S. Pontificis regnantis. Bullae inscribitur nomen Romani Pontificis sine ordinis numero v. gr. « Benedictus » cui additur « Episcopus Servus servorum Dei ».

De his litteris apostolicis cavet § 2. *Quae litterae seu bullae ne expediantur nisi* a) *de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius competentiam spectantia* explicatam ad can. 248, §§ 2, 3, *aut* b) *de mandato Summi Pontificis circa alia negotia*, et insuper *servatis in singulis casibus*, sive sub a) sive sub littera b), *ipsius* alterutrius *mandati terminis*. Huic normae in const. « Sapienti consilio » subiungitur: (III, 1°, 5) « Suppresso Collegio Praelatorum, qui dicuntur Abbreviatores de parco maiori vel minori, munia ipsorum in subscribendis Apostolicis Bullis huiusmodi translata sunt ad Collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur Participantes de numero », qui sunt septem, atque solummodo Bullae magis solemnes, quae dicuntur consistoriales, subscribuntur ab ipso Romano Pontifice et a Cardinalibus. - Sed pro subscriptione Constitutionum Apostolicarum prodiit nova regula Cancellariae Apostolicae servanda iuxta can. 243 § 1 [1], et decernens: « ut Constitutiones huiusmodi in posterum una subscribant Card. S. R. E. Cancellarius, et Cardinalis qui officio praeest ad cuius competentiam res pertinet in eadem Constitutione pertractata ».

263. **Dataria Apostolica.** — Bullae quoad formam conficiuntur quoque et expediuntur a Dataria de materia beneficiali non consistoriali, et « tunc subscribuntur a Cardinali Datario,

[1] « De Nobis » 15 Apr. 1910, CO. II, 287.

(ex Normis[1] de Curia Romana) eoque impedito, a Card. a Secretis Status, contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit, et in officio adsit ».

Can. 261. Datariae Apostolicae, quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae, qui Pro-Datarius ante const. « Sapienti consilio » vocabatur, *commissum est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia non consistorialia*, seu quorum provisio non promulgatur in Consistorio, *Apostolicae Sedi reservata*, et in Titulo « De beneficiis ecclesiasticis » XXV Libri III explicanda et recensenda, et hoc primum; secundo: *conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione*, ut diximus antea, et in can. praec. illas descripsimus; *eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis* quocumque ex motivo, *quoties eius collatio ad Ordinarium non pertinet*, sive quia reservata S. Sedi, quamvis beneficium non sit consistoriale ut supra, sive alia de causa: et hoc iam tertium est caput competentiae excedens naturam officii Curiae Romanae definiti; denique 4° *curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis* i. e. non consistorialibus sed Apostolicae Sedi reservatis *conferendis beneficiis imposuerit*. Unde sequitur officii huius munus ad quaedam beneficia coarctari.

264. **Camera Apostolica.** — Tertium officium peculiaris naturae dicitur Camera Apostolica, de quo subdit *can. 262. Camerae Apostolicae, cui praesidet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius* probe discernendus a Sacri Collegii Cardinalium Card. Camerario, qui singulis annis mutatur et curam habet bonorum ipsius Sacri Collegii: illius officii *cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis* semper, quia subditur: *quo tempore praesertim haec vacua habeatur*; pro quo norma sequens datur: *et tunc adamussim serventur normae statutae in const. Pii X Vacante Sede Apostolica 25 Dec. 1904*. Scilicet, prout in ea dicitur: (n. 14) « Cardinali Camerario, vacante Sede Apostolica, incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adsistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in Ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper » quando occurrant « pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii. Hinc Card. Camerarius statim ac

[1] Cap. IX, Art. II, 4°.

a Sacri Palatii Apostolici Praefecto nuncium de Pontificis obitu acceperit, ad Apostolicum Palatium perget, ut ipsius possessionem capiat ac eius regimen exerceat. Eiusdem Camerarii erit Pontificis mortem iure recognoscere atque authenticum mortis actum conficere; statuere, auditis Cardinalibus Capitibus Ordinum, modum ad conservationem corporis defuncti Pontificis pro temporum conditionibus magis convenientem et aptum (nisi forte Pontifex ipse vivens suam de hac re voluntatem manifestaverit); privatis eiusdem Pontificis aedibus sigilla apponere; ipsius obitum cum Cardinali in Urbe Vicario communicare, qui de re Populum Romanum singulari Edicto edocebit; eaque omnia, nomine et consensu S. Collegii, curare, quae ad iura Apostolicae Sedis tuenda et ad ipsius administrationem recte gerendam rerum temporumque adiuncta suadebunt ». Aliae normae pro ipsius Card. Camerarii munere exercendo in peculiaribus Urbis circumstantiis, eadem Aplca. Sede vacante, docentur in « Regolamento » addito Const[1]. « Praedecessoris Nostri ».

265. **Secretaria Status.** — Officii, quod ex ordine sequitur, compositionem nobis exhibet *can. 263. Officium Secretariae Status, cuius moderator est Cardinalis Secretarius Status* « hoc est: a publicis Negotiis » (Const. « Sapienti consilio » III, 4°) *constat triplici parte hoc ordine:*

1° Prima pars, cui praesidet Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, ac dicitur « praesidet », tum quia pars est Secretariae Status, tum quia (C. Vacante Sede Apostolica n. 18) « per obitum Pontificis cessat munus Card. Secretarii Status, eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus S. Collegii Secretarius »; ideoque cum permaneat Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, sine praeside relinquenda non erat. Illa ergo *versatur in negotiis quae eidem Congregationi examinanda* solum, quia ex Romani Pontificis audientia decernuntur, *subiici debent ad normam can. 255* iam explicati, *ceteris pro diversa eorum natura ad peculiares Congregationes remissis*, quando, sicut saepius accidit, ad Card. Secretarium Status mittuntur vel ad Summum Pontificem.

In canone sequitur: *2° Altera pars, cui praeest Substitutus, incumbit in ordinaria negotia*, « ad eamque inter cetera, pertinet honoris insignia quaeque concedere, tum ecclesiastica tum civilia, iisdem demptis quae Antistiti pontificali domui

praeposito sunt reservata » (loc. prox. cit.). - 3° *Tertiam partem dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, qui vacat expeditioni Brevium*, « quae a variis Congregationibus ei committuntur » iuxta ordinationem Curiae Romanae (loc. prox. cit.).

Addere oportet duas esse documentorum S. Sedis formas praecipuas, nempe Bullae de qua egimus ad can. 260 et formam Brevis. - Brevia sunt illae S. Sedis litterae, quae ex speciali vel generali S. Pontificis mandato in oblonga et tenui membrana seu pergamena exarantur, ordinariis characteribus et lingua plerumque latina. Praemittitur Pontificis nomen cum numero v. gr. Benedictus PP. XV: stylus est simplex, sobriae clausulae, scribitur data secundum receptum calendarii usum. deest Rom. Pont. subscriptio, sed eius loco per Card. Secretarium Brevium haec antea subscribebantur, quod nunc fit per Card. a secretis Status, quando Brevia per huiusmodi Secretarium in Brevium Cancellaria expediuntur sub annulo piscatoris, id est: rubri coloris sigillo Petri piscantis imaginem referente, ac illius cui singula mittuntur directionem ferre solent a tergo adscriptam. Notare iuvat ex « Normis peculiaribus » circa Congr. de Sacramentis [1]: « Documento forma Brevis, redacto tamen in huius Congregationis Officio secreto, mittentur dispensationes ab impedimentis matrimonii cuiusvis gradus, modo honestae naturae, si dispensationes ipsae sint maioribus obnoxiae taxationibus ».

266. **Secretariae duae.** — Agit de duobus ultimis officiis *can. 264. Ad Secretarias Brevium ad Principes*, quae sunt specialia, *et Epistolarum latinarum,* quae sub hac inscriptione « Epistolae » in Commentario Officiali inveniuntur a Rom. Pontifice subscriptae; ad illas secretarias *spectat munus latine scribendi acta Summi Pontificis, ab eodem illis commissa.*

CAPUT V.

De Legatis Summi Pontificis.

CAN. 265. - Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos cum vel sine ecclesiastica iurisdictione mittendi.

CAN. 266. - Dicitur *Legatus a latere* Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam *alter ego* cum hoc titulo mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice demandatum est.

CAN. 267. - § 1. Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii:

[1] Cap. VII, Art. III, n. 13.

1º Fovent, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur;

2º In territorio sibi assignato advigilare debent in Ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere;

3º Praeter has duas ordinarias potestates, alias plerumque facultates obtinent quae tamen sunt omnes delegatae.

§ 2. Qui vero mittuntur cum titulo *Delegati Apostolici* unam habent ordinariam potestatem de qua in § 1, n. 2, praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas.

CAN. 268. - § 1. Legatorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliter in litteris pontificiis fuerit statutum.

§ 2. Cessat autem, expleto mandato, revocatione eisdem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata

CAN. 269. - § 1. Legati Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquant.

§ 2. Licet forte charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti.

§ 3. Si charactere episcopali sint aucti, possunt sine Ordinariorum licentia in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere.

CAN. 270. - Episcopis qui, ratione sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius.

267. **Capitis inscriptio.** — Post S. R. E. Cardinales undequaque consideratos descendenti ordine perscrutandum est inscriptum *Cap. V. De Legatis Summi Pontificis*, idest: ab eo missis.

268. **Romani Pontificis ius.** — Enuntiatur divini iuris principium, veluti totius capitis fundamentum. En *can. 265. Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens* consequenter ad eius divinam originem, *in quamlibet mundi partem*, sed multo magis si catholica sit. *Legatos cum vel sine ecclesiastica iurisdictione mittendi.*

Hoc ius cum reprobatione contrariae consuetudinis non recipiendi eos Ioannes XXII asseruit ac vindicavit, prout constat in cap. unico « de Consuetudine » Extravagantium communium: « Super gentes et regna Romanus Pontifex a Domino constitutus, cum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere », quae sunt rationes iuridica et altera ex rebus petita, « necesse habent interdum ex debito impositae servitutis », nam ius in creaturis habet semper ut fundamentum aliquam legem, « suos ad diversas mundi partes (prout necessitates emerserint) destinare legatos », quorum audiatur officium: « qui vices ipsius supplendo errata corrigant, aspera in plana convertant,

et commissis sibi populis salutis incrementa ministrent ». Origo iuris huius et vindicatio sequuntur, nam iuri correlativa est in aliis obligatio saltem non contradicendi. « Verumtamen aliqui huiusmodi officium et potestatem ipsius Rom. Pontificis, quam non ab homine, sed a Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, legatos ipsos nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, sibi terras subiectas (dicentes hoc eis de consuetudine competere) ingredi non permittunt. Nos huiusmodi consuetudinem non tam irrationabilem, quam nonnunquam animarum saluti contrariam, detrahentemque Apostolicae potestati, auctoritate Apostolica penitus reprobantes, (et haec reprobatio manet post Codicem, etiamsi canon eam non exprimat, vi can. 27 § 1 initio), legatos ipsos ab omnibus, cuiuscumque praeeminentiae, conditionis aut status fuerint, debere admitti decrevimus, nec eos praetextu cuiusvis consuetudinis impediri posse a quoquam Christiano nomine gloriante, quominus regna, provincias, et terras quaslibet, ad quae ipsos destinari contigerit, ingrediantur libere, ac commissae sibi legationis officium exerceant in eisdem ». Supponit Pontifex Supremos Legatos mitti cum iurisdictione atque ad terras fidelium gubernantium, sed rationes valent, quamvis Legati mittantur ad vices Pont. Romani supplendas sine iurisdictione ac in quascumque gentes et regna; et sicut cogunt pro Legatis stabilibus (de quibus in specie idem asserit Pius VI in Allocutione Leonis XIII in fontibus Codicis citata), comprehendunt quoque, sicut partem in toto, Legatos pro aliquo vel aliquibus actibus.

269. **Ordo canonum.** — Praeter hanc divisionem, cuius secundae speciei exempla dantur inter Legatos a latere, prima classis Legatorum stabilium diversos continet ita in Codice distinctos: Legatos a latere, Legatos cum titulo Nuntii aut Internuntii cum aequali potestate ordinaria, et Delegatos Apostolicos. Istos omnes considerant peculiariter duo canones, de fine seu termino legationis statuit can. 268, et munere ipsorum quoad iura determinato in can. 269, ultimus canon respicit Legatos titulo tantum.

270. **Legati a latere notio.** — *Can. 266. Dicitur Legatus a latere Cardinalis qui a Summo Pontifice tamquam alter ego* quoad repraesentationem, *cum hoc titulo* quoad appellationem, *mittitur, et tantum potest, quantum ei a Summo Pontifice de-*

mandatum est. Atque sic facilius designata est Legati a latere potestas, multipliciter limitata in praec. iure, v. gr. cc. 3 et 4 de officio Legati (I, 30), nec opus erat aliter fieri, cum perquam raro sic mittantur et quidem ad casum. Et haec Legatio est Cardinalium praeeminentia, unde origo nominis quia de latere Romani Pontificis iure proficiscuntur. Sic ait Eugenius IV C. « Non mediocri » a. 1439, § 7 : « Sunt etiam, et in signum praeeminentiae ipsis fratribus nostris prae aliis Ecclesiae Praelatis, et similiter cum legati de nostro latere destinantur, prae aliis legatis, multa ac magna per canones attributa privilegia », sicut vidimus de praecedentiae iure in can. 239, § 1, 21°. - « Hinc etiam constat cur a latere apostolico mitti, iis solis et non aliis appropriatur legatis ».

271. **Nuntii ac Internuntii et Delegati Apostolici.** — In « Actis Apost. Sedis »[1] legitur Decretum Secretariae Status diei 8 Maii 1916, in quo « Benedictus PP. XV secum animo reputans, quantopere deceat rectius aptiusque ordinari nomina, quibus ad hunc diem, pro sua ipsorum dignitate, appellari consueverunt quotquot Rom. Pont. personam in exteris regionibus gererent, itemque aliqua honoris accessione eos ornari, qui, etsi titulum gradumque Nuntiorum Apostolicorum non obtinent, legatione tamen stabili apud exteros rerum publicarum gubernatores funguntur,... decernere dignatus est, ut hi omnes in posterum Internuntii Apostolici nuncupentur, et Delegati Apostolici ii dumtaxat dicantur qui, licet personam Pontificis sustineant, charactere tamen diplomatico, quem vocant, omnino carent ». Hac refert ac de his tractat canon sequens.

272. **Eorum potestates.** — *Can. 267. § 1. Legati qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii: 1° Foveant, secundum normas a Santa Sede receptas*, quibus conformari debent in suis actibus, velut Rom. Pont^{m}. repraesentantes, *relationes inter Sedem Apostolicam et civilia gubernia apud quae legatione stabili funguntur*. Et hoc eorum est muneris distinctivum ac nomini relativum.

2° In territorio sibi assignato advigilare a) *debent in Ecclesiarum statum* b) *et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere*, ut sic fiedeliter ac plene sit de his informatus. Et haec

[1] CO. VIII, 213.

duo, quae sine iurisdictione constare possunt, eorum potestatem ordinariam faciunt. - Sed insuper 3° *Praeter has duas ordinarias potestates*, iure illis communes, *alias plerumque facultates*, inter quas etiam datur iurisdictio quaedam, *obtinent quae tamen sunt omnes delegatae*, etsi ab Apostolica Sede seu a Supremo Pastore. - Ex dictis liquet § 2. *Qui vero mittuntur cum titulo Delegati Apostolici unam habent* singularem, etsi huius duos actus mutuo ordinatos distinximus, *ordinariam potestatem de qua in § 1, n. 2, praeter alias facultates delegatas ipsis a Sancta Sede commissas*, ut in praec. n. 3°.

273. **Muneris Legatorum multiplex cessatio.** — De modis, quibus Legati cessant a munere suo, agit negative ac positive *can. 268. § 1. Legatorum munus*, et quidem quoad potestates ordinarias simul *cum omnibus facultatibus eisdem commissis non expirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris pontificiis* quibus constituuntur *fuerit statutum.* Hanc regulam expressit Clemens IV in cap. 2 de officio legati in 6° (I. 15) « Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant et dissipent, aedificent atque plantent: provinciarum sibi commissarum, ad instar proconsulum, caeterorumque praesidum, quibus certae sunt decretae provinciae moderandae, ordinarios reputantes: Praesenti declaramus edicto, commissum tibi a praedecessore nostro legationis officium, nequaquam per ipsius obitum expirasse ». Idemque asseritur in Const. « Vacante Sede Aplca. » n. 20.

§ 2. *Cessat autem* tripliciter: I° ex rei natura *expleto mandato*, quod unice per legationem habuit, II° voluntate concedentis iuxta Reg. iuris 1. in 6° « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », sicque *revocatione eisdem intimata* directe quidem, etsi mediate, ac III° voluntate habentis legationem simul cum dependentia debita, hoc est: *renuntiatione a Romano Pontifice acceptata.*

274. **Iura Legatorum,** praeter ea quae sunt derivata ex officio, refert, praevia monitione utili, *can. 269. § 1. Legati* etiam a latere *Ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquant.* Conforme praescriptum iuri praeexistenti generaliter in Conc. Trid. sess. XXIV de Ref. c. 20: « Legati quoque, etiam de latere, nuntii, gubernatores ecclesiastici, aut alii, quarumcumque facultatum vigore, non solum episcopos in prae-

dictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem eis praeripere, aut turbare non praesumant ». - Quoad iura positiva sub distinctione sequitur praescriptum § 2. *Licet forte charactere episcopali careant*, non consecrati, *praecedunt tamen omnibus Ordinariis*, legationis causa, *qui non sint cardinalitia dignitate insigniti*, utpote, qui iure assistunt stabiliter Romano Pontifici, atque concorditer ad can. 239, § 1, 21°.

§ 3. *Si charactere episcopali sint aucti*, utpote iure divino inamissibiliter collato et supremo in hierarchia ordinis, *possunt sine Ordinariorum licentia*, et in hac libertate situm est privilegium, non quidem actus episcopalis ordinis perficere, *sed in omnibus ecclesiis* absque distinctione, sed cum unica exclusione: *excepta cathedrali*, a) *populo benedicere, et* b) *officia divina* v. gr. vesperas, missam solemnem *etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere*. De limitatione atque concessione notabilis est solutio vigens S. C. Rit. in Taurinen. Ad 3. « Non licebit Nuntio in Cathedrali, sive in aliis Ecclesiis Archiepiscopali ditioni subiectis, ministrare quaecumque Sacramenta ad Archiepiscopum loci Ordinarium spectantia, nisi id vel specialiter et expresse in facultatibus sibi a Sede Apostolica fuerit permissum, vel obtinuerit prius ab Archiepiscopo facultatem. In ducali autem Cappella, veluti ab Archiepiscopali iurisdictione exempta, eadem Sacramenta absque ulla licentia ministrare poterit ». - Ad 5 vero, nempe: An Archiepiscopus celebrans, sive, ut supra, Divinis assistens, debeat, antequam populo suo sit de more benedicturus, petere licentiam a Nuntio ibidem praesente ? - Respondit: « Idem servandum, quod alias Venetiis fieri praeceptum fuit. Ut nimirum Archiepiscopus antequam sit populo benedicturus opportune per unum ex Canonicis vel per Ministrum caeremoniarum, Nuntium in Episcopali tamen dignitate constitutum, ex sua humanitate invitet ad benedicendum; qui tamen huiusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne acceptando iurisdictionis episcopalis libertatem impedire, vel sui Patris ac Pastoris benedictione populum privare videatur ». Concessio autem privilegii de quo in canone explicita invenitur in una Vercellen. « Petiit Episcopus Vercellen. declarari: an possit Nuncius Apostolicus exercere Pontificalia, et populum benedicere absque licentia Ordinariorum?

Et S. R. C. respondit: "Affirmative,,. Die 1 Martii 1636». - Hucusque de Legatorum munere.

275. **Legati causa honoris.** — *Can. 270. Episcopis qui, ratione Sedis, titulo Legati Apostolici decorantur*, v. gr. Archiep. Lugdunensis, Pragensis, *nullum exinde competit speciale ius*, nisi quis habeat alias « ius quaesitum » v. gr. Arch. Salisburgensis, quod « integrum manet » (can. 4).

CAPUT VI.

De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.

CAN. 271. - Patriarchae aut Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet.

CAN. 272. - Provinciae ecclesiasticae praeest Metropolita seu Archiepiscopus; quae dignitas coniuncta est cum sede episcopali a Romano Pontifice determinata vel probata.

CAN. 273. - Salvo praescripto canon. 275-280, Metropolita in propria dioecesi easdem obligationes eademque iura habet quae Episcopus in sua.

CAN. 274. - In dioecesibus vero suffraganeis Metropolita potest tantum:

1º A patronis ad beneficia praesentatos instituere, si Suffraganeus intra tempus iure statutum iusto impedimento non detentus, id facere omiserit;

2º Indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere;

3º Deputare Vicarium Capitularem ad normam can. 432, § 2;

4º Vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere;

5º Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam Suffraganeus neglexerit; tempore autem visitationis, potest praedicare, confessiones audire etiam absolvendo a casibus Episcopo reservatis, de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare, notoria crimina, manifestas et notorias offensas tum sibi tum suis forte illatas, iustis poenis, censuris non exclusis, punire;

6º In omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito, si ecclesia sit cathedralis, peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio, populo benedicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia exercere quae iurisdictionem importent;

7º Appellationem recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in Curiis suffraganeis, ad normam canonis 1594, § 1;

8º Controversias de quibus in canone 1572, § 2, in prima instantia dirimere.

CAN. 275. - Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses a consecratione vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem a Romano Pontifice pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem.

CAN. 276. - Quare ante pallii impositionem, excluso speciali indulto apostolico, ipse illicite poneret actus sive iurisdictionis metropolitanae, sive ordinis episcopalis in quibus, ad normam legum liturgicarum, usus palii requiritur.

CAN. 277. - Metropolita uti potest pallio intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae in Missarum sollemnibus, diebus in

Pontificali Romano designatis aliisque forte sibi concessis; nullatenus vero extra provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat.

CAN. 278. - Si Metropolita pallium amittat vel ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur, novo indiget pallio.

CAN. 279. - Pallium neque commodari potest neque donari nec in morte alicui relinqui, sed omnia pallia quae Metropolita obtinuit, cum eodem sunt sepelienda.

CAN. 280. - Patriarcha praecedit Primati, Primas Archiepiscopo, hic Episcopis, salvo praescripto canonis 347.

Caput VI. De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis
- titulus Patriarchae ac Primatis — Can. 271
- notio Archiepiscopi — » 272
- iura
  - in propria dioecesi — » 273
  - in dioecesibus suffraganeis — » 274
- circa pallium
  - petendum obligatio — » 275
  - non obtentum effectus — » 276
  - utendum
    - quoad ecclesias et dies — » 277
    - quoad sedem — » 278
    - quoad personam — » 279
- ius praecedentiae inter eos — » 280

276. **Capitis inscriptio.** — Consequenter considerandum est *Caput VI. - De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.* Quae nomina ex origine designarunt Principem Patrum, qui praesidebat cum iurisdictione pluribus Episcopis unitis sive ratione ritus, hinc Patriarcha, sive alia praesertim territoriali; v. gr. ille qui Primam sedem possideret in aliquo territorio potestatis supremae civilis, v. gr. Primas Hispaniae, Angliae; et is qui obtinuit sedem sitam in aliqua perinsigni civitate, cui aliae civitates episcopales inferiores adnexae forent, proinde Metropolita vocatus.

277. **Patriarchae ac Primatis iura honoris.** — De duobus prioribus hodie sufficit *can. 271. Patriarchae aut Primatis titulus, praeter* a) *praerogativam honoris et* b) *ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet;* v. gr. de Primate Hungariae, nam de Patriarchis rituum orientalium non loquitur Codex. Et canon refert disciplinam prius vigentem.

278. **Ordo canonum.** — De metropolita sunt sequentes canones. Tres priores can. 272-274 notionem ac iura Metropolitae

tradunt, subsequentes quinque disciplinam statuunt [1] « de auctoritate et usu palii », atque postremus seu 280 praecedentiam determinat secundum capitis inscriptionem.

279. **Metropolita.** — *Can. 272. Provinciae ecclesiasticae,* scilicet: materialiter delimitationi per Sedem Aplcam. factae territorii, quod formaliter ex pluribus dioecesibus cum Ordinariis et subditis constat, *praeest Metropolita seu Archiepiscopus* id est: Primus Episcoporum illius; *quae dignitas* potest esse concessa honoris causa, vel cum propria iurisdictione, sed *coniuncta est* semper *cum sede episcopali a Romano Pontifice* a) *determinata* in provinciae ecclesiasticae erectione aut postea, b) *vel probata*, quatenus tacite fuerit eidem sedi episcopali adnexa, non est tamen dignitas ordinarie collata sine respectiva sede. Huius respectu sedis metropoliticae, non sola honoris vel exemptionis causa institutae, canon sequens datur.

280. **Iura in propria dioecesi.**— *Can. 273. Salvo praescripto can. 275-280*, in quibus de pallio, cuius adhibitio necessaria est pro aliquibus actibus sequentibus, *Metropolita in propria dioecesi* a) *easdem obligationes* b) *eademque iura habet quae Episcopus quilibet in sua*. Quas et quae videbimus in suo loco.

281. **Iura in dioecesibus Suffraganeorum.** — *Can. 274. In dioecesibus vero suffraganeis Metropolita potest tantum:* sic memoratur principium iuridicum ad dimetienda iura Metropolitanorum, quod edicitur in c. 9 « de officio Iudicis ordinarii » (I, 31) loquente de Patriarchis et Primatibus, et quod applicatur Archiepiscopis pro opportunitate in Decretalibus RR. PP.: « nihil iuris prae ceteris Episcopis habere, nisi quantum ss. canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo ». Quae concessiones in praesenti can. 274 sunt sequentes. Potest *1° A patronis ad beneficia praesentatos instituere*, suppositis praescriptis de institutione huiusmodi, tantumdem sub conditione: *si Suffraganeus* a) *intra tempus iure statutum*, et sicut statutum est, b) *iusto impedimento non detentus*, alias non adesset negligentia Suffraganei, cui remedium hic affertur, *id facere omiserit; - 2° Indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi*, et hoc adnotetur, *concedere. - 3° Deputare Vi-*

[1] Decretal. tit. 8, L. I.

carium Capitularem ad normam can. 432, § 2. nempe: « Si capitulum cathedrale intra praescriptum tempus Vicarium aut oeconomum, quavis de causa, nullum deputaverit ». Quod fuit decretum in Conc. Trid. sess. XXIV de Ref. c. 16. - *4° Vigilare* a) *ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac* b) *de abusibus*, non de transgressionibus quae ubicumque accidunt, *Romanum Pontificem certiorem facere. - 5° Canonicam visitationem peragere* duplici sub conditione, a) *causa prius ab Apostolica Sede probata*, loco Concilii provincialis designati a Conc. Trid. sess. XXIV de Ref. c. 3., b) *si eum Suffraganeus neglexerit* visitationem; iura vero tunc temporis ampliora exercenda sunt: *tempore autem visitationis, potest* a) *praedicare* absque Ordinarii consensu, quia « facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius » (can. 1337), igitur hinc etiam Archiepiscopo non Cardinali extra huius visitationis casum, b) *confessiones* (subintelligendo quorumlibet) ibidem *audire* cum complemento, nam dicitur *etiam absolvendo a casibus Episcopo reservatis*, quia sacramentalem iurisdictionem Archiepiscopus vi huius canonis obtinet, c) *de vita et honestate clericorum* seu de « obligationibus clericorum » (Tit. III) *inquirere* « inquisitione generali », nam « inquisitio specialis est praemittenda » (1939, § 1) in ordine ad iudicium, quod Archiepiscopo non conceditur de hoc in prima instantia, d) *clericos infamia* « vel iuris vel facti » praesertim *notatos* ex publico proinde delicto, non iam punire, sed *Ordinariis ipsorum* sive loci, sive forsitan religiosis ad normam can. 616, 617 servandam, *ut eos puniant, denuntiare* efficaciter, unde si non punirentur, haberetur ex parte Ordinariorum abusus, quem consideravit canon in n. 4°. - Amplior datur potestas quoad sequentia: e) *notoria* notorietate facti juxta can. 2197 [1] *crimina*, quia si « notoria » sint notorietate iuris, sententiam exequitur iudex vel Ordinarius, b) *manifestas* quoad culpabilitatem et *notorias* ut antea *offensas* verbis, scripto aut factis, *tum sibi tum suis*, qui eum comitantur, *forte illatas*, indicioque non indigentes, *iustis* seu proportionatis *poenis, censuris non exclusis* quae « infligi possunt per modum praecepti extra iudicium »

[1] Can. 2197. Delictum est... 3° Notorium notorietate facti, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit.

(can. 1933, § 4), *punire*. - 6° *In omnibus ecclesiis, etiam exemptis*, nulla equidem excepta, praeter unicam adiectam exceptionem pro hac servanda conditione: *Ordinario loci praemonito, si Ecclesia sit cathedralis*, a) *peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio*, nempe: cum insignibus pontificalibus, cum throno et baldachino, b) *populo benedicere*, c) *cruce ante se delata incedere*, quod est insigne Archiepiscopi, et subditur denegatio amplioris iurisdictionis quam praedictae; *non autem alia exercere quae iurisdictionem importent*. - De iudiciali autem iurisdictione, quamvis exercenda quocumque tempore, praescriptum est. - 7° *Appellationem recipere a sententiis* a) *definitivis aut interlocutoriis definitivam vim habentibus*, atque in IV Libro explicandis tit. XIII « de sententia », b) *prolatis in Curiis suffraganeis*, c) *ad normam*[1] *can. 1594*, § *1*, ubi « de tribunali ordinario secundae instantiae ». - Imo ampliatur quoque 8°. *Controversias de quibus in can. 1572*, § 2 [2] *in prima instantia dirimere*. Igitur iura ordinantur, ad supplendam negligentiam pro casibus in num. 1° et 3°, ad indulg.[s] elargiendas in 2°, ad vigilantiam et in casu etiam ad visitationem canonicam in 4° et 5°, ad iura pontificalium in 6°, et ad controversias iudiciales in 7° et 8°.

282. **Obligatio** praecipua et communis Metropolitanorum enuntiatur in *can. 275. Metropolita obligatione tenetur, intra tres menses* computandos ad normam can. 34, § 3, 3° *a consecratione, vel, si iam consecratus fuerit, a provisione canonica in Consistorio, per se vel per procuratorem*, et casus est iste regulae 68 in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ». Atque obligatio est: *a Romano Pontifice pallium petendi, quod significat potestatem archiepiscopalem* iure quidem ecclesiastico tantum constitutam et vigentem. - Pallium vero materialiter est fascia linea, candida et clausa, super humeros circum collum induenda cum duabus fasciolis pendentibus ante retroque, insignita sex sericis nigrisque crucibus in-

[1] Can. 1594. § 1. A tribunali Episcopi suffraganei appellatur ad Metropolitam.

[2] Can. 1572. § 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem.

textis, atque cum tribus aciculis aureis ornamento serico in functionibus consuitur. Hoc est pallium latinum contextum ex lana duorum agnorum, qui benedicuntur die S. Agnetis, et benedictum a Romano Pontifice in vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli, asservandum penes S. Petri sepulchrum saltem die illo solemni, ac proinde atque ob significationem dicitur assumi de corpore S. Petri.

283. **Pallii necessitas iuridica.** — Consequenter ad postremam praec. canonis clausulam dicit *can. 276. Quare ante pallii impositionem* sibi vel procuratori factam per Card. Proto-Diaconum, *excluso speciali indulto apostolico*, nec proinde sufficit quaecumque consuetudo, *ipse* Metropolitanus, non alii Episcopi pallii privilegio ornati, *illicite poneret actus* a) *sive iurisdictionis metropolitanae*, hos omnino quamvis validos, b) *sive ordinis episcopalis* illos tantum *in quibus*, *ad normam legum liturgicarum*, « quae vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » (can. 2), *usus pallii requiritur*. Videlicet: iuxta cap. 28 De electione (I, 6) « cum non liceat Archiepiscopo sine pallio convocare Concilium, conficere Chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, et Episcopos consecrare: multum profecto praesumit, qui antequam impetret pallium, clericos ordinare festinat: cum id non tamquam simplex Episcopus, sed tamquam Archiepiscopus facere videatur ».

284. **Usus quod tempus et locum.** — Cum supra-episcopalis iurisdictio solummodo cum limitatione Metropolitae competat, hinc quamvis Romanus Pontifex pallio, vel simili quodam, uti semper et ubique possit, statuit *can. 277. Metropolita uti potest pallio* a) *intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suae provinciae*, hinc etiam suffraganeae dioecesis, « si vero ab Ecclesia exire contigerit, pallio minime uti debet », ut ait cap. 1 cit. Decretalium, b) *in Missarum solemnibus* quoad functiones, c) *diebus in Pontificali Romano designatis* pro Metropolita quolibet, *aliisque forte sibi concessis.* Haec expressa fuerunt in Decretalium loc. cit., cap. 6°: « in missarum celebrationibus... diebus solemnibus usum pallii... poterit Archiepiscopus liberius exercere », et in cap. 7° Archiepiscopus « tam in propria quam in aliena dioecesi potest sine pallio... celebrare, qui utique in propria... debet... celebrare cum pallio,... diebus illis dumtaxat, qui in Ecclesiae suae privilegiis sunt ex-

pressi ». - Sequitur in canone: *nullatenus vero extra Provinciam* supple: « uti potest pallio », *etsi Ordinarii loci consensus accedat*, iuxta capp. 4 et 5 loc. cit.: « Solus Rom. Pont. in missarum solemniis pallio semper utitur et ubique: alii vero tantum... in ecclesia sua in qua iurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus », ac in altero legitur: « Consuetudo... quod Archiepiscopi extra suas provincias pallio... utantur... dicenda est potius corruptela ». - Videtur tamen abrogatum cap. 3 loc. cit. propter huius omissionem in Codice (can. 6. 6°): « non debet quis se Archiepiscopum appellare priusquam a Papa pallium suscipiat, in quo pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopi nominis appellatione confertur ».

285. **Connexio cum Sede.** — De locali pallii concessione statuit *can. 278. Si metropolita* a) *pallium amittat* b) *vel ad aliam sedem archiepiscopalem transferatur, novo indiget pallio.* Unde primum singulari sedi archiepiscopali fuit adnexum.

286. **Connexio cum persona.** — Similiter caput 2 tit. cit., quod statuit : « non est conveniens, ut pallium alicui commodetur, cum pallium personam non transeat, sed quisque cum eo debeat sepeliri », modo sequenti refert *can. 279. Pallium* a) *neque commodari potest* alteri Archiepiscopo forsitan ad manum non habenti proprium, b) *neque donari* v. gr. successori in Sede vel amico, c) *nec in morte alicui relinqui*, v. gr. recordationis causa, *sed omnia pallia quae Metropolita obtinuit* forsan successive, *cum eodem sunt sepelienda*, ita ut ultimo induatur, ceterisque capiti suppositis.

287. **Ius praecedentiae.** — De praecedentia est unicus *can. 280. Patriarcha praecedit Primati* cuilibet, *Primas Archiepiscopo* cuicumque, *hic* nempe: quamvis mere titularis, quia nomen Archepiscopi non secumfert Suffraganeis praesidere, sicut nomen Metropolitae ob can. 274: Archiepiscopus ergo « praecedit » *Episcopis* etsi residentialibus, *salvo praescripto can. 347* ibi explicando. Canon iste « de iis agit, quae etiam Orientalem (Ecclesiam) afficiunt » (can. 1) secundum illud (can. 106, 4°): « In praecedentia diversitas ritus non attenditur », quae vi can. 280 ordinatur attenta formali ratione sola recensitarum dignitatum, quae ratio cessat si aliqui eorum simul Cardinales sint S. R. E. vel Legati Romani Pontificis, vigente tunc regula iuris 34 in 6° « Generi per speciem derogatur ».

CAPUT VII.

De Conciliis plenariis ac provincialibus.

CAN. 281. - Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in Concilium plenarium convenire possunt, petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum.

CAN. 282. - § 1. Concilio plenario assistere debent cum suffragio deliberativo, praeter Legatum Apostolicum, Metropolitae, Episcopi residentiales, qui, sui loco, mittere possunt Coadiutorem vel Auxiliarem, Apostolici diocesium Administratores, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici, Vicarii Capitulares.

§ 2. Etiam Episcopi titulares, in territorio degentes, si a Legato Pontificio, secundum receptas instructiones, ad Concilium vocentur, adesse debent habentque suffragium deliberativum, nisi in convocatione aliud expresse caveatur.

§ 3. Alii ex utroque clero viri, forte ad Concilium invitati, suffragio non gaudent nisi consultivo.

CAN. 283. - In singulis provinciis ecclesiasticis celebretur provinciale Concilium vicesimo saltem quoque anno.

CAN. 284. - Metropolita, eoque legitime impedito vel sede archiepiscopali vacante, Suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam :

1° Locum ad celebrandum Concilium intra provinciae territorium, auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo, eligit; cessantibus tamen iustis impedimentis, metropolitana ecclesia ne negligatur;

2° Concilium convocat eique praeest.

CAN. 285. - Episcopi qui nulli Metropolitae subiiciuntur, Abbates vel Praelati *nullius*, et Archiepiscopi Suffraganeis carentes, aliquem viciniorem Metropolitam, nisi forte iam elegerint, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione, eligant, cuius Concilio provinciali cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerint, observent et observanda curent.

CAN. 286. - § 1. Praeter Episcopos, Abbates vel Praelatos *nullius* et Archiepiscopos de quibus in canon. 285, ad Concilium provinciale vocandi sunt et convenire debent cum voto deliberativo Suffraganei omnes aliique de quibus in canon. 282, § 1.

§ 2. Episcopi titulares qui in provincia degunt, possunt a praeside, cum consensu maioris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, convocari, et si convocentur, votum habent deliberativum, nisi aliud in convocatione caveatur.

§ 3. Capitula cathedralia aut consultores dioecesani cuiusvis dioecesis cuius Ordinarius ad normam § 1 vocari debet, invitentur ad Concilium et invitati mittant duos ex capitularibus aut consultoribus collegialiter designatos, qui tamen obtinent votum tantum consultivum.

§ 4. Maiores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum Superiores, qui in provincia resideant, invitandi sunt, debentque invitati adesse aut impedimentum, quo detinentur, Concilio notum facere; sed his, quemadmodum aliis ex utroque clero viris ad Concilium forte vocatis, votum est dumtaxat consultivum.

CAN. 287. - § 1. Qui Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum voto deliberativo, si iusto impedimento detineantur, mittant procuratorem et impedimentum probent.

§ 2. Procurator, si fuerit unus ex Patribus quibus est votum deliberativum, duplici voto non gaudet; si non fuerit, habet votum dumtaxat consultivum.

CAN. 288. - In Concilio sive plenario sive provinciali praeses, habito, si de provinciali agatur, Pa-

trum consensu, determinat ordinem servandum in quaestionibus examinandis et ipsum Concilium aperit, transfert, prorogat, absolvit.

CAN. 289. - Concilio plenario vel provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, licet discedere, nisi iustam ob causam a Legato Pontificio vel a Concilii provincialis Patribus probatam.

CAN. 290. - Patres in Concilio plenario vel provinciali congregati studiose inquirant ac decernant quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur.

CAN. 291. - § 1. Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat, nec eadem antea promulgentur, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint: ipsimet autem Concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant.

§ 2. Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo, nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.

CAN. 292. - § 1. Nisi aliter pro peculiaribus locis a Sede Apostolica provisum fuerit, Metropolita, eoque deficiente, antiquior e Suffraganeis ad normam can. 284, curet ut Ordinarii locorum, saltem quinto quoque anno, stato tempore apud Metropolitam aliumve Episcopum comprovincialem conveniant, ut, collatis consiliis, videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur, eaque praeparent de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum.

§ 2. Etiam Episcopi aliique de quibus in can. 285, una cum aliis Ordinariis convocari et convenire debent.

§ 3. Iidem Ordinarii congregati sedem proximi conventus designent.

288. **Inscriptio capitis.** — Sicut Codex Capiti I « De Romano Pontifice » inscripto subdidit alterum « De Concilio Oecumenico », quia istud Papa convocat, eique praesidet, quod dirigit iure proprio ac promulgat, ita Capiti VI « De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis » subiungendum erat pari ex ratione *Caput VII* inscriptum *De Conciliis plenariis et provincialibus*, quia haec, si provincialia, convocantur a Metropolitis, qui eisdem praesident, ea dirigunt, actaque approbata promulgant; si plenaria, eorum convocatio, cum praesidatu et consequentibus fit ab aliquo Archiepiscopo, qui praeditus sit apostolico mandato, quo constituitur in hac re super alios Archiepiscopos, sicut in antiquitate positus erat Patriarcha seu Primas.

Canonum ordo. — In hoc Capite agunt peculiariter de Concilio plenario duo priores canones 281, 282, de Concilio provinciali alii quatuor 283-286, postea utrisque communes praescriptiones in can 287-291 inveniuntur, quibus subsequitur ultimus seu 292 de conferentiis Episcoporum.

Caput VII. De Conciliis (plenariis et provincialibus)

- plenariis, quoad
  - celebrationem — Can. 281
  - intervenientes — » 282
- provincialibus
  - circa celebrationis frequentiam — » 283
  - convocandis — » 284
  - seligendis per quosdam Ordinarios — » 285
  - quoad intervenientes — » 286
- utrisque
  - quoad mittendos procuratores — » 287
  - quoad praesidis actus — » 288
  - circa discessum intervenientium — » 289
  - multiplex decretorum finis — » 290
  - decretorum approbatio et publicatio — » 291
- circa interponendas Episcoporum conferentias — » 292

289. **Concilii plenarii notio.** — *Can. 281. Ordinarii,* locorum nempe, quia *plurium provinciarum ecclesiasticarum* vel unius regionis intra nationem, v. gr. in Etruria, vel unius nationis v. gr. in Statibus foederatis Americae Septentrionalis vel plurium quoque nationum, v. gr. ex tota America Latina, *in Concilium plenarium convenire possunt,* non tamen pro libitu, nec ad id obligantur, sed si opportunum id censeant, *petita tamen venia a Romano Pontifice,* ac si eam dederit; sequitur enim *qui suum Legatum designat ad Concilium* a) *convocandum eique* b) *praesidendum.* Et ex his habetur definitio Concilii plenarii: « conventus, videlicet, Ordinariorum plurium provinciarum ecclesiasticarum, cum venia Rom. Pont^is^. convocatorum per Legatum ab eo designatum qui eis praesidet ». Pro 14 Italiae regionibus haec Concilia praescripta sunt peculiari (non perpetua lege) sed Decreto S. Congr.^s^ Consistorialis [1].

290. **Convenientes in Concilium plenarium.** — Posita legitima convocatione, servandus *can. 282 § 1. Concilio plenario assistere debent* ex canonis praecepto et *cum suffragio deliberativo, praeter* a) *Legatum Apostolicum,* de quo in praecedenti canone, b) *Metropolitae,* c) *Episcopi residentiales, qui,* etiam Metropolitae, *sui loco, mittere possunt Coadiutorem vel Auxiliarem,* quin causa vel impedimentum requiratur velut conditio, d) *Apostolici dioecesium Administratores,* si qui, quemadmodum

[1] 15 Feb. 1919, CO. XI, 72.

et sequentes, sint in territorio ex quo convocentur, e) *Abbates vel Praelati nullius*, f) *Vicarii Apostolici*, g) *Praefecti Apostolici*, h) *Vicarii Capitulares*. De his omnibus, qui sint, in futurum dicetur.

Praeter hunc paragraphum, in quo de his qui obligantur interesse cum deliberativo suffragio, subsequuntur duo alii paragraphi, tum de illis, qui aliquando assistere queunt cum suffragio deliberativo, tum de aliis, qui assistentes voto tantum consultivo gaudent.

§ 2. *Etiam Episcopi titulares, in territorio degentes*, unde Concilium adunatur, *si a Legato Pontificio*, non quidem proprio arbitrio, sed *secundum receptas instructiones, ad Concilium vocentur*, a) tunc *adesse debent* b) *habentque suffragium deliberativum*, regula generalis, *nisi in convocatione aliud expresse caveatur*, vel de obligatione interveniendi, vel praesertim de qualitate suffragii.

§ 3. *Alii ex utroque clero viri*, saeculari ac religioso, *forte ad Concilium invitati*, idest: non ex necessitate ac sub illa conditione *suffragio non gaudent nisi consultivo*.

291 **Decretum pro celebratione conciliorum in regionibus Italiae** supra citatum haec continet motiva. « Etenim, aetatum decursu tum ethnographicis rationibus tum etiam politicis perturbationibus, ecclesiasticae circumscriptiones dioecesum ac provinciarum funditus immutatae fuerunt; unde factum quod ex metropolibus non paucis aliae suffraganeis sedibus sunt orbatae, aliae unam vel alteram retinuerunt.

Ex his autem pronum est intelligere, praedictos Episcoporum conventus (Concilia provincialia) in memoratis locis non illud obtinere posse momentum, eamque sollemnitatem, quae illos decerent, quaeque Ecclesia habere desiderat, ut plurium Antistitum, in Dei nomine congregatorum, consiliis et auctoritate ea constituantur, quae Dei ipsius gloriae et fidelium bono utiliora sint atque ad usum aptiora ».

Sequentia ibidem propterea decernuntur: « I. Incolumi Conciliorum provincialium lege pro provinciis Veneta, Mediolanensi, Vercellensi, Taurinensi ac Januensi; itemque sartis iuribus metropoliticis Romani Pontificis in Romana Provincia secundum sacros canones; in ceteris Italiae regionibus (« quarum nomina... vulgari sermone afferuntur » in n. II) provincialium Conciliorum loco, ex praescripto can. 283,... habebuntur vicesimo pariter quoque anno Concilia plenaria per regiones ad normam canonum (huius Tituli de illis) iuxta praesentis decreti praescriptiones », inter quas memoranda hoc in loco sub n. IV: « quando debeat et possit (unumquodque) primum plenarium regionale Concilium celebrari ».

« III. Pro dioecesibus Latii (prout hoc nomen nunc temporis audit) peculiares dispositiones Sanctitas Sua sibi impertiendas reservat ».

In « Lettera circolare » S. Congr. Consistorialis [1] definitur « quae Dioeceses censendae sint ad singulas hasce (supra dictas) regiones pro Conciliorum celebratione pertinere » [2].

[1] 22 Martii 1919, CO. XI, 175.
[2] Dec. S. Congr. Consistorialis n. III. 15 febr. 1919. CO. XI, 73.

292. **Concilium provinciale.** — Hucusque de Conciliis quorum coadunatio iure Codicis non praescribitur. Aliter est dicendum de Conciliis provincialibus, statuente *can. 283. In singulis provinciis ecclesiasticis*, quas definivimus in can. 272, *celebretur provinciale Concilium vicesimo saltem quoque anno.* Verbum « saltem » innuit obligationem illud ultra non differendi, sed potest frequentius quoque celebrari, consentiente maiore Episcoporum parte.

293. **Convocatio ac praesidatus.** — *Can. 284. Metropolita*, sed pro casibus qui facile possunt evenire, scilicet: a) *eoque legitime impedito* ad perficiendum ea quae in can. praescribuntur, b) *vel sede Archiepiscopali vacante*, quamvis Administrator apostolicus vel Vicarius capitularis episcopali charactere auctus eam regat, in alterutro ergo casu *Suffraganeus antiquior*, computata antiquitate *ex promotione ad ecclesiam suffraganeam*, etsi ad eam translatus fuerit alter ex alia Provincia iam Episcopus, duo peragere debet: - *1° Locum ad celebrandum Concilium intra provinciae territorium*, et en prima conditio qualitatis loci, *auditis omnibus* (atque hi ad hoc) « legitime convocentur » can. 105, § 2) etsi non consentientibus, *qui assistere debent cum suffragio deliberativo*, nempe: qui recensentur infra, *eligit;* monitio autem uti praescribens servanda est in casu, nempe: *cessantibus tamen iustis impedimentis*, quae proportionata sint, *metropolitana ecclesia ne negligatur*, scilicet: curandum est ut ea designetur ad celebrandum ibidem Concilium. - Qui supra in canonis initio *2° Concilium convocat eique praeest.*

294. **Convocandi extraprovinciales Ordinarii.** — Ad praedictam convocationem indiget noscere Metropolita Praelatos, qui ius habeant recipiendae convocationis Concilioque assistendi. Doceturque hoc in duobus seq^{s}. canonibus, quorum primus providet quoad hoc ius pro quibusdam ordinariis extraprovincialibus quoad territorium, secundus autem positive ac complete vocandos enumerat. *Can. 285. Episcopi* simpliciter dicti ratione officii seu residentiales, a) *qui nulli Metropolitae subiiciuntur*, sed immediate Sanctae Sedi, prouti reapse dantur, b) *Abbates vel Praelati nullius* infra cognoscendi, qui extra fines provinciarum sint vel ad ullam non pertineant, c) *et Archiepiscopi suffraganeis carentes*, qui ergo non sunt veri Metropolitae ad normam can. 272, sed sedem archiepiscopali honore praedi-

tam regunt, horum singuli *aliquem viciniorem Metropolitam*, determinandum ex proximitate inter Ecclesias huius et propriam, *nisi forte iam elegerint*, prout faciendum erat ex cap. II sess. XXIV de Ref., *semel pro semper, praevia Sedis Aplcae. approbatione, eligant*, atque ex hoc requisito impleto tum illi Provinciae ecclesiasticae coagmentantur quodammodo, tum etiam quaestiones de applicatione canonis auferuntur; electio vero praedicta vi huius can. tantum ad hoc est: *cuius Concilio provinciali* a) *cum aliis intersint, et* b) *quae ibi ordinata fuerint observent et* c) *observanda curent*. Et hoc in Conc. Trid'. loco citato praescriptum fuit Episcopis, quae praescriptio interpretata fuerat per SS. CC. pro aliis, de quibus in canone.

295. **Firmitas huius can. 285 quoad Italiae regiones.** — Electio canone hoc praescripta secumfert aliud canonicum effectum in re iudiciali ad normam can. 1594, § 3 hunc citantis. Quocirca in Dec. S. Congrs. Consistorialis supra citato statuitur: « V. Omnia vero quae pro celebratione Conciliorum plenariorum regionalium statuta sunt, nullimode detrahunt neve detrahere censeantur praescripto can. 285 (quoad sequentem effectum) circa appellationes a sententiis I instantiae ad tribunal II instantiae. Permittitur tamen Episcopis, qui Sedi Aplcae sint immediate subiecti, ut pro appellationibus sibi deligant Archiepiscopum viciniorem etsi provincia propria carentem, itemque his Archiepiscopis ut designent pro appellationibus Ordinarium viciniorem, quem opportunius eligendum censuerint». Igitur offertur eis dispensatio a can. 285 praescripto, quod partialiter ab eis erat iam observandum vigore eiusdem Decreti.

296. **Convocandi ad Concilium Provinciale.** — *Can. 286. § 1. Praeter* a) *Episcopos*, b) *Abbates vel Praelatos nullius et* c) *Archiepiscopos de quibus in can. 285* praec'., qui proinde etiam *ad Concilium provinciale vocandi sunt et convenire debent cum voto deliberativo*, sunt ergo Patres conciliares, simul et d) *Suffraganei omnes* illius Provinciae ecclesiasticae *aliique de quibus in can. 282, § 1 scilicet*: e) « Apostolici dioecesium Administratores, f) Abbates vel Praelati Nullius » de provincia illa, g) « Vicarii Apostolici », si qui sint in ea, h) « Vicarii Capitulares » alicuius Suffraganeae vacantis, demum i) « Praefecti Apostolici » quando in territorio intra Provinciam, cuius Concilium coadunatur, aliqui sint.

Sequentes paragraphi disponunt successive de titularibus Episcopis, de capitulis cathedralibus eave supplentibus, ac demum de Superioribus maioribus religionum exemptarum. - § 2. *Episcopi titulares qui in provincia degunt*, i. e. habitant, *possunt a praeside* iuxta can. 284, *cum consensu* tamen *maio-*

ris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt. et hos novimus in § 1, *convocari*, ergo non est obligatorium, propter quod dicitur: *et si convocentur, votum habent deliberativum. nisi aliud in convocatione caveatur* forsitan ex voluntate consentientium in convocationem eorum. - § *3. Capitula cathedralia* solum *aut consultores dioecesani*, sic vocati qui vices canonicorum gerunt ubi capitula cathedralia desunt, *cuiusvis dioecesis*. et hic huius « nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), propter quod additur *cuius Ordinarius* forsitan non suffraganeus sed *ad normam* § *1 vocari debet* etiamsi ex can. 285, a) *invitentur ad Concilium*, hoc iussum est a convocante iuxta can. 284 Metropolita vel Suffraganeo antiquiori adimplendum, *et invitati* nempe: illi quibus « capitulum constat » (can. 293, § 2) « aut consultores dioecesani » ut supra b) *mittant* ex can[s]. huius praecepto *duos* respective *ex capitularibus* membris *aut consultoribus collegialiter designatos* ad normam can. 101 circa actus personarum moralium et can. 411 quoad « habendum coetum ordinarium vel extraordinarium » Capituli, c) *qui tamen* sic missi *obtinent* singuli *votum tantum consultivum*. - § 4. *Maiores quoque* a) *religionum* non laicalium sed *clericalium* simulque *exemptarum ac* b) *Congregationum monasticarum Superiores*, videlicet: (Can. 488, 8°) « Abbas primas, Abbas Superior Congregationis monasticae i. e. plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctorum sub eodem Superiore, Abbas monasterii sui iuris etiamsi cum aliis praefato modo coniuncti, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ». Quicumque istorum, a) *qui in provincia* ecclesiastica, nam de Ordinis provincia hoc dicere esset inutile, *resideant* i. e. in conventu aut monasterio intra provinciam sito habitent officii ratione, *invitandi sunt*, quod dicitur praescriptive, b) *debentque* ipsi pariter *invitati adesse*, sed ratione impedimenti forsan existentis additur: c) *aut impedimentum, quo detinentur, Concilio notum facere*, atque hoc iussum est, nec sine causa, eo quod obligatorie vocantur ac de spretu possent conqueri, sic Concilium videat num e contra spretus ab eis vel parvipensio fiat; explicit canon: f) *sed his, quemadmodum aliis ex utroque clero* (saeculari atque religioso) *viris ad Concilium forte vocatis*, quod non iubetur, *votum est duntaxat consultivum*.

297. **De utrisque Conciliis.** — Postquam in praecedentibus constitutio singillatim concilii plenarii et provincialis definita est quoad convocationem, praesidem ac membra illorum, qui Patres conciliares etiam appellari solent, aliosque intervenientes suo consilio; simul de utrisque conciliis tractare pergunt canones, exponuntque obligationes ac unum alterumve ius praedictorum.

298. **Assistentia per procuratorem.** — *Can. 287. § 1. Qui* a) *Concilio plenario aut* b) *provinciali interesse debent cum voto deliberativo*, scilicet primo, qui enumerati sunt in can. 282, § 1° et quandoque illi § 2[1], atque secundo qui enumerantur in can. 286, § 1° et aliquando qui in § 2, *si iusto impedimento detineantur* quominus interveniant, seu proportionato tali oneri, adimpleant duo, idest: a) *mittant procuratorem*, seu mandato constituant gerentem eorum personam in Concilio, b) *et impedimentum probent* suadentibus virum prudentem documentis seu rationibus. - Etiam aliquem ex interessentibus Concilio posse nominari procuratorem, innuit § *2. Procurator*, a) *si fuerit unus ex Patribus quibus est votum deliberativum, duplici voto non gaudet;* equidem congruenter sequenti canonis parti: b) *si non fuerit, habet votum dumtaxat consultivum.* Cum ergo unusquisque Patrum cum voto deliberativo, per hoc exprimat suum consilium, nihil de consultivo illius voto dicitur. Hoc canone complentur dicta de conciliorum constitutione.

299. **De celebratione Conciliorum.** — Primo, ut omnia secundum ordinem fiant, statuit *can. 288. In Concilio sive plenario sive provinciali praeses, habito, si de provinciali agatur, Patrum consensu* etsi non unanimi, sed « contra eorumdem votum invalide agit » (can. 105, 1°) seu *determinat* a) *ordinem servandum in quaestionibus examinandis, et* b) *ipsum Concilium aperit*, ei dans initium, atque data occasione forsitan defectus libertatis in loco vel pestis, aliove motivo c) *transfert*, d) *prorogat* celebrandas sessiones vel ultra statutum tempus, e) *absolvit*, finem Concilii decernens. Haec omnia, ob clausulam: « habito, si de provinciali agatur, Patrum consensu », peragenda sunt a solo praeside, nec requirendus Patrum consensus, si de Concilio plenario agitur, quia Praeses legatus est Romani Pontificis, huius potestatem supremam participans, servatis tamen receptis instructionibus.

300. **Vetitum discessus.** — De prosequutione Conciliorum effectiva sollicitudinem apponit *can. 289. Concilio plenario vel provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent*, notandum bene, *licet discedere*,. i. e. obligatio illa interessendi manet, *nisi* a) *iustam ob causam a Legato Pontificio* Concilii plenarii *vel a Concilii provincialis Patribus* b) *probatam* etsi non unanimiter.

301. **Conciliorum munus** — *Canon 290. Patres in Concilio plenario vel provinciali congregati studiose* i. e. cum diligenti mentis applicatione *inquirant ac decernant* a) *quae ad fidei incrementum*, b) *ad moderandos mores*, c) *ad corrigendos abusus*, d) *ad controversias* pacifice *componendas*, e) *ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam*, prout vel iam existat uniformitas vel e contra desideretur, *opportuna fore pro suo cuiusque* Concilii *territorio videatur*. Hi sunt ergo fines a Patribus conciliaribus persequendi.

302. **Conciliorum Decreta.** — De Conciliorum actis habetur unicus *can. 291. § 1. Absoluto Concilio* quolibet supra dicto. nempe: « plurium provinciarum ecclesiasticarum » (can. 281) *plenario aut* singularum *provinciali*, quocirca regulariter extra territoria S. Congr.[1] de Prop. Fide subiecta, a) *praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittat*, b) *nec eadem antea promulgentur, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint*, quod constabit ex responsione remissiva actorum et decretorum per eamdem Congregationem; c) *ipsimet autem Concilii Patres designent et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipiant*, statim nempe a promulgatione vel aliquod post tempus. - De obligatione decretorum est § 2. *Decreta Concilii plenarii et provincialis* a) *promulgata obligant in suo cuiusque* Concilii *territorio universo* unde convenerunt Ordinarii; b) *nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi* I° *in casibus particularibus* simul *et* II° *iusta de causa*. Secus dispensatio nulla est, velut data ab eo qui « dispensare non valet » (can. 82), Concilii enim potestas est supra Ordinariorum convenientium potestatem ex iure posita.

303. **Conferentiae Episcoporum.** — *Can. 292. § 1. Nisi aliter pro peculiaribus locis a Sede Apostolica provisum fuerit*, v. gr. in Italia ex Circulari S. Congr[s]. EE. et RR. sub Leo-

ne XIII [1], a) *Metropolita, eoque deficiente*, forsan propter negligentiam, vel sedis metropolitanae vacationem, b) *antiquior e Suffraganeis ad normam can. 284, curet ut Ordinarii locorum, saltem* a) *quinto quoque anno*, ter igitur inter unum alterumve Concilium, b) *stato tempore* per praeviam determinationem in praecedenti Concilio vel conventu Episcoporum factam, *apud Metropolitam aliumve episcopum comprovincialem* secundum circumstantias *conveniant*, curante Metropolita antiquioreve ex Suffraganeis; atque finis est: *ut, collatis consiliis*, a) *videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur*, b) *eaque praeparent de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum.* - Nec tantum Ordinarii locorum provinciae ecclesiasticae conveniant, sed § 2. *Etiam Episcopi aliique de quibus in can. 285*, nempe qui hunc Metropolitam elegerunt causa Concilii, *una cum aliis Ordinariis* praedictis *convocari et convenire debent.* - Inter alia in simili conferentia iuxta § 3. *Iidem Ordinarii* omnes *congregati sedem proximi conventus* huiusmodi designent.

304. **Lex particularis pro Italia.** — In « Lettera circolare » S. Congrs. Consistorialis supra citata [2] delimitante regiones pro habendis Conciliis plenariis ac provincialibus, sic legitur: « Siccome poi nella circolare superiormente (in praec. can.) ricordata del 1889 il Sommo Pontefice stabiliva che « II. In ciascuna delle mentovate regioni procureranno i Vescovi di convenire insieme almeno una volta l'anno per appianare e risolvere con mutuo consiglio le difficoltà che incontrano nel governo delle rispettive diocesi, per promuovere in tutto la regolarità e la uniformità della ecclesiastica disciplina e per emettere, ove le circostanze lo richiedessero atti collettivi di qualsiasi genere », si fa riflettere che questa disposizione non viene punto infirmata dal Codice », ut vidimus in canonis praec. initio et contextu.

« Rimane quindi fermo che le conferenze episcopali per regioni devono continuare a tenersi in Italia ogni anno nel modo superiormente indicato. E tale è la mente di Sua Santità Benedetto PP. XV che viene comunicata ai Rmi. Ordinari d'Italia per la sua piena osservanza ».

CAPUT VIII.

De Vicariis et Praefectis Apostolicis.

CAN. 293. - § 1. Territoria quae erecta non sunt in dioeceses reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos; qui omnes ab una Apostolica Sede nominantur.

§ 2. Vicarius et Praefectus Apostolicus possessionem sui territorii capiunt, ille litteras apostolicas, hic decretum seu patentes litteras Sacrae Congregationis de Prop. Fide per se vel per procuratorem ostendentes ei qui territorium regit ad normam can. 309.

CAN 294. - § 1. Vicarii et Praefec-

[1] 24 Aug. 1889.
[2] 2? Mar. 1919. CO. XI, 177.

Caput VIII. De Vicariis et Praefectis Apostolicis [1]

- notio ac initium officii — Can. 293
- iura et potestates
  - in eorum territorio — » 294
  - erga missionarios
    - quoad exigendas litteras, et exercitium ministerii — » 295
    - regendos, visitandos, corrigendos — » 296
    - religiosos ad curam animarum cogendos — » 297
    - ad dissidia componenda et dirimenda — » 298
- obligationes
  - visitandi Sacra Limina — » 299
  - de relatione status Vicariatus vel Praefecturae — » 300
  - residendi et visitandi — » 301
  - constituendi consilium ac requirendi huius votum — » 302
  - missionarios congregandi — » 303
  - de archivo constituendo et Conciliis ac Synodo celebrandis — » 304
  - de indigenis atque incolis sacerdotio initiandis — » 305
  - applicandi missam pro populo — » 306
- quoad non decernendos missionariis recessus quosdam e territorio — » 307
- iura honorifica — » 308
- quoad provisam successionem in regimine — » 309
- facultates derivantur in successores, ac horum obligatio — » 310
- expectandis ab eis, qui ad certum tempus praepositi sunt missionibus — » 311

[1] Vide canones in pag. 305, 307, 315, 316.

ti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit.

§ 2. Etiam ii qui charactere episcopali carent, possunt, intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ad normam canon. 782, § 3, 957, § 2.

Can. 295. - § 1. Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici prohibere.

§ 2. Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Praefectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent, nisi singulis et gravem ob causam.

Can. 296. - § 1. Etiam missionarii regulares subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis.

§ 2. Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere quae a Superiore religioso dependet, si tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius praevalere debet, salvo iure recursus in devolutivo ad Sanctam Sedem et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.

Can. 297. - Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos, etiam exemptos, vicariatui vel praefecturae addictos, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.

Can. 298. - Si qua dissidia in iis quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Praefecti Apostolici, qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, dirimant, integro tamen iure recursus ad Apostolicam Sedem, qui decreti effectum non suspendit.

305. **Inscriptio capitis.** — Ad instar Episcoporum regunt portiones gregis Christi, proindeque infra Metropolitanorum gradum constituti Praelati, quos considerat *Caput VIII* inscriptum *De Vicariis et Praefectis Apostolicis*, quo postremo verbo satis liquet agi de participantibus ex iure ecclesiastico supremam Ecclesiae potestatem. Vicarii ac Praefecti ab invicem distinguuntur eo quod illi ut plurimum charactere episcopali insigniuntur, quo Praefecti Apostolici non decorantur.

306. **Ordo canonum.** — In hoc capite praedictorum notio ac officii principium in can. 293 edicitur, de iuribus et facultatibus tractant quinque canones 294-298, his subsequuntur de obligationibus eorum canones octo, videlicet: 299-306, expli-

cante can. 307 quid eis non licet, ac referente can. 308 eorum iura honorifica, et ultimo de prosecutione regiminis, dum S. Sedis expectatur provisio, sollicitudo legislatoris patefit in can. 309 usque ad ultimum 311.

307. **Evolutio Praefecturarum et genesis Vicariatuum Apostolicorum.** — Initio sui S. Congr. de Prop. Fide non habuit territorium sibi proprium, sed missionarios plures mittebat quandoque in dioeceses, quae Episcopum habebant, eisdemque missionariis praeficiebat unum eorum, cum facultatibus atque iurisdictione personali erga ceteros missionarios. Et sic extitit res usque ad secundam saeculi XIX medietatem circa annum 1868. Missionarii autem in usu receptarum facultatum pendebant a licentia Episcoporum. - Postea missi sunt evangelii praecones ad territoria etiam nulli Episcopo subiecta, factique fuerunt eorum Superiores Ordinarii cum iurisdictione territoriali, ut eos vocat Congr. S. Officii, atque tunc alii cum sola iurisdictione personali fuerunt appellati *Superiores missionum*, quod nunc obtinet in Oriente; dum respectu S. Congr. de Prop. Fide unicum restat exemplum in dioecesi Rethiae Helvetiorum. - Hoc vero nomen *Superioris missionum* tribuitur quoque velut extraordinarie seu in supplementum, quando adsunt causae propter quas differtur nominatio Vicarii seu Praefecti Aplici. forsitan ob defectum subiecti capacis in eo, atque unus missionariorum praeficitur Vicariatui aut Praefecturae aplcae. cum illo nomine, quamvis praeditus iurisdictione territoriali.

Ad Vicarios aplcos. quod spectat, hi iam ab initio missi fuerunt ad loca extra quamlibet dioecesim sita, veluti gerentes Romani Pontificis vices, cuius est territorium universus orbis, et illiusmet facultatibus aucti in eodem territorio exercendis, ubi fortassis pauci valde adfuissent catholici.

Nunc vero temporis distinctio propria Praefecturam inter et Vicariatum Aplcum. est diversus gradus ad dioecesis constitutionem, ita ut initio alicuius novae missionis erigatur Praefectura velut primus gradus, cui succedit Vicariatus erectio quando progrediente tempore res in melius sunt constitutae ec numerus christianorum notabiliter auctus, donec ecclesiastica administratio ita evadat ordinata, ut possit in ea servari ius dioecesium commune, atque tunc erigitur in dioecesim.

308. **Vicarii et Praefecti Apostolici notio.** — *Can. 293. § 1. Territoria quae erecta non sunt* adhuc *in dioeceses* a suprema Ecclesiae potestate, *reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos;* isti ergo sunt: « Praelati qui regunt territoria quae erecta non sunt in dioeceses, a Sede apostolica nominati », sequitur enim in canone: *qui omnes ab una Apostolica Sede nominantur.* Et quae nominatio per S. Congr. de Prop. Fide communicatur interesse habenti, eo quod nominatus fuerit Vicarius Aplcus. in congregatione plenaria S. R. E. Cardinalium, aut Praefectus Aplcus. a Card. Praefecto cum Congressu huius S. Congregationis. Hanc diversitatem demonstrat alia, quam continet § 2. *Vicarius et Praefectus Apostolicus possessionem sui territorii* in Vicariatum vel Praefecturam erecti *capiunt,* a) *ille litteras apostolicas* in forma Brevis, quibus adiunguntur aliae in forma Bullae de promotione illius in Episcopum titularem, b) *hic* videlicet « Praefectus Apostolicus » *decretum seu patentes litteras,* sub forma ergo diversa a praecedentibus, et quidem *S. Congregationis de Prop. Fide,* nempe: ab eiusdem Congres^s^. Card. Praefecto subsignatas, *per se vel per procuratorem ostendentes* (idque sufficit) *ei qui territorium* illud *regit ad normam can 309* explicandi suo tempore. Ad eius §^i^ evidentiam sciendum est, quod dum Praefecti Apostolici nominantur Decreto Praefecti S. Congr^s^., de Vicariis Apostolicis duplex fit Decretum, unum remittitur ad Cancellariam Brevium apud Secretariam Status, ad Vicarii Apostolici qua talis nominationem per Breve, aliud ad Cancellariam, ut expediatur Bulla de promotione illius in Episcopum iuxta voluntatem Benedicti PP. XV. Postea, tum Breve tum Bulla remittuntur S. Congr^i^. de Prop. Fide, ut eas transmittat subiecto promoto.

309. **Iura et facultates.** — *Can. 294. § 1. Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus* honoris, iurisdictionis, administrationis, et aliis quae tali nomine designet Codex, *et* sequenti vocabulo: *facultatibus,* quae ad ceteros actus Superiorum ecclesiasticorum habitualiter exercendos ordinantur, *in suo territorio* seu ipsis demandato *gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus,* et quas infra cognoscemus quando de his agemus; hinc praesumptio in casibus stat in favorem Vicarii et Praefecti Apostolici quoad potestatem aequalem; *nisi quid Apostolica Sedes reservaverit,* in Codice cum li-

bris liturgicis ad normam can. 2, in legibus subseq^s., decretisque S. Congr., sive pro territorio determinato sive generaliter. Praedicta potestatis similitudo iam enuntiatur velut existens a Bened. XIV in C. « Apostolicum ministerium »[1] atque canonis sensum explicat S. C. de Prop. Fide hoc modo[2]: « Nullus Vicarius Apostolicus iurisdictionem aliquam exercere possit, nisi intra limites provinciae seu territorii sibi in Brevi suae deputationis a Sede Apostolica demandati; contra vero nullus Episcopus aut alius Ordinarius, quantumvis Metropolitana, seu primatiali, aut alia quacumque dignitate praefulgens in praefatis locis Vic. Aplci. curae commissis. ullo modo se ingerere possit aut debeat ».

Ex hoc paragrapho sequitur per verbum Episcopi significari iuridice non solum « Abbatem vel Praelatum nullius » ad normam can. 215, § 2, sed in canonibus qui tractent de « iuribus et facultatibus quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis », significationem iuridice ampliandam esse ad Vicarios et Praefectos Apostolicos, cum §^{i} declarata limitatione cuius exemplum sit: « exortum (ex § tenore) et S. Rituum Congr.[3] propositum... sequens dubium, nimirum: An Vicariis et Praefectis Apostolicis de novo iure competat, in proprio territorio, ut nominentur in Canone Missae? - Et S. eadem Congr..... attento etiam can. 2 et altero 308 Cod^s. Iur. Can. omnibusque perpensis, respondendum censuit *Negative* iuxta rubricas et decreta; quia de iure adhuc vigente, in Canone Missae, post verba *Antistite nostro* exprimendum est nomen Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi qui sint Ordinarii loci, et in propria dioecesi ». Propter easdem rationes haec declaratio valet quoque « de Administratoribus Apostolicis » quibuscumque, atque « de Praelatis inferioribus ».

Hinc apparet ratio facultatis concessae in Formulis prima ac maioribus secunda et tertia. S. Congr. de Prop. Fide per haec verba: « permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus (etiam quoad plurima exemptis) ut sui nominis tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus sive *in Canone* Missae mentio fiat ».

[1] 30 Maii 1753, § 4. — [2] 14 Feb. 1702.
[3] 8 Mart. 1919. CO. XI, 145.

310. De iis vero quae ordinis potestatem aut administrativam potius respiciunt, disponit § 2. *Etiam ii qui charactere episcopali carent*, videlicet: regulariter Praefecti Aplci., sed nonnumquam Vicarii Apostolici sic vocati ratione territorii, *possunt*, vi huius canonis conditi a Papa, *intra sui territorii fines*, en prima conditio, et secunda est: *ac perdurante munere* Vicariatus Aplci. aut Praefecturae Apostolicae, a) *omnes benedictiones* « sive constitutivas sive invocativas » (can. 1148, § 2) *Episcopis reservatas, una pontificali excepta*, quae trina dicitur ab Episcopis impertienda, *impertiri*, prout a consecrationibus distinguuntur, sicut videbitur in Tit. « de Sacramentalibus » VIII, Lib. III, item b) *calices, patenas, et altaria portatilia*, non ergo fixa, et sub conditione *cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare*, c) *indulgentias quinquaginta dierum concedere* modo explicando in Tit°. IV Lib[i]. III, Art°. I Capitis V, « de indulgentiarum concessione », demum d) *confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ad normam can. 782*, § 3 pro confirmatione, *957*, § 2 pro ceteris. Scilicet, prima norma est: « qui tamen (si presbyteri) ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum ». Eaedem conditiones iam supra positae, ac pro consecrationibus etiam conditio quod olea sint ab Episcopo benedicta, intelligendae sunt ad potentiam iuridicam supra concessam, id est (arg. certo ex can. 1147, § 1) [1]: ad validitatem pro consecrationibus, ad liceitatem pro benedictionibus ex § 3 ei. can., et ad validitatem indulgentiarum certe ex can. 912[2]. In can. autem 957, § 2, legimus: « Si episcopali charactere careant, possunt nihilominus *a*) in proprio territorio *b*) et durante tantum munere, conferre primam tonsuram et ordines minores *c*) tum propriis subditis saecularibus ad normam ca-

[1] Can. 1147. § 1. Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur.

§ 3. Benedictio reservata, quae a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.

[2] Can. 912. Praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est.

non. 956 »[1], scilicet: etiam eis qui reguntur circa ordinationem iure saecularium, sicut in calce notae, *d*) « tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant ; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est ».

311. **Ratio seq. canonum.** — In C. « Speculatores »[2], de qua S. Congr. de Prop. Fide ad Ep. Lat. Babylon.[3] ait: « multum removendis dissidiis inter missionarios atque Vicarios Apostolicos Sinarum utilitatis attulisse », Clemens IX affert motiva sequentium canonum ex dicta Constitutione transumptorum. Videlicet: « Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam... et alia vicina regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur; considerantesque ex independentia plurimorum operariorum in iisdem locis, praecipue cum ab hac Sancta Sede valde sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones et schismata, in christianae religionis detrimentum atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur », praescribit quae sequuntur, sublatis privilegiis in contrarium, etiam quae amplissimis clausulis munita fuerint, et expresse Societatis Iesu.

312. **Quoad litteras exigendas et concedendum sacri ministerii exercitium.** — *Can. 295. § 1. Vicarii et Praefecti Apostolici ab omnibus missionariis, etiam religiosis*, nec additur exemptis, utpote inutile ob disciplinam citatam quae Codicem praecessit, *possunt* iure proprio *ac debent* canonis praescripto 1° *exigere ut suas patentes seu alias quasvis* diversae appellationis, originis, scopi, *eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis* per Superiores eorum vel per S. Congr. de

[1] Can. 956. Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem saecularium est tantum Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi (quoad iuramenti praescriptum) agatur de promovendo ad ordines qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, vel de promovendo alumno qui servitio alius dioecesis destinatur ad normam can. 969, § 2, vel de promovendo religioso professo de quo in can. 964, n. 4 »; ubi dicitur: « Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto » ibi determinato.

[2] 13 Sept. 1669. Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 186. — [3] 23 Sept. 1783. Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 565, in calce pag. 347.

Prop. Fide *litteras* omnino necessarias *exhibeant*, proinde singuli missionarii ad id tenentur, II° *easque exibere recusantibus*, quod verbum supponit oppositionem actui Vicarii et Praefecti exigentium eas, quocumque praetextu id fiat, *exercitium cuiusvis ministerii ecclesiastici* ordinis, iurisdictionis, aliusve ab Ecclesia dependentis utpote in bonum fidelium exercendi, *prohibere*. Quamvis ex privilegio Apostolico ministerium praefatum ipsis competere dicant, reveraque competat. - In quo supposito procedit § 2. *Omnes missionarii, etiam regulares*, praeter id quod in praec. paragrapho praescriptum est, *licentiam sacri ministerii exercendi* etiam sacramenti poenitentiae, praedicationis, etc. *petant a Vicariis et Praefectis Apostolicis* modo illis beneviso, verbo vel scripto, personaliter vel per alium, in hypothesi quod hi sponte non tribuant, quia dependentiam missionariorum ab illis canon intendit, *qui tamen* Vicarii et Praefecti Apostolici petitam licentiam *eam ne denegent, nisi* a) *singulis et* b) *gravem ob causam*, cum his duabus conditionibus, et hinc sequitur causam illam peculiariter afficere debere eum, cui denegatur licentia.

313. **Subiectio missionariorum Vicariis et Praefectis Apostolicis.** — De subiectione missionariorum sive in praedicto exercitio sive quoad vitam religiosam, ut vitentur conflictus quando missionarii sunt exempti, eo quod regulares, cavet delimitationes Vicarium Praefectumque Aplcum. inter et Praelatum regularem *can. 296*. § *1*. *Etiam missionarii regulares* (hinc a fortiori ceteri, saeculares ac religiosi) *subiiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici* a) *iurisdictioni* quoad regimen, b) *visitationi* quoad obligationes ab eis adimplendas, resque ipsis concreditas, c) *et correctioni* etiam per poenas ad normas iuris *in iis quae pertinent* quomodolibet a) *ad missionum regimen*, b) *curam animarum*, c) *Sacramentorum* omnium *administrationem* quibuscumque, d) *scholarum directionem*, e) *oblationem intuitu missionis factas* expresse, vel quando coniecturetur ex circumstantiis, f) *implementum piarum voluntatum* non quarumcumque sed *in favorem eiusdem missionis*. Sex ergo sunt capita subiectionis exemptorum etsi regularium, quatenus sunt missionarii. - De illis, prout religiosi sunt, decernit § 2. *Quamvis Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos* suis in locis addiscendos, *se in disciplinam religiosam ingerere quae a Superiore religioso dependet*, quo posito verbo,

dum in praec. paragrapho positum est « regulares », verbum designans in Codice exemptos, non innuitur hanc normam ampliorem esse, sed pro religiosis tantum constituere generalem regulam, cum exceptione addita: *si tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho, conflictus oriatur* causa disciplinae religiosae *inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius* nempe: « mandatum », idest: « Vicarii aut Praefecti Apostolici », ob sermonis contextum sumpto « prius » adiective, non adverbialiter tamquam « prius » datum, *praevalere debet*, a) *salvo iure recursus* pro Superiore religioso *in devolutivo ad Sanctam Sedem* sic interpretandam: ad S. Congr. de Prop. Fide, quia negotia §[i] 1[i] respiciunt « religiosos qua missionarios » (can. 252, § 1), cum controversiae, si quae oriantur circa «casus a iure praevisos » in disciplina religiosa, « religiosos qua tales attingant », et S. Congr.[1] de religiosis remittenda forent. Addit canon: *et* b) *salvis peculiaribus statutis* contrarium statuentibus, tum in genere sub quo casus comprehendatur, huic canoni tunc directe oppositus, tum illi mandato quod alias praevalere debuisset. Notetur tamen de praedictis statutis addere canonem: *a Sede Apostolica probatis*, unde cetera salva non manent, sed canoni cedunt.

314. **Coactio missionariorum ad animarum curam exercendam.** — Cum animarum cura ex charitate queat exerceri vel ex iustitiae obligatione ob quasi-contractum in acceptatione officii habentis illam contentam, de huiusmodi officio imponendo sequitur opportune *can. 297. Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus*, non quidem absolute sed attentis circumstantiis Vicariatus aut Praefecturae, tunc solum *Vicarii et Praefecti Apostolici*, quorum est illam deficientiam iudicare, iure *possunt, audito* a) *eorum* sequentium *Superiore*, posteaque adhuc ipso non consentiente, *cogere* b) *religiosos*, i. e. efficaciter imponere eis, *etiam exemptos*, regulares vel non, dummodo c) *vicariatui vel praefecturae addictos*, tunc enim hoc fit iuxta finem ad quem missi sunt, proindeque iuste, *ad animarum curam exercendam* modo supradicto, idest ex officio, *salvis pariter* secundum explicationem in praec. paragrapho *peculiaribus statutis* in contrarium *a Sede Apostolica probatis*.

Occasione huius canonis utile erit meminisse Dec. S. Congr. de Prop. Fide in n. « 3° [1] Facultas specialis autem Episcopis (stricte dictis) mis-

[1] 9 Dec. 1920, CO. XIII, 18.

sionum fit (id est: dioecesium illi Sacro Consilio subiectarum) nominandi regulares (atque a fortiori religiosos) ad paroecias, cum idonei ad talia beneficia sacerdotes e clero saeculari (prout religioso contradistinguitur, non solum relative ad dioecesim, sed) omnino deficiant ».

315. **Compositio dissidiorum.** — Demum pro casibus contingentibus dissidiorum, normam sequendam, ut charitas quam minus turbetur, tradit *can. 298. Si qua dissidia in iis* solum per se *quae ad curam animarum pertinent* qualitercumque sed vere, a) *sive inter singulos missionarios* qua tales personas physicas, tum cleri saecularis, tum religiosi cleri, b) *sive inter diversas religiones*, personas morales, quarum religiosi missionarii sunt in Vicariatu vel Praefectura, c) *sive inter missionarios et alios quoslibet* non missionarios, vel etiam laicos, aut religiosas, *oriri contigerit, ea quamprimum componere curent* paterne ac pacis servandae studio *Vicarii ac Praefecti Apostolici* pro eorum prudenti iudicio et arbitrio; et si hoc nequeant vel nec tentari debeat, aliud remedium erit in promptu, aiente canone: *qui huiusmodi quaestiones, ubi opus fuerit, dirimant* decernentes auctoritate, *integro tamen iure recursus*, non appellationis, quia decretum extraiudiciale supponitur, *ad Apostolicam sedem*, nempe: propter obiectum ad S. Congr.^{m} de Prop. Fide, *qui recursus decreti effectum non suspendit*, hoc est: decretum tamen interim sortiatur effectum, tamquam si recursus interpositus non fuerit.

Can. 299. - Vicarii Apostolici obligatione tenentur Sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi eadem prorsus lege, qua Episcopi residentiales ad normam can. 341; cui tamen muneri, si quid graviter obstet ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per procuratorem etiam in Urbe degentem.

Can. 300. - § 1. Ad normam canonis 340, Vicarii ac Praefecti Apostolici tenentur obligatione Sedi Apostolicae exhibendi plenam accuratamque relationem de suo quisque pastorali officio, deque omnibus quaecumque ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertineant: quae relatio scripta esse debet et subscripta tum ab ipso Vicario aut Praefecto tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can 302.

§ 2. Imo etiam sub cuiusque anni exitum ad Sanctam Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque Sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus.

Can. 301. - § 1. In regione sibi commissa commorentur, a qua sine gravi et urgenti causa per notabile tempus iis abesse ne liceat, inconsulta Sede Apostolica.

§ 2. Regionem sibi concreditam quandocumque sit opus, debent ipsi per se vel, si legitime impediti fuerint, per alium visitare eaque omnia in visitatione expendere,

quae ad fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur.

Can. 302. - Constituant Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis.

Can. 303. - Prout siverit opportunitas, missionarios saltem praecipuos tum religiosos tum saeculares proprii territorii congregent semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quae sint ordinanda perfectius.

Can. 304. - § 1. Legibus quae de archivo constituendo Episcopis praescribuntur, etiam Vicarii ac Praefecti Apostolici, habita locorum personarumque ratione, aeque tenentur.

§ 2. Pariter quae de Conciliis plenariis et provincialibus can. 281-291 praescribuntur, applicari debent, congrua congruis referendo, Conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus in regionibus Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis; quae de Synodo dioecesana can. 356-362, Synodo vicariatus apostolici; sed nullum est praefinitum tempus pro Concilii provincialis et Synodi celebratione, et canones Conciliorum, antequam promulgentur, recognosci debent a Sacra Congregatione de Prop Fide.

Can. 305. - Studiosissime curent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur ac sacerdotio initientur.

Can. 306. - Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Cristi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Ioseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, servato praescripto can. 339, §§ 2 seqq.

316. **Visitatio SS. Liminum.** — Consequenter considerandi canones de obligationibus, sive Vicarii, sive Praefecti Apostolici cuiuscumque. *Can. 299. Vicarii Apostolici*, non vero Praefecti, quia omittuntur, secus ac consuetum est, *obligatione* gravi *tenentur Sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli*, scilicet: Basilicas S. Petri et S. Pauli extra moenia *visitandi eadem prorsus lege*, proinde iuxta huius explicationem tradendam tum quoad tempus tum quoad alias eiusdem legis circumstantias v. gr. ut « et Romano Pontifici se sistant », *qua Episcopi residentiales* obligantur *ad normam can. 341;* favorabili concessione facta illis peculiariter, scilicet: *cui tamen muneri*, idest: obligationi periodice adimplendae cum conditione contingenti: *si quid* (notetur) *graviter obstet* singulis vicibus, praecise ne *per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per procuratorem etiam in Urbe degentem.* Aliter praescribit Episcopis residentialibus can. 342, quando casus heic positus accidat.

317. **Relatio Vicariatus ac Praefecturae Aplcae.** — Cum illa obligatione valde connexa est alia, quam Vic^is^. et Praef^s^.

Aplcis. communem exprimit *can. 300. § 1. Ad normam can. 340* adhuc exponendi, *Vicarii ac Praefecti Apostolici tenentur* gravi *obligatione Sedi Apostolicae*, idest: S. Congregationi de Prop. Fide *exhibendi plenam* quoad obiecta *accuratamque* circa veritatem eorum quae asseverantur *relationem de suo quisque pastorali officio* circa ipsius facilitatem vel difficultates, dubia, etc. *deque omnibus quaecumque* a) *ad statum vicariatus vel praefecturae* tum materialem tum spiritualem, b) *ad missionarios* quoslibet ut tales, c) *ad religiosos* respectu eorum status, d) *ad populi disciplinam* moralem ac ecclesiasticam, e) *ad scholarum* propriarum praesertim vel extranearum *frequentiam* per subditos, f) *ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertineant;* unde praeter primum et ultimum generale ad quatuor capita particularia reducuntur, quae referenda sunt; et de qualitatibus relationis subinfertur: *quae relatio* primum *scripta esse debet*, secundo vero *et subscripta* a duabus personis, scilicet: *tum ab ipso Vicario aut Praefecto* cuius interest, *tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can. 302 ;* nimirum iuxta illud: « in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum » (Deut. XIX, 15). - Praeter hanc ampliorem peragenda frequentius brevior relatio praescribitur in § 2. *Imo etiam*, seu praeter illam relationem statis temporibus praescriptam, *sub cuiusque anni exitum*, id est versus illius finem vel quamprimum initio sequentis,*ad Sanctam Sedem* hoc est ad S. Congr. de Prop. Fide *mittant elenchum seu numerum* a) *conversorum* forsitan ex acatholicis quoque sectis, b) *baptizatorum*, tum adultorum tum parvulorum, ac distincte infantium derelictorum vel emptorum ab infidelibus parentibus, c) *annuaeque Sacramentorum*, praesertim poenitentiae, communionis, etiam per modum viatici ac extremae unctionis, sed etiam matrimoniorum, confirmationum et ordinationum *administrationis*, et haec sufficiunt in specie d) *una cum aliis notatu dignioribus* pro illorum prudenti iudicio. Hae obligationes sunt erga Summum Pontificem cuius potestatis sunt in eorum officio participes.

318. **Residentiae obligatio.** — Obligationum erga territorium eis commissum et subditos generalem conditionem exhibet *can. 301. § 1. In regione sibi commissa* vi nominationis in Vicarium aut Praefectum apostolicum *commorentur*, id est resideant personaliter, *a qua* « regione » a) *sine gravi* primum, simul *et ur-*

genti causa, quae moram proinde non patiatur proportionatam, b) *per notabile tempus* prudenter dimetiendum *abesse ne liceat*, (infra illud, aut ex praedicta causa, obligatio residentiae non urget), c) *inconsulta Sede Apostolica*, cuius consilium expectare oportet ob reverentiam. - Qualitatem commorationis praescribit § 2. *Regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus* ex causa prudenter per ipsos diiudicanda, *debent* ex praecepto *ipsi per se vel*, tantum *si legitime impediti fuerint* quodcumque ob motivum physicum vel morale eos excusans, *per alium visitare eaque omnia in visitatione expendere, quae ad fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, praedicationem Verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, iuventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur.* Octo enuntiantur expendenda, sub ultimo tamen intelligi potest similis Episcoporum obligatio. Nec respicit canon necessitatem adeundi aliquem territorii locum causa negotii cuiusdam vel ministrandae confirmationis de qua est canon. 785.

319. **Consilium missionariorum.** — Quia in Sapientialibus libris legimus [1]: « salus autem, ubi multa consilia, et ne innitaris prudentiae tuae, et cum sapientibus et prudentibus tracta », valde prudenter statuit *can. 302. Constituant*, quod dicitur praeceptive, *Consilium* ad similitudinem consiliariorum dioecesanorum a) *ex tribus saltem* b) *antiquioribus*, eo quod in multis annis experientia est adaucta, *et* c) *prudentioribus missionariis*, quia de agendis iudicare debent, *quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant*, idque sufficit; sed praescriptum est solummodo *in gravioribus et difficilioribus negotiis*, quatenus de ipsorum gravitate vel difficultate absque dubio eis constabit. Huiusmodi negotium est de quo statuit S. Congr. de Prop. Fide in sua Instructione « Cum a pluribus » [2] n. 2). « Prae oculis in primis habeant Vicarii et Praefecti Apostolici, in erigendis quasi-paroeciis, utilitatem animarum et quibus incrementis res catholica in suis regionibus adoleverit. Res hinc serio examinetur, audita, ad normam can. 302, Consiliariorum sententia, vel etiam praecipuorum Missionariorum in congressu adunatorum, prout in can. 303 statuitur ».

[1] Prov. XI, 14-III, 5 - Eccli. IX, 21.
[2] 25 Jul. 1920. CO. XII, 332.

320. **Coadunatio eorum.** — Rationibus allatis pro canone nunc commentato innititur quoque *can. 303. Prout siverit opportunitas* quoad electionem missionariorum ac praecipue temporis, *missionarios saltem praecipuos* ex qualitatibus secundum fines in canone expressos, vel etiam alios missionarios pro posse *tum religiosos tum saeculares* (sine cleri acceptione diversi) *proprii territorii congregent semel saltem in anno* ex obligatione, *ut possint ex singulorum experientia* circumstantiarum *et consilio* quoad singulorum prudentiam *deducere quae sint ordinanda perfectius.* Quod cum semper fieri possit ob humanam fragilitatem, non queunt praetexere bonam Vicariatus seu Praefecturae ordinationem, quin teneantur singulis annis quidquam novi ordinare.

321. **De archivo et Conciliis.** — Peculiaria eorum Praelatorum officia continent qui sequuntur tres canones memoriae infigendi pro opportunitate, videlicet: de archivo ac Conciliis, de ordinandis indigenis, de missa pro populo applicanda.

Can. 304. § 1. Legibus quae proinde plures *de archivo constituendo* etiam quoad conservationem ac usum illius *Episcopis praescribuntur* in can. 375 et seqq., *etiam Vicarii et Praefecti Apostolici*, non absolute sed *habita locorum personarumque ratione*, quoad circumstantias in illis expressas, *aeque tenentur* i. e. prout Episcopis praescribitur, saltem quoad substantiam. Hic patet quare S. Congr. de Prop. Fide absolute statuit: « 5) Huius Decreti (de erectione quasi-paroeciae) bina exemplaria conficiantur, quorum unum in archivo Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae, alterum in novae erectae quasi-paroeciae actis adservetur »[1].

§ 2. *Pariter quae de Conciliis plenariis et provincialibus can. 281-291*, scilicet omnibus capitis praecedentis, excepto ultimo de conferentiis Episcoporum, *praescribuntur, applicari debent, congrua congruis referendo*, i. e. aptando congruenter territoriis quae mutanda erunt, *Conciliis plenariis* iuxta definitionem tunc datam, et vocatis congruentius *vel regionalibus, et provincialibus* (prout illis vel his magis consona sint) Concilia celebranda *in regionibus Sacrae Congregationi de Prop Fide subiectis;* item applicanda praedicto modo *quae de Synodo*

[1] Instr. « Cum a pluribus » 25 Jul. 1920. CO. XII, 332.

dioecesana can. 356-362, hoc est in toto Capite III sequentis Tituli, *Synodo Vicariatus Apostolici;* quibus normis fit partialis derogatio atque modificatio, dum adiungitur: *sed nullum est praefinitum tempus pro Concilii provincialis et Synodi celebratione*, unde illae normae sunt applicandae, casu dato celebrationis Concilii et Synodi; *et* illius celebratione posita, dicitur; *canones Conciliorum* tantummodo, sive regionalium, sive provincialium, non Synodi constitutiones, *antequam promulgentur, recognosci debent a Sacra Congregatione de Prop. Fide*, cum in can. 291 iubeatur pro aliis provinciis ecclesiasticis hanc recognitionem a Sacra Congregatione Concilii perficiendam.

322. **Indigenae ac incolae ad sacerdotium promovendi.** — Quod iam Clemens IX in sua C. « Speculatores »[1] optarat, necnon Leo XIII in ep. encycl. « Ad extremas Orientis »[2], atque S. Congr. de Prop. Fide saepius inculcavit, praescribit hoc modo *can. 305. Studiosissime curent* i. e. maxima cum diligentia, *onerata graviter eorum conscientia*, proinde ad illud serio obligantur, *ut ex christianis indigenis*, h. e. ibidem natis atque forsan ibi educatis, *seu incolis suae regionis*, idest ibi domicilium habentibus iuxta can. 91, 92, non sine delectu, sed *probati clerici instituantur ac sacerdotio initientur.* Quapropter Vicarii et Praefecti Apostolici possunt conscientiae pace frui, si adhibentes media, quae ipsis serio volentibus prudentia dictet, nec unum clericum sacerdotio dignum iudicent ad normas sacrorum canonum, proindeque nec ad illum ordinem promoveant.

323. **Applicatio missae pro populo.** — *Can. 306. Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent* non « omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto etiam suppressis», quemadmodum Episcopi residentiales debent vi can. 339, § 1, sed taxative atque omnino *saltem*, quia urget praeceptum, solummodo *in solemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Ioseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, servato praescripto canonis 339, §§ 2 et seqq.* tunc commentando, et quod praescriptum respicit qualitatem ac circumstantias servandas huius ap-

[1] 13 Sept. 1669. — [2] 24 Iun. 1893.

plicationis. Enumerantur ergo duo tantum dies dominici sollemnitatum Paschatis et Pentecostes, et omnes ceteri dies festi de praecepto ex Codice in can. 1247, § 1 [1], excluso festo Circumcisionis die prima Ianuarii. Et haec est nova obligatio pro eis.

Can. 307. - § 1. Ipsis non licet, inconsulta Sede Apostolica, concedere missionariis ab ea missis veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut praefecturam, vel alio transeundi, nec eos quoquo modo expellere.

§ 2. In casu autem publici scandali possunt ipsi, audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede.

Can. 308. - Vicariis et Praefectis, charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae ius concedit Episcopis titularibus; si autem charactere episcopali careant, habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum apostolicorum de numero participantium.

Can. 309. - § 1. Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint, deputent ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum idoneum, nisi Coadiutor cum futura successione a Sancta Sede datus fuerit.

§ 2. Pro-vicarius aut Pro-praefectus nullam habet, vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuerit ab eodem sibi commissa; sed deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita ad normam can. 429, § 1, totum debet regimen assumere et in hoc munere permanere, donec a Sancta Sede aliter fuerit provisum.

§ 3. Pari modo Pro-vicarius aut Pro-praefectus, qui titulari successerit, statim deputet ecclesiasticum virum, qui sibi, ut supra, in munere succedat.

§ 4. Si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari uti administrator fuerit designatus, tunc senior in vicariatu vel praefectura, is, nempe, qui sit praesens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit, censetur delegatus a Sancta Sede ut regimen assumat, et inter plures aeque seniores antiquior sacerdotio.

Can. 310. - § 1. Ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309, ii debent quamprimum certiorem facere Apostolicam Sedem.

§ 2. Interim uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can. 294, sive delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat, nisi commissae fuerint ob industriam personae.

Can. 311. - Qui vicariatui vel praefecturae apostolicae ad certum tempus praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit.

324. **De recessu missionariorum.** — *Can. 307. § 1. Ipsis non licet, inconsulta Sede Apostolica*, quod consilium accipi potest pro uno vel pluribus casibus, I° *concedere missionariis ab ea missis* saltem per S. Congr. de Prop. Fide, *veniam in per-*

[1] Can. 1247. § 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

petuum a) *deserendi vicariatum aut praefecturam* b) *vel alio transeundi* definitive, possent tamen eis missionariis alterutrum licite permittere ad tempus; additque canon: II° *nec eos* supra dictos missionarios *quoque modo expellere.* - Exceptionem iustam huius regulae continet § 2. *In casu autem publici scandali possunt ipsi*, 1m *audito suo Consilio* de quo dictum est in can. 302, etsi non consentiente, *et* 2m *si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore*, quamvis non sit expectanda eius responsio, *missionarium* quemcumque *statim removere* etiam a Vicariatu vel Praefectura; sed tunc adimplendum quod subditur 3m: *facta tamen illico certiore Apostolica Sede* idest: Sacra Congr. de Prop. Fide vel Summo Pontifice, atque ita poterit satisfieri recursui, si quem porrigat Superior religiosi, ac etiam Praelati supradicti non praepropere quid tale decernent.

325. **Iura honorifica.** — *Can. 308. Vicariis et Praefectis*, a) *charactere episcopali auctis*, forsan non decorandis ratione Praefecturae, *privilegia honorifica competunt, quae ius concedit Episcopis titularibus*, discenda ex Codice in can. 349, § 1; b) *si autem charactere Episcopali careant* fortassis nondum consecrati, *habent tantum*, cum limitatione duplici, nempe: *durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium.* Quae recensentur in Pii X motu propr. « Inter multiplices »[1]. Inter insignia visum est haec referre: « 3. ... habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum* atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur », quorum postremus talis tenoris est: « Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem rubini coloris, sine Cruce vel Mitra ». - « 4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus ». - « 5. ... Mitra et quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus,... extra Curiam uti,... sed ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum ».

[1] 21 Febr. 1905, num. 3-10 et 16-18. Acta S. Sedis XXXVII, pag. 493 et seq.

- « 8. Crux pectoralis, ab ipsis in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico rubini coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato ». - « 9. Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. (I, XVII, nn. 2 et 3); nec alia Mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt ». - Demum de privilegiis duo memorari sufficiat, quae innuit n. « 11. ... facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum interfuerunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis (propriae domus, vel alienae tali fruentis privilegio aplco), sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri ».

326. **Regiminis non defuturi provisio.** — *Can. 309. § 1. Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint,* una ergo ex primis provisionibus sit: *deputent ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum* quamvis indigenam vel incolam sed *idoneum, nisi Coadiutor* (notetur bene) *cum futura successione a Sancta Sede datus fuerit;* tunc enim deputare non tenentur, ac inutiliter deputarent, prout statim patebit.

§ 2. *Pro-vicarius aut Pro-praefectus* vi deputationis praedictae *nullam habet*, a) *vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuerit ab eodem sibi commissa* proindeque delegata; b) *sed deficiente Vicario aut Praefecto* per mortem aliamve ob causam, c) *vel eorum iurisdictione* « per captivitatem, relegationem, exilium, aut inhabilitatem ita *impedita* ut ne per litteras quidem cum subditis communicare ipse (Vicarius aut Praefectus aplcus) possit », hoc est *ad normam can. 429, § 1* ibi explicandam, I° *totum debet regimen assumere* vi illius deputationis huiusque canonis, II° *et in hoc munere* Pro-vicarii et Propraefecti actu *permanere*, III° *donec a Sancta Sede aliter provisum fuerit*, saltem iuxta canones: exhibitis nempe litteris a novo Vicario et Praefecto aplco., nisi aliter provideatur extraordinarie. - Quod § 1° fuit praescriptum, extendit § 3. *Pari modo Provicarius aut Pro-Praefectus, qui titulari successerit* in regimine saltem exercendo, *statim deputet ecclesiasticum virum* idest: « ex alterutro clero » ut in §° 1°, nec indigena vel incola idoneus excluditur, *qui sibi, ut supra* § 2 *in munere*, fortassis « ad normam can. 429, § 1 » *succedat.*

Enimvero « incertae sunt providentiae nostrae », ut ait Scriptura; merito propter hoc additur § 4. *Si forte contingat ut nemo sive a titulari*, ut iubet § 1, *sive a pro-titulari* ex iussu § 3 *uti administrator fuerit designatus*, *tunc senior in vicariatu vel praefectura*, et explicatur sensus in quo accipienda sint verba: « senior » et « in vicariatu vel praefectura », subiungente canone: *is*, *nempe*, cleri saecularis vel religiosi, non autem indigena vel incola, sed « missionarius », nam sic declaratur: *qui* non solum vicariatui vel praefecturae adscriptus fuerit, sed a) *sit praesens in territorio* illius, *et* b) *suas destinationis litteras*, non ut missionarius cuiuscumque territorii, sed *in eodem prius exhibuerit*, non ergo senior aetate vel alia de causa diversa; ille *censetur delegatus a Sancta Sede ut regimen assumat*, *et inter plures aeque seniores* sensu explicato, si adsint, c) *antiquior sacerdotio*, quod omnibus commune erit.

327. **Facultates eorum ad quos pervenit regimen.** — De potestate ac facultatibus praedictorum, quia nihil praecessit determinatum, disponit *can. 310*. § *1*. *Ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309* in omnibus eius paragraphis, *ii debent quamprimum certiorem facere Apostolicam Sedem*, idest: S. Congregationem de Prop. Fide, et sic dependentiam ostendunt ab ea, quae disponere poterit, quidquid censuerit opportunius.

§ 2. *Interim*, et adhuc post certiorationem, ob Sanctae Sedis tacitum consensum, *uti possunt omnibus facultatibus* a) *sive ordinariis ad normam can. 294*, b) *sive delegatis*, *quibus Vicarius vel Praefectus pollebat*, *nisi commissae fuerint* i. e. delegatae *ob industriam personae*. - Cum autem in § 4 can[s]. praec[s]. dicatur de seniore quod « censetur delegatus a Sancta Sede », et in hoc dicatur, eumdem « uti posse omnibus facultatibus ordinariis ad normam can. 294 »; quaeri potest an in ipso hae facultates sint adhuc ordinariae vel delegatae? - Respondeo dicendum: esse in eo delegatas a Sancta Sede, de quibus loquitur can. 199, § 2; quia « censetur » non designatus, electus, nominatus, etc. « a Sancta Sede » ut regimen assumat, sed « delegatus » cuius propria significatio excludit ordinariam iurisdictionem; et norma can. 294 citata designat facultates iure collatas Vicario Praefectove Apostolico, quae igitur consequenter sunt in eis ordinariae, eo quod habeant hi officium Vicaria-

tus et Praefecturae Apostolicae ad normam can. 197, § 1, cuius canonis heic nulla fit mentio, immo dicitur eum « uti posse facultatibus » illis per citationem designatis, sed ut est « delegatus a Sancta Sede » (can. praec. § 4); quae omnia sic bene ad invicem concordant.

328. **Praepositus ad certum tempus.** — De quibusdam casibus in toto Cap. VIII non praevisis, et de termino praedictae gestionis in duobus praecedentibus can^s^., statuit *can. 311. Qui vicariatui vel praefecturae apostolicae ad certum tempus praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis*, ordinariis ergo ex se ac delegatis, *permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possesionem ceperit* ad normam can. 293, § 2 aut aliam pro casu iniunctam.

Circa terminum facultatum, quas ille obtinet delegatas vi cuiuslibet formulae ex quinque S. Congr^s^. de Prop. Fide, reminisci oportet finalis « animadversio III » in singulis: « Quod si forte *ex oblivione* (fortassis habitualiter) *vel inadvertentia* in actu ponendo propter quodlibet motivum ultra tempus supra (in initio additum manu) definitum, seu ultra.. hisce *facultatibus* Ordinarium (non alium ab hoc subdelegatum) uti contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde (per alios quoque subdelegatos) impertitae uti ratae atque validae habeantur, (Supplet enim tunc iurisdictionem S. Congregatio). Insuper *datis* (per subscriptionem ac missionem, ad ipsum quod spectat) ab Ordinario (etiam Pro-Vicario aut Pro-praefecto., aut ab illo « ad quem vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309 » ex clausulae interpretatione iuxta mentem S. Congr^s^.) *precibus pro renovatione* seu prorogatione earundem facultatum, *ipsae* (ut inveniuntur in cessante quoad vigorem formula) in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum S. Congr^s^. ad eundem (ratione territorii, quamvis successorem) Ordinarium (de facto) pervenerit ».

CAPUT IX.

De Administratoribus Apostolicis.

Can. 312. - Dioecesis canonice erectae regimen, sive plena, sive vacante sede, aliquando Summus Pontifex ob graves et speciales causas Administratori Apostolico vel in perpetuum vel ad tempus committit.

Can. 313. - § 1. Quilibet Administrator Apostolicus, si datus fuerit dioecesi, sede plena, canonicam administrationis possessionem init, ostendens litteras suae nominationis tum Episcopo, si sit mentis consi-

liique compos et in dioecesi versetur, tum etiam Capitulo, ad normam can. 334, § 3.

§ 2. Si sedes fuerit vacans, vel si Episcopus non sit mentis consiliique compos, aut in dioecesi non moretur, Administrator Apostolicus possessionem sumit ad instar Episcopi secundum cit. can. 334, § 3.

CAN. 314. - Iura, officia ac privilegia Administratoris Apostolici desumantur ex litteris suae deputationis, vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse, ex praescripto canonum qui sequuntur.

CAN. 315. - § 1. Administrator Apostolicus permanenter constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur, ac Episcopus residentialis.

§ 2. Si ad tempus datus sit:

1º Eadem iura ac officia habet, ac Vicarius Capitularis; sed, sede plena, potest, dioecesim visitare ad tramitem iuris; nec tenetur obligatione applicandae Missae pro populo, quae Episcopum gravat;

2º Ad honorifica privilegia quod attinet, valeat praescriptum canon. 308; sed Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium honorifica privilegia competunt.

CAN. 316. - § 1. Si administrator Apostolicus dioecesi, sede plena, praeficiatur, iurisdictio Episcopi eiusque Vicarii Generalis suspenditur.

§ 2. Quanquam autem Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest, non debet tamen se immiscere causis Episcopum ipsum spectantibus, neque in Vicarium eius Generalem iudicium seu processum instruere aut animadvertere ob acta praeteritae administrationis.

CAN. 317. - Si impedita fuerit iurisdictio Administratoris Apostolici aut si idem Administrator defecerit, Sedes Apostolica statim moneatur; et interim, si dioecesis vacet aut Episcopus non sit sui compos, valent praescripta can. 429 seqq.; secus Episcopus dioecesim regit, nisi Sedes Apostolica aliud praestituerit.

CAN. 318. - § 1. Administratoris Apostolici iurisdictio Romani Pontificis aut Episcopi obitu non cessat.

§ 2. Cessat vero cum Episcopus dioecesis vacantis possessionem legitime ceperit ad normam can. 334, § 3.

329. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Vicariis et Praefectis Apostolicis similes sunt in participatione supremae potestatis ecclesiasticae illi, qui dioecesi canonice erectae quandoque praeficiuntur: hinc subsequens *cap. IX* inscribitur *De Administratoribus Apostolicis*, qui cum Apostolicae Sedis potestate ministerium exhibent in regimine dioecesium. - Tum nominatio tum eorum administrationis initium exhibentur in can. 312 et 313, de iuribus, officiis ac privilegiis diversorum huiusmodi Administratorum definiunt can. 314, 315, de relationibus inter Administratorem ac Episcopum Vicariumve generalem, si adsint, agunt can. 316, 317, atque ultimus can. 318 de modis cavet, quibus cessat vel secus Administratoris munus.

330. **Constitutio Administratoris Apostolici.** — *Can. 312. Dioecesis canonice erectae*, « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura *nullius* » (can. 215, § 2), *regimen*, a) *sive plena*, b) *sive vacante sede*, *aliquando Summus Pontifex*, « cui soli hoc

competit »[1] ratione Primatus atque in vigenti quoque post Codicem disciplina. Etenim « cum Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Statibus haec dubia definienda proposuisset, scilicet: - 1) utrum dispositiones particulares Concilii plenarii Baltimorensis, quoad ius nominandi administratorem dioecesis, sede vacante, adhuc vigeat; an per novum Codicem abrogatae sint: - Emmi Patres Codici interpretando praepositi, die 24 Novembris 1918 responderunt: Ad I^{m}. negative ad primam partem; affirmative ad secundam »[2]. - Sequitur in canone: *ob graves et speciales causas*, non enim contra legum ordinem, ast saltem nonnisi prudenter agere oportet. *Administratori Apostolico* propter ipsius constitutionem a Sede Apostolica a) *vel in perpetuum* b) *vel ad tempus committit* per S. Congr. Consistorialem « ad quam spectat illos constituendos proponere » (can. 248. § 2). Imo in eadem « ad Congressum pertinet,... nominare Administratores Apostolicos temporarios dioecesum, ubi necessitas urgeat »[3]. Hinc notio, causae institutionis et distinctiones Administratoris Apostolici, nempe: 1° sede plena et sede vacante, 2° in perpetuum, aut ad tempus datus. Administrator igitur Apostolicus est: « Praelatus cui dioecesis canonice erectae regimen aliquando Summus Pontifex ob graves et speciales causas committit ».

331. **Canonica administrationis possessio.** — *Can. 313. § 1. Quilibet Administrator Apostolicus, si datus fuerit dioecesi, sede plena*, tum in perpetuum tum ad tempus, *canonicam administrationis possessionem init, ostendens litteras suae nominationis* necessarias a) *tum Episcopo*, sub conditione duplici, 1° *si sit mentis consiliique compos* 2° *et in dioecesi versetur*, b) *tum etiam Capitulo, ad normam can. 334, § 3*, qui statuit de possessione capienda per Episcopum residentialem. - Sed si aliqua ex conditionibus deficiat, claritatis causa subditur § 2. *Si* a) *sedes fuerit vacans*, casus non consideratus in praecedenti. b) *vel si Episcopus non sit mentis consiliique compos*, defectus primae conditionis in praecedenti §°, c) *aut in dioecesi non moretur*, en defectus alterius conditionis, *Administrator Apostolicus possessionem sumit ad instar Episcopi* residentialis *secundum cit. can. 334, § 3* suo tempore explicandum.

[1] Cap. 41 « de electione et electi potestate » tit. VI, Lib. I, in 6°.
[2] S. Congr. Consists. 22 Febr. 1919, CO. XI, 75.
[3] Ordo servandus... Pars II, Cap. VII, Art. II, n. 7°.

332. **Regula generalis iurium, officiorum ac privilegiorum.** — *Can. 314. Iura*, nempe: spirituales potestates regiminis, ministerii atque administrationis rerum, *officia*, id est: obligationes ad plures actus ex munere, *ac privilegia*, scilicet: tum honoris, quae iura constituunt honorifica, tum legum generalium favorabiles exceptiones *Administratoris Apostolici* cuiuscumque *desumantur* a) *ex litteris suae deputationis*, b) *vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse*, quo supposito eaedem praevalent, *ex praescripto canonum qui sequuntur.*

333. **Iura officia et privilegia sub distinctione Administratoris Apostolici.** — In cap. 42 « de electione et electi potestate » in 6° (I. 6) Bonif. VIII decrevit: « Is, cui procuratio seu administratio cathedralis ecclesiae, plena et libera in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica (cui soli hoc competit) est commissa: potest, alienatione bonorum immobilium dumtaxat excepta, omnia, quae iurisdictionis episcopalis existunt, et quae potest electus exsequi confirmatus, libere exercere. - Illa quippe, quae ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat episcopos expediri ». Huic iuri, omissa exceptione circa bonorum alienationem, congruit *can. 315.* § 1. *Administrator Apostolicus permanenter*, ut supra dicitur: in perpetuum *constitutus iisdem iuribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus* etiam « visitandae dioecesis » (can. 343, § 1), et « Missam pro populo sibi commisso applicare » (can. 339, § 1) *tenetur, ac Episcopus residentialis.* Hinc « huiusmodi (Administrator Apostolicus) beneficia (et officia) quae ad collationem pertinent Episcopi, conferre potest » [1]. Praedicta iura et obligationes in Tit[i]. sequentis cap. I inveniemus explicanda. - § 2. *Si ad tempus datus sit*: - *1° Eadem iura ac officia habet, ac Vicarius Capitularis*, de quo in can. 435-442 et seq[s].: *sed, sede plena*, a) *potest* seu ius habet, quod supponitur deesse Vicario Capitulari, *dioecesim* a se administratam *visitare ad tramitem iuris* quoad praescriptiones servandas in peragenda visitatione inveniendas in can. 343-346; quin « teneatur Episcopi obligatione » (can. 343), dum adiungit Codex b) *nec tenetur*, tanquam altera prius saltem implicite denegata *obligatione applicandae Missae pro populo, quae Epis-*

[1] Cap. 4 « de supplenda negligentia Praelatorum » in 6° (I, 8).

copum gravat. Et cum de ista dicatur in can. 339, § 4 « si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium », sequitur quod « si Episcopus non sit mentis consiliique compos », procurator bonorum eiusdem teneatur ad hoc alteri stipendium praebere. A sensu ergo contrario, seu quia exceptio firmat regulam in contrarium, praedicta obligatio « Episcopum non gravat », si « Administrator Apostolicus (non ad tempus sed) permanenter (sit) constitutus » (§ 1), quem diximus hac obligatione teneri. - 2° *Ad honorifica privilegia quod attinet, valeat praescriptum can. 308* iam cognitum de Vicariis et Praefectis Aplcis., sive episcopali charactere auctis, sive non; *sed Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem*, uti videbimus in can. 430, § 3, 2°, *in hac quoque omnia Episcoporum residentialium honorifica privilegia* i. e. quae honores aut insignia respiciunt, etiam quatenus excedunt Episcoporum titularium « honorifica privilegia », eidem « Episcopo » *competunt.*

334. **Relationes iurisdictionis cum Episcopo ac Vicario generali.** — *Can. 316.* § 1. *Si Administrator Apostolicus dioecesi, sede plena, praeficiatur, iurisdictio Episcopi eiusque Vicarii generalis suspenditur*, non censura, sed prohibitione.

§ 2. *Quanquam autem Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest*, eo quod illius iurisdictio sit in eodem gradu ac Episcopi suspensa iurisdictio, et ab eodem non accepta, *non debet tamen* a) *se immiscere causis Episcopum ipsum spectantibus*, b) *neque in Vicarium eius generalem iudicium seu processum instruere aut animadvertere*, i. e. punire saltem poenitentiis, *ob acta praeteritae administrationis.* Seu quod idem est, in his actis Vicarius generalis, et Episcopus in sui ipsius causis eidem Administratori Apostolico non subiiciuntur.

335. **Casus iurisdictionis Administratoris Aplci. impeditae aut cessantis.** — *Can. 317. Si* a) *impedita fuerit iurisdictio Administratoris Apostolici* ad normam can. 429, §§ 1, 5, ibi explicandam, b) *aut si idem Administrator defecerit* morte, temporis expiratione, *Sedes Apostolica statim moneatur;* non dicitur a quo, sed videtur id peragendum ab eo qui regimen dioecesis assumit ex sequentibus, videlicet: *et interim,* a) *si dioecesis vacet* b) *aut Episcopus non sit sui compos, valent*

praescripta can. 429 seqq. videlicet: capitis VII in Titulo seq. inscripti: « De sede impedita aut vacante et de Vicario Capitulari », in quibus agitur quoque de praedicta monitione, c) *secus* i. e. Episcopo existente sui compote, hic *Episcopus dioecesim regit, nisi Sedes Apostolica aliud praestituerit*, hoc est praevie seu in antecessum statuerit.

336. **Ordinarius modus quo cessat illius iurisdictio.** — *Can. 318.* § 1. *Administratoris Apostolici* cuiuslibet *iurisdictio Romani Pontificis*, cuius est derivatio, *aut Episcopi*, qui fortassis fuit ei occasio, *obitu, non cessat*, nisi cum tali obitu expiret tempus ad quod datus fuit Administrator Aplcus.

§ 2. *Cessat vero cum Episcopus dioecesis vacantis* proinde novus *possesionem legitime ceperit ad normam can. 334*, § 3.

CAPUT X.

De Praelatis inferioribus.

Can. 319. - § 1. Praelati qui praesunt territorio proprio separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet.

§ 2. Abbatia vel praelatura *nullius*, tribus saltem paroeciis non constans, singulari iure regitur, nec eidem applicantur quae canones statuunt de abbatiis vel praelaturis *nullius*.

Can. 320. - § 1. Abbates vel Praelati *nullius* nominantur et instituuntur a Romano Pontifice, salvo iure electionis aut praesentationis, si cui legitime competat; quo in casu ab eodem Romano Pontifice confirmari aut institui debent.

§ 2. Assumendi ad abbatiam vel praelaturam *nullius* iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas ius in Episcopis requirit.

Can. 321. - Si cui collegio est ius eligendi Abbatem vel Praelatum *nullius*, ad validam electionem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari iure quod maiorem suffragiorum numerum exigat.

Can. 322. - § 1. Abbas vel Praelatus *nullius* nequit quovis titulo sive per se sive per alios in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere, antequam eiusdem possessionem ceperit, ad normam can. 334, § 3.

§ 2. Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant.

Can. 323. - § 1. Abbas vel Praelatus *nullius* easdem potestates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.

§ 2. Si charactere episcopali non sit ornatus et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, praeter alia munera quae in can. 294, § 2 describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare.

§ 3. Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem, serventur praescripta can. 366-371.

Can. 324. - Capitulum religiosum abbatiae vel praelaturae *nullius* regitur propriis legibus ac constitutionibus; Capitulum saeculare, iure communi.

Can. 325. - Abbas vel Praelatus *nullius*, licet charactere episcopali careat, utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno ac baldachino et iure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi; crucem autem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre.

Can. 326. - Si praelatura saecularis Capitulo careat, eligantur consultores ad normam can. 423-428.

Can. 327. - § 1. Abbatia vel praelatura *nullius* vacante, si agatur de abbatia vel praelatura religiosa, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant; si de saeculari, Capitulum canonicorum; utrumque autem Capitulum intra octiduum debet Vicarium Capitularem deputare ad normam canonis 432 seqq., qui abbatiam vel praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem.

§ 2. Abbatia vel praelatura impedita, servetur praescriptum can. 429.

Can. 328. - Circa Romani Pontificis Familiares, sive praelati titulo gaudeant, sive non, standum privilegiis, regulis et traditionibus pontificiae Domus.

337. **Inscriptio capitis.** — Remanet explicandum *Caput* X inscriptum *De praelatis inferioribus*, veluti gradum postremum obtinentibus inter eos « qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent » iuxta can. 110. Hi accensentur huic Titulo, quia ex iure ecclesiastico a Romano Pontefice condito eorum constat officium et iurisdictio derivatur.

In Opere Bened. XIV - De Synodo dioecesana -[1]: « tres distinguimus inferiorum Praelatorum species. - II. Prima est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius Ecclesiae, monasterii seu conventus, cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Eiusmodi sunt Superiores Regulares, et nonnulli Praelati saeculares qui una cum Ecclesia, eiusque Ecclesiae clericis, et Administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici ». De his non intelligendum Caput, sicut patebit infra. - « III. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in Clerum, et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim, qua undique circumscribitur. Et huiusmodi Praelati improprie tantum, et lato quodam loquendi modo dicuntur esse Nullius ». Nec de his agitur in hoc loco, ut videbimus. - « IV. Tertia species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in Clerum, et populum alicuius loci, seu oppidi, aut plurium locorum et oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi; quapropter dicuntur constituere quamdam quasi dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae Ordinis Episcopalis sunt, omnia exercet, quae ceteroquin

[1] Lib. II, Cap. XI, n. 1 seqq.

ad episcopalem iurisdictionem pertinerent. Huius generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt; dicuntur vere et proprie Nullius; et veris annumerantur Ordinariis locorum ».

338. **Abbatis vel praelati nullius notio.** — De tertia specie Praelatorum agitur hic, nam definiens positos in inscriptione ait *can. 319.* § 1. *Praelati qui praesunt* a) *territorio proprio,* b) *separato ab omni dioecesi,* c) *cum clero et populo, dicuntur* α) *Abbates vel* β) *Praelati nullius, nempe dioecesis,* alterutra appellatione, *prout eorum Ecclesia dignitate* α) *Abbatiali vel* β) *simpliciter Praelatitia gaudet.* Unde Abbates nullius non dicuntur sic iure eo quod ad religiosum clerum pertineant. - Imo non de his omnibus agit Codex in hoc capite, propter id quod inquit § 2. *Abbatia vel praelatura nullius, tribus saltem paroeciis,* quae sufficiunt, *non constans,* a) *singulari iure regitur* pro illa vel similibus condito; propter quod b) *nec eidem applicantur* obligatorie aut favorabiliter, *quae canones statuunt de abbatiis vel praelaturis nullius.*

339. **Nominatio et institutio.** — Data notione, eorum institutionem et qualitates praevias tradit *can. 320.* § 1. *Abbates vel Praelati nullius* a) *nominantur* i. e. designantur b) *et instituuntur* nempe: illis Abbatia vel praelatura nullius confertur, *a Romano Pontefice, salvo* quoad designationem personae *iure* a) *electionis aut* b) *praesentationis, si cui legitime,* i. e. ad normam ss. canonum, *competat: quo in* alterutro *casu ab eodem Romano Pontefice* a) *confirmari aut* b) *institui* respective *debent.*

§ 2. *Assumendi ad abbatiam vel praelaturam nullius iisdem qualitatibus ornati esse debent, quas ius in Episcopis requirit,* et cognoscemus quando de Episcopis canones perscrutabimus. Hoc idem declarans decreverat Greg. XIV const. « Onus Apostolicae » [1], « excepta tamen aetate, circa quam nihil iuris praeexistentis innovavit ».

340. **Electionis suffragia necessaria.** — De electione autem cuius mentionem fecit § 1 est immediatus *can. 321. Si cui Collegio,* scilicet: personae morali vel eam repraesentanti, *est ius eligendi Abbatem vel Praelatum nullius,* notetur: *ad validam electionem requiritur* a) *numerus suffragiorum absolute maior,* et hic est casus exceptionis positae initio n[i]. 1, § 1, can. 101, et

[1] 15 Maii 1591, § 12.

numerus quidem suffragiorum validorum, additur enim: b) *demptis suffragiis nullis;* atque hic numerus saltem requiritur, posset enim adhuc maior requiri propter posteriorem canonis clausulam: c) *firmo peculiari iure*, legis, constitutionis, obligantis consuetudinis, *quod maiorem suffragiorum numerum* v. gr. duas ex tribus partibus *exigat.*

341. **Possessio capienda et benedictio suscipienda.** — Supposito legitimo titulo, videndum erat quo modo in plenam officii possessionem inducatur obtinens illud. Quod edocet *canon 322.* § 1. *Abbas vel Praelatus nullius nequit quovis titulo* scilicet: nomine aut motivo *sive per se sive per alios in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere*, potest vero in tali regimine canonice obtento perseverare, *antequam eiusdem possessionem ceperit, ad normam can. 334*, § 3 praescribentis modum quo « canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales ».

§ 2. *Abbates vel Praelati nullius*, non omnes, sed solum *qui* a) *ex praescripto Apostolico* in litteris provisionis, vel peculiari lege; atque subnectitur disiunctive: b) *vel ex propriae religionis constitutionibus*, si religiosus fuerit ille provisus de Abbatia vel Praelatura, vel melius si de religiosa Abbatia praelaturave nullius fuerit facta ei provisio, *benedici debent*, hoc nempe supposito alterutro, iussum est ut a) *intra tres menses a receptis litteris apostolicis* per eos, atque menses propter id computandos iuxta can. 34, § 3, n. 3°, b) *cessante legitimo impedimento*, non quocumque improportionato, proinde intra illud tempus utile iuxta can. 35 *benedictionem* c) *ab Episcopo, quem maluerint* etiam non proximiore, sed catholicam communionem cum Sede Aplca. habente eiusdemque ritus, latini orientalisve, *accipiant.* Inde revocatur quoad praedictos Abbates vel Praelatos benedicendos Rubrica Pontificalis Romani sub tit°. de benedictione Abbatis: « In primis benedicendus provideat de mandato Apostolico, benedictionem sibi impendendam Pontifici committente », cum vi canonis istius provisum sit de commissione benedictionis facta Episcopo quem benedicendus maluerit.

342. **Potestates ac obligationes.** — De iuribus et obligationibus Praelatorum inferiorum est conditus *can. 323.* § 1. *Abbas vel Praelatus nullius easdem potestates ordinarias*

Codice aliove iure communi concessas *easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus*, i. e, poenis, *habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi*, et quas in capite I Tit[i]. seq[s]. explicabimus. Et hoc praescriptum confirmat alterum can. 215 § 2. et congruit eidem praescripto can. 294, § 1 quoad iura et facultates Vicarii et Praefecti Apostolici absque ipsius limitatione.

§ 2. *Si charactere episcopali* ex consecratione *non sit ornatus*, hoc primo, nam si illo potiatur charactere ei dicenda competunt illamet de causa, praeterea secundo *et benedictionem, si eam recipere debet, receperit*, sub his duabus conditionibus (vel sub prima tantum, si benedictionem recipere non debet) *praeter alia munera quae in can. 294*, § 2 *describuntur*, iam tunc explicata, et quae possidet ex illo canone Vicarius et Praefectus Apostolicus, atque praesentis canonis extensione Praelatus inferior praefatus, qui *potest quoque ecclesias et altaria immobilia* ibidem non recensita impliciteque exclusa *consecrare*.

§ 3. *Quod attinet ad Vicarii generalis constitutionem, serventur praescripta can. 366-371*, nempe totius Art[i]. I. « De Vicario Generali » in Cap. IV Tit[i]. seq[s].

343. **Capitulum.** — De Capitulo, eo quod si cathedrale sit, senatum constituit Episcopi residentialis, subiungitur *can. 324. Capitulum religiosum* quando religiosis constat, *abbatiae vel praelaturae nullius regitur propriis legibus ac constitutionibus; Capitulum saeculare iure communi* « de capitulis canonicorum » ac personis moralibus.

344. **Iura honorifica.** — *Can. 325. Abbas vel Praelatus nullius, licet charactere episcopali careat, utitur tamen* sequentibus Episcoporum honorificis privilegiis: a) *in proprio territorio insignibus pontificalibus*, mitra, baculo, *cum throno et baldachino et iure ibidem* in qualibet etiam ecclesia *officia divina pontificali ritu celebrandi*, nempe: missarum solemnia, vesperas, matutinum cum laudibus, processiones, benedictiones; b) *crucem autem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum potest* non solum in proprio, sed *etiam extra territorium deferre*. Sic extensum est generaliter hoc

privilegium episcoporum de pileolo concessum a Pio IX per Aplcas. litteras [1] incipientes: « Ecclesiarum ».

345. **Coetus consultorum.** — Cum. in can. 327 sit tractandum de regimine Praelaturae inferioris exercendo dum haec vacat vel impeditur, et can. 427 praescribat: « ea quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt; - nomineque dioecesis in iure venit quoque praelatura vel abbatia nullius » ex can. 215, § 2; opportune praeponitur statuens *can. 326. Si praelatura saecularis Capitulo careat*, illi enim soli hoc accidere potest, *eligantur consultores ad normam can. 423-428.*

346. **Regimen Abbatiae vel Praelaturae vacantis aut impeditae.** — *Can. 327.* § 1. *Abbatia vel praelatura nullius vacante*, a) *si agatur de abbatia vel praelatura religiosa, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant*, quo supposito, illud servandum est; b) *si de saeculari, Capitulum canonicorum* saecularium; *utrumque autem Capitulum*, scilicet succedens Abbati vel Prelato nullius, salva proinde exceptione supraposita, *intra octiduum* ad normam can. 34, § 3, n. 3° *debet Vicarium capitularem deputare ad normam can. 432 seqq.* de illo Vicario statuentium, *qui abbatiam vel praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem* completam legitima possessione post confirmationem, si hac illi opus sit.

§ 2. *Abbatia vel praelatura impedita, servetur praescriptum can. 429* de sede diocesana impedita, et haec est recordatio can. 215, § 2.

347. **De aliis Praelatis Rom. Curiae.** — Ob capitis inscriptionem quoad genericum verbum, ultimus apponitur de praelatis honoris titulo et de aliis peculiaribus clericis *can. 328. Circa Romani Pontificis familiares, sive praelati titulo gaudeant*, de quibus Pius X in m. propr. « Inter multiplices » [2] *sive non* vocentur Praelati, *standum privilegiis*, quoad honores, insignia et canonum exceptiones *regulis* qualibet documenti forma conditis, *et traditionibus pontificiae Domus.*

[1] 17 Iun. 1867.
[2] 21 Febr. 1905, nn. 77-79.

TITULUS VIII.

De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant.

348. **Inscriptio tituli et ordo capitum.** — Ut vidimus in can. 108, § 3: « Ex divina institutione sacra hierarchia, ratione iurisdictionis constat, pontificatu supremo et Episcopatu, ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere ». Ratio ergo sapientis, cuius est omnia rite ordinare exigit ut Titulo de priore gradu illo ex ordinatione divina, cui connexi sunt iuxta eiusdem Tituli inscriptionem omnes alii, ex Ecclesiae institutione eidem accedentes, subsequatur *Titulus VIII. De potestate episcopali*, scilicet: de gradu altero sacrae hierarchiae ratione iurisdictionis, *deque iis qui de eadem participant* iure quidem ss. canonum ab Ecclesia conditorum. Haec participatio diverso sub respectu obtineri potest; inde petenda ordinata distributio Capitum tituli huius. - Videlicet; praemisso capite I « De Episcopis », et II « De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum » ad eorum quandoque iuvamen accidentaliterve concessis, sequatur Caput III « De Synodo dioecesana », in qua extraordinarie, quamvis ad praescriptum canonum quolibet stato tempore cogenda, Episcopus potestatem suam exercet: postea venit Caput IV « De Curia dioecesana » cum omnibus eius membris, quae Episcopum adiuvat in ordinario frequentique dioecesis regimine: huic Capiti subserviunt alii duo, V « de Capitulis canonicorum », quae sunt velut senatus Episcoporum in rebus regiminis gravioribus adiuvantes consiliis Episcopos; et VI « De consultoribus dioecesanis » idem munus exercentibus, ubi canonici non adsunt. - Potestas episcopalis semper necessaria est dioecesi, quapropter dum haec indefinite permanet, mortuo vel impedito Episcopo, ab aliqua persona physica vel morali legitime constituta est illa obtinenda; hinc cum in hac constitutione sit tributa pars non levior capitulo coetuive consultorum, optime subsequitur V° et VI° Caput VII « De sede impedita aut vacante et de Vicario Capitulari »: post haec, alii inferiores clerici potestatis episcopalis adiutores ac participes pro diversis partibus dioecesis erant considerandi, scilicet: Cap. VIII « De vicariis foraneis », qui sequentibus ex

Tit. VIII. De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant.

- — adnexa officio iuris divini, seu de Episcopis — Cap. I
- — in Episcoporum iuvamen accidentale, scilicet: de Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum — » II
- — pro universa dioecesi
  - — extraordinarie exercenda. De Synodo dioecesana — » III
  - — ordinarie —
    - — adiutorio. De Curia dioecesana — » IV
    - — consilio —
      - — De Capitulis Canonicorum — » V
      - — De consultoribus dioecesanis — » VI
- — Sede impedita aut vacante et de Vicario Capitulari — » VII
- — pro dioecesis partibus —
  - — potioribus. De Vicariis foraneis — » VIII
  - — minoribus —
    - — ut principales. De parochis — » IX
    - — ut secundarii. De Vicariis paroecialibus — » X
- — pro quibusdam ecclesiis. De rectoribus Ecclesiarum — » XI

iure praesunt, et Cap. IX « De parochis », qui omnes, et hi quidem stabiliter, potestatem ab Episcopo iuxta ss. canones susceperunt pro foro interno fidelium uniuscuiusque eorum territorii, vicariatus scilicet vel parochiae. Cap. X est de clericis pro adiutorio vel supplemento parochorum quandoque adhibitis, seu « de vicariis paroecialibus », et ultimum Caput XI « De ecclesiarum aliarum rectoribus », qui minus quam ceteri et forsitan solum in divinis officiis quoad externam politiam Episcopi vices obtinent.

CAPUT I.

De Episcopis.

CAN. 329 - § 1. Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis.

§ 2. Eos libere nominat Romanus Pontifex.

§ 3. Si cui collegio concessum sit ius eligendi Episcopum, servetur praescriptum can. 321.

CAN. 330. - Antequam quis in Episcopum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum.

CAN. 331. - § 1. Ut quis idoneus habeatur, debet esse:

Caput I. De Episcopis [1]

- notio ac nominatio — Can. 329
- constituendis —
  - necessaria idoneitas — » 330
  - qualitates — » 331
  - canonica provisio huiusque praeviae conditiones — » 332
- promotis consecrandis et accessuris ad dioecesim — » 333
- circa dioecesis regimen —
  - potestas in genere atque initium — » 334
  - triplex potestas — » 335
  - quoad leges ecclesiasticas — » 336
- quoad exercenda pontificalia — » 337
- obligationes —
  - residendi in dioecesi ac in ecclesia cathedrali — » 338
  - applicandae missae pro populo — » 339
  - quoad relationem super statu dioecesis — » 340
  - visitandi Sacra Limina —
    - quo anno — » 341
    - per quem — » 342
  - visitationis episcopalis —
    - quoad eius finem, et de illius tempore — » 343
    - personarum, rerum ac locorum — » 344
    - quoad formam — » 345
    - sub quibus conditionibus — » 346
- quoad ius praecedentiae — » 347
- titularibus — » 348
- quoad privilegia, insignia et alia iura — » 349

[1] Vide canones in pag. 337, 339, 354, 355, 356.

1º Natus ex legitimo matrimonio, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium;

2º Annos natus saltem triginta;

3º A quinquennio saltem in sacro presbyteratus ordine constitutus;

4º Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur;

5º Laurea doctoris vel saltem licentia in sacra theologia aut iure canonico in athenaeo aliquo vel in Instituto studiorum a Sancta Sede probatis, vel saltem earundem disciplinarum vere peritus; quod si ad religionem aliquam pertineat, a suis Superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habeat.

§ 2. Etiam electus, praesentatus vel quoquo modo ab illis designatus, qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere.

Can. 332. - § 1. Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque Gubernio necessaria est canonica provisio seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur.

§ 2. Ante canonicam institutionem seu provisionem candidatus, praeter fidei professionem de qua in can. 1406-1408, iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem edat secundum formulam ab Apostolica Sede probatam.

Can. 333. Nisi legitimo impedimento prohibeatur, promotus ad episcopatum, etiamsi S. R. E. sit Cardinalis, debet, intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere, et intra quatuor ad suam dioecesim pergere, salvo praescripto can. 238, § 2.

Can. 334. - § 1. Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis.

§ 2. In regimen tamen dioecesis neque per se neque per alios, nec ullo sub titulo sese ingerere possunt, nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint; sed si ante suam ad episcopatum designationem vicarii capitulares, officiales, oeconomi fuerint renuntiati, haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt.

§ 3. Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario Capituli vel cancellario Curiae, qui rem in acta referat.

Can. 335. - § 1. Ius ipsis et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda.

§ 2. Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur.

Can. 336. - § 1. Observantiam legum ecclesiasticarum Episcopi urgeant; nec in iure communi dispensare possunt, nisi ad normam can. 81.

§ 2. Advigilent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum voluntatum; curentque ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur.

§ 3. Circa praedicationis munus, servetur praescriptum can. 1327.

Can. 337. - § 1. Episcopus in tota dioecesi, ne exceptis quidem locis exemptis, potest pontificalia exercere; non vero extra dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi.

§ 2. Exercere pontificalia in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.

§ 3. Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino.

349. **Inscriptio et canonum ordo.** — *Caput I. De episcopis*, qui ex vocis etymologia sunt inspectores, praefecti, praesides, continet 21 canones sic distributos. Quinque primi can. 329-333 post Episcoporum definitionem, tradunt praescriptiones servandas in Episcoporum designatione usque ad canonicum initium officii; can. 334-337 exhibent limitatas eorum potestates, quibus canones sequuntur 338 usque ad 346 de Episcoporum quampluribus obligationibus, 347 de praecedentia ordinanda, et postquam unus canon 348 loquitur solum de Episcopis titularibus, alter nempe: can. 349 de omnium Episcoporum privilegiis est huius Capitis ultimus.

350. **Episcoporum notio.** — *Can. 329.* § 1. *Episcopi* quatenus eis « constat sacra hierarchia ratione iurisdictionis » (can. 108, §. 3), *sunt* a) *Apostolorum successores* (hinc origo eorum divina) *atque* b) *ex divina institutione* utpote: « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » [1] *peculiaribus ecclesiis*, seu territoriis Ecclesiae, huiusve gregis Christi portionibus *praeficiuntur quas* c) *cum potestate ordinaria* idest: nomine proprio exercenda velut stabiliter iure habita, *regunt* proprie, sicut in quadam iuridica societate d) *sub auctoritate Romani Pontificis*. De hac, totaque ipsa definitione dogmatice edocemur a Concilio Vaticano, quando in sess. IV cap. III ita loquitur de vi et ratione primatus Romani Pontificis: « Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas (primatus) officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ».

[1] Act. Ap. XX, 28.

Imo sunt de aliquibus definitionis partibus contrariae propositiones damnatae. - Videlicet: in C. S. Officii decr°. « Lamentabili »[1] prop. 50: « Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam ». Et in Pii VI const. « Auctorem fidei »[2] prop. 6 et 8 Synodi Pistorien. damnatae sunt sequenti sensu: « Doctrina Synodi, qua profitetur persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis: - Perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices, et Concilia generalia pro universa Ecclesia, - Schismatica, ad minus erronea.

Item quod et sibi persuasum esse ait, iura Episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse: et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescumque id exigit maius bonum suae Ecclesiae: - In eo, quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiore potestate praepediri, aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae ecclesiae, - inducens in schisma, et subversionem hierarchici regiminis, erronea ».

De ipso vero canone possumus probare, quod ista definitio perfecte complectitur totam Episcopi rationem. Perfecta enim ratio uniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius. Comprehendit autem praedictus canon omnes officii episcopalis causas. Causa namque efficiens historice considerata est Apostolorum successio, iuridice autem est ordinatio divina; causa formalis est illa potestas ordinaria, qua Episcopi regunt Ecclesias; et hae possunt considerari ut causa materialis non ex qua, sed subiecta in personis et rebus Episcopo circa quam eius potestas exercetur, vel ipse Episcopus dicatur materialis causa, ut subiectum potestatis; causa demum finalis, ex Epis-

[1] 4 Iul. 1907. — [2] 28 Aug. 1794.

copi subordinatione Romani Pontificis auctoritati deprehenditur esse « in aedificationem, non in destructionem corporis Christi », et, sicut finis universalis Ecclesiae Romano Pontifici concreditus, ita Episcopo in eius dioecesi, est sanctificatio et salus aeterna animarum.

§ 2. *Eos* (nempe Episcopos) *libere nominat Romanus Pontifex.* Scilicet: non agitur hic de nominatione proprie dicta cui subsequatur institutio de quibus in can. 148, sed de personae promovendae designatione atque §[us] exprimit generalem regulam, vel de assumptione clerici in Episcopum sicut in can. 330 vocatur; diciturque « libere » illa fieri, quatenus contra voluntatem Romani Pontificis, eove libere non consentiente, non dantur legitimi Episcopi. Paragraphus hoc altero praecipue sensu enuntiat inconcussum iuris principium expressum in cap. 2 de praebendis et dignitatibus (III, 4) in 6°: « Licet ecclesiarum personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant, potest de iure conferre, verum etiam ius in ipsis tribuere vacaturis ». Quod viget etiam pro translationibus ex c. 1. de Translatione Episcopi (I, 7): « Cum ex illo generali privilegio, quod beato Petro, et per eum Ecclesiae Romanae Dominus noster indulsit, canonica postmodum manaverint instituta continentia maiores Ecclesiae causas ad Sedem Apostolicam perferendas: ac per hoc translationes Episcoporum et sedium mutationes, ad summum Apostolicae sedis antistitem de iure pertineant nec super his quidquam praeter eius assensum debeat immutari ».

Nec obstat paragrapho quem commentamur, nec principio ex Decretalibus citato, illa nominatio ex privilegio in Concordatis recognita Supremis societatis civilis Principibus vel Praesidentibus; eo quod intelligenda sit recte adversus propositiones in Syllabo Pii IX damnatas: « 50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas litteras accipiant »: et « 51. Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem ».

Similiter nec obstaculum est praedicti iuris exercitio, quod supponit § 3. *Si cui collegio*, personae morali *concessum sit ius eligendi Episcopum, servetur praescriptum can. 321*, « de absoluta votorum maioritate, demptis suffragiis nullis ». Imo iam posita sunt in genere pro omnibus officiis praescripta servanda per haec collegia in sui iuris usu a can. 161 et seqq. Denique istud ius et illa nominatio a Romano Pontifice pendent et nonnisi voluntate illis obsecundat.

351. **Idoneitas necessaria.** — Innocentius III aiebat in Concilio generali [1]: « Nihil est quod Ecclesiae Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur praelati ad regimen animarum ». Idque ampliando ait Conc. Trid. [2]: « Si in quibuslibet Ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum; multo magis elaborandum est, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur; nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite ». His fulcitur *can. 330. Antequam quis in Episcopum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum.* Iste modus facile variabilis pro temporum locorum ac personarum circumstantiis, hoc in loco per clausulam generalem praescriptus est. Impraesentiarum, secundum Conc. Trid. capita [3] fuit exarata const. « Onus Apostolicae » Greg. XIV [4], quae continet praescriptiones ut regulam generalem vigentes, ac insuper observandum est tum ad Sedis Apostolicae nutum Sacrae Cong. Consistorialis Dec. pro Statibus foederatis Americae Septentrionalis [5], tum alterum Decretum eiusdem S. Congreg.[s] [6]: « circa proponendos ad episcopale ministerium in Canadensi Dominio et Terrae Novae insulis ». Supponunt haec Decreta legitimam esse complurium candidatorum (ordinarie trium) commendationem praeviam a comprovincialibus Ecclesiae vacantis aut vacaturae Episcopis factam. Quae commendatio viget insuper alibi: nempe [7]: in Hibernia, Anglia, in

[1] C. 44 de electione et electi potestate, I, 6. — [2] Cap. 1, sess. XXIV de Ref. — [3] Sess. XXII, cap. 2 et sess. XXIV de Ref., cap. 1.
[4] 15 Maii 1591, §§ 3, 5. — [5] 25 Iul. 1916, CO. VIII, 400.
[6] 19 Martii 1919, CO. XI, 124-128.
[7] S. Congr. de P. F. 17 Oct. 1829, 21 Apr. 1852, 7 Iun. 1858, 25 Iul. 1883.

Hollandia et Neerlandia, Scotia; et in Statibus foederatis Americae Sept.[1].

Nunc referendum est Dec. S. C. Consist. « De secreto servando in designandis ad Sedes Episcopales ». Fuit sub die 30 Mart. 1910 publicatum « pro foederatis statibus Americae Septentr. rogatu aliquot Reverendissimorum huius regionis Praesulum et iuxta vota ferme concordia omnium illius regionis Antistitum in re tanti momenti auditorum ». - Postea per eiusdem Congr. Decretum et subsequutam Declarationem[2] praelaudatum « Dec. de secreto servando ad omnes extenditur dioeceses et provincias, ubi eadem vel similis forma designationis obtinet ac in praedictis Statibus foederatis Americae Sept. ».

Illius Decreti rationes ibidem insertae sunt: « cum candidatorum nomina, ut saepe accidit, patefiunt, hoc ipso publicae discussioni exhibentur, quae pro varia hominum ac diariorum acceptione aliquando aequa est, saepius iniusta et iniqua. Quod, cum honori candidati, et aliquando absque facili plenaque reparatione, detrahit, tum etiam sereno S. Sedis iudicio et iustae electionis libertati impedimentum affert ». - Pars vero dispositiva in eodem Dec. talis est: Pius X « ea quae sequuntur, ut serventur mandavit: 1. Convenientibus dioecesanis consultoribus et parochis qui ius habent suffragium ferendi pro *terna*, ab initio sessionis... singuli coram Praesule praesidente iusiurandum dabunt de secreto servando circa nomina quae in discussionem veniunt, et circa ea quae... probata manent, ut Episcoporum iudicio subiiciantur. 2. Si quis consultor... iuramento desit, praeter alias poenas..., statim a consultoris officio removendus erit: si parochus, poena erit perpetua privatio iuris ad suffragium ferendum ». Alii duo numeri secretum idem extendunt ad Episcopos, Aplcae. Delegationis Administros et alias consultas personas, atque demum scribitur « 5. Exemplum huius Dec. in singulis curiis episcopalibus servetur, ut omni tempore singulis ad quos spectat norma et regula sit ».

352. **Qualitates idoneitatis.** — *Can. 331.* § 1. *Ut quis idoneus habeatur, debet esse:* 1°. *Natus ex legitimo matrimonio,*

[1] Conc. Plen. Baltim. 1884 et Inst. S. C. de P. F. 21 Ian. 1861.
[2] 2 Iul. 1910, 28 Apr. 1911; (CO. II, 286, 648, III, 182).

quae verba, eo quod « cum veteri iure congruunt (can. 6, 3°), ex iure antiquo aestimandi sunt », proinde intelligatur « legitimus sit filius » ad normam can. 1114 concordantis iuri praecedenti, *non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium;* multo minus legitimatus aliter, secundum iuris principium: « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur » [1]. - 2° *Annos natus saltem triginta* completos ad normam can. 34, § 3, n. 3°; - 3°. *A quinquennio saltem* ad praedictam normam computando *in sacro presbyteratus ordine constitutus.* Valde mutata est in hoc disciplina; statuerat enim Conc. Trid. [2]: « sit in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus ». - 4° *Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia ceterisque dotibus praeditus, quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim* notetur bene *de qua agitur.* Hae dotes sunt etiam aetatis magis vel minus provectae, sanitatis ac virium corporis, etc. ut admonet S. C. Consist. in cit Dec. [3]. - 5° *Laurea doctoris vel saltem licentia* a) *in sacra theologia aut* b) *iure canonico potitus in athenaeo aliquo vel in Instituto studiorum a Sancta Sede probatis, vel saltem* c) *earumdem disciplinarum vere peritus;* nam haec peritia facit ipsum « scientia commendabilem », ut exigebat Conc. Later. sub Alex. III [4], titulusque ille academicus ad hoc requiritur, ut « scientia commendabilis demonstretur ». Unde Conc. Trid. in c. 2 sess. XXII statuit: « scientia vero eiusmodi polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in universitate studiorum doctor aut licentiatus in sacra theologia vel iure canonico, (et hoc notetur) merito sit promotus: aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur ». - Sequitur in canone: *quod si ad religionem aliquam etiam* votorum simplicium *pertineat, a suis Superioribus maioribus* a) *vel similem titulum vel saltem* b) *verae peritiae testimonium habeat.* Quae clausula quod fuit antea dictum confirmat. Sed verba « Superioribus maioribus » designant (can. 488, n. 8°) etiam Provinciales, Abbates monasterii sui iuris, etc.: illis ergo verbis derogatur Const. « Onus Apostolicae » Greg. XIV, § 9, qui determinaverat « su-

[1] Cap. 6. Qui filii sint legitimi, IV, 17. — [2] C. 2 sess. XXII. — [3] 25 Iul. 1916, 19 Martii 1919. — [4] C. 7, t. VI Lib. I Decretal.

premum moderatorem » religionis promovendi: ac insuper de promovendi qualitate aiebat: etiam « ex parentibus catholicis natus » sit, quod in canone nec implicite continetur, dum « natus ex matrimonio legitimo » dicitur proprie ac canonice infidelium valide coniunctorum filius.[1] - Has qualitates fere omnes initialiter enumerat Conc. Later sub Alex. III loc. cit., quando « statuit, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur ».

§ 2. *Etiam* a) *electus*, b) *praesentatus* v. gr. per supremum principem temporalem, c) *vel quoquo modo ab illis designatus* v. gr. ab Episcopis regionis, *qui privilegio a Sancta Sede concesso*, et quod ab eius arbitrio iusto pendet, a) *eligendi*, b) *praesentandi seu* c) *designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere*. Quod invenire licet in Conc. Trid., dum graviter (loc. cit.) decrevit: « omnes et singulos, qui ad promotionem horum praeficiendorum, quodcumque ius, quacumque ratione, a Sede Aplca. habent, aut alioquin operam suam praestant,... monet S. Synodus ut in primis meminerint,... eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint,.. praefici diligenter curaverint ». Verbum « digniores » prudenter omissum est in canone, eo quod statim edicit § 3. *Iudicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet*.

353. **Institutio et obbligationes praeviae.** — Legitime posita idoneae personae designatione ad Episcopatum, promotionis praecipuum actum memorat solidatque *can. 332* § 1. *Cuilibet ad Episcopatum*, iurisdictionis gradum a) *promovendo, etiam* b) *electo*, de quo est canon 329. § 3, c) *praesentato* fortassis a civili Gubernio iuxta eius Conventionem cum S. Sede, d) *vel designato*, quibus tribus modis adiuncta libera promotione regitur in Ecclesia occidentali disciplina de illis promovendis, *a civili quoque Gubernio* additur in detestationem prop. 50 Syllabi Pii IX damnatae, quam noscimus, *necessaria est canonica provisio*, quae in hoc casu sic describitur: *seu institutio, qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur*, idque

[1] Can. 1015... § 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum dicitur legitimum.

iam contentum erat in explicato can. 147, § 1: « Officium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri »; ac de provisione Episcopatus speciale est, quod in canone additur praesenti: *quaeque ab uno Romano Pontifice datur*, seu illi prae Romana etiam Curia reservata est.

Et primo quidem de Episcopis residentialibus luculentum habemus testimonium in Pii VI const. « Super soliditate »[1]: « ceteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt, ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus; et sic quidquid Christus commune cum Petro ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit ». - De Episcopis autem titularibus Clemens V in Conc. Viennensi[2] ait: « statuimus, ut nullus de caetero quantacumque dignitate praepollens (nisi speciali super hoc auctoritate Sedis Apostolicae fulciatur) de pastore provideat cathedrali ecclesiae sibi qualitercumque subiectae quae clero careat et subditis christianis: Nullusque religiosus, a suo unquam, quod provisioni tali consentiat, licentietur praelato ». Et infra: « Nos enim quidquid contra praemissa vel aliquod praemissorum contigerit attentari, irritum esse decernimus et inane, contraria quacumque consuetudine non obstante ».

§ 2. *Ante canonicam institutionem seu provisionem candidatus*, a) *praeter fidei professionem de qua in can. 1406-1408*[3] Lib. III, faciendam et subscribendam (ex const. « Onus Aplcae. »

[1] 28 Nov. 1786, § 16. — [2] Cap. 5, de electione et electi potestate, I, 3.
[3] Titulus XXIV. De fidei professione. Can. 1406, § 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

Greg. XIV, § 10) tempore inquisitionis peractae de promovendo; hic b) *iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem edat secundum formulam ab Apostolica Sede probatam*, quae in Pont. Romano extat, tit. de consecratione electi in Episcopum, et quo firmantur plures Episcoporum obligationes erga illam Ap. Sedem atque episcopalem mensam. Huius §i exceptionem constituit Rubr. Pont. Rom. « Si consecratio fit vigore litterarum Aplearum, per quas etiam iuramenti per electum praestandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat, Electus de sede sua veniens coram Consecratore, genuflectit, et legit iuramentum de verbo ad verbum, iuxta tenorem commissionis praedictae praestandum, in hunc modum ».

354. **Obligationes post provisionem.** — Sicut in paragrapho praecedenti duas invenimus praevias provisioni canonicae ab Episcopo servandas praescriptiones, duae aliae post huiusmodi provisionem ab eo adimplendae sunt tempore praestituto per *can. 333. Nisi legitimo impedimento* i. e. iuxta leges seu proportionato *prohibeatur, promotus ad Episcopatum*, diaecesis quoque sub-urbicariae, quia *etiamsi S. R. E. sit Cardinalis, debet*, a) *intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere*, prout iam Pelagius Papa determinaverat [1], et Conc. Trid. confirmaverat [2]; *et* b) *intra quatuor* ab eodem initio receptarum apostolicarum litterarum *ad suam dioecesim pergere* ad inchoandam residentiam in ipsa, capta possessione, *salvo praescripto can. 238*, § 2, quod est de Cardinalium Episcoporum suburbicariorum residentia. Tres ac quatuor menses sunt computandi quoad tempus utile ob clausulam canonis « nisi legitimo impedimento prohibeatur », et ad normam can. 34, § 3, n. 3°.

355. **Officium episcopale eiusque initium.** — Quatuor sequuntur canones, primus agens de natura generica officii episcoporum huiusque initio, secundus de triplici potestate in dic-

---

3° Coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem,...

Can. 1407. Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit.

Can. 1408. Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones huius tituli.

[1] D. 100, cap. 1. — [2] C. 9, sess. VII, de Ref.

to officio contenta, tertius de potestate seu potius vigilantia episcopali circa ss. canonum observantiam et quartus de pontificalium exercitio Episcopis proprio.

Can 334. § 1. *Episcopi residentiales*, seu ecclesiam in qua resideant habentes, *sunt ordinarii et immediati pastores* i. e. proprio nomine ac nullius necessario interventu eos inter ac fideles *in dioecesibus sibi commissis*. Constat ex cap. III in sessione IV Conc^i^. Vat^i^.

§ 2. *In regimen tamen dioecesis* i. e. in officium pastorale exercendum a) *neque per se neque per alios*, b) *nec ullo sub titulo* v. gr. vicarii, oeconomi, gubernatoris ecclesiastici I° *sese ingerere possunt* exercentes illud, *nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint*, quamvis de ea legitime provisi fuerint in consistorio ac per litteras apostolicas iam expeditas; II° *sed si ante suam ad episcopatum designationem* per electionem, nominationem regiam, ut aiunt, etc. (non post eas, nam tunc vigeret prima canonis pars) a) *vicarii capitulares*, b) *officiales*, c) *oeconomi fuerint renuntiati*, de quibus postea, *haec officia etiam post designationem* quamlibet ex praedictis *retinere et exercere possunt*; quamvis nequeant post praedictam designationem illa eis conferri nec ab ipsis obtineri. Haec concordant iuri praeexistenti, scilicet: const^t^. « Romanus Pontifex » Pii IX [1] et Decretalibus praesertim cap. 1 de electione (I, 3) in Extrav. comm., revocata, quatenus opus fuerit, exceptione scripti iuris pro Ecclesiis remotarum ab Urbe regionum.

Clausula: « nisi prius eiusdem dioecesis possessionem canonice ceperint » initium designans initi Pontificatus exercitii, expostulat consequenter §^m^ 3. *Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales simul ac*, hoc est: actu ipso quo illi praesentes a) *in ipsa dioecesi* b) *vel per se vel per procuratorem* c) *apostolicas litteras Capitulo Ecclesiae cathedralis* ergo rite convocando *ostenderint*: et quamvis hae litt^ae^. non oretenus legerentur sed oculis, sufficeret, illud tamen est rationabilius et securius, conditione subsequente omnino adhibita: d) *praesente secretario Capituli vel cancellario Curiae*, tamquam teste qualificato, subiungitur enim mandatum ei: *qui rem in acta referat*. - Excepta ultima parte circa praesentiam secretarii, etc., haec praescriptio iam invenitur edita per Bonif. VIII [2], qui af-

[1] 28 Aug. 1873. — [2] C. 1 de electione, I, 3. Extrav. comm.

fert rationem: « Iniunctae nobis debitum servitutis exposcit, ut,... ibi praecipue reformationis accommodae remedium apponamus, ubi maius respicimus periculum imminere. Sane quam periculosum existat quod aliquis in officio, dignitate vel gradu fore se asserat, et pro tali etiam habeatur, nisi prius ipse quod asserit legitimis ostenderit documentis tam ex civilibus quam ex canonicis institutis colligitur evidenter. Asserenti namque cum mandatis principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit. Nec similiter creditur se asserenti legatum. Numquam enim Apostolicae Sedis mos fuit, absque signatis apicibus undecumque legationem suscipere. Sed nec dicenti se delegatum sedis eiusdem creditur vel intenditur, nisi de mandato Apostolico fide doceat oculata... Si quis praeterea in clerum electum se dicat, si sacerdotem sese nominet, hoc scrutandum est; quia non sine periculo est in talibus communicatio indiscussa. Quod autem in illis qui se episcopos vel superiores praelatos, aut etiam abbates, priores seu alios monasteriorum rectores, quocumque nomine censeantur, appellant, sit discussio celebris et diligens facienda, luculenter apparet: si scandala et pericula gravia (quae ipsorum parere possit communicatio indiscussa) diligentius attendantur ».

Constitutio item « Romanus Pontifex » Pii PP. IX illius dispositionis uti vigentis mentionem facit.

356. **Triplex potestas episcopalis.** — *Can. 335. § 1. Ius ipsis* Episcopis redentialibus *et officium est*, seu obligatio ex quasi contractu ac ex legibus, a) *gubernandi dioecesim* quoad personas et res ad illius territorium iure canonico devinctas, *tum in spiritualibus tum in temporalibus* rebus ecclesiasticis, b) *cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum* Episcopis ac pro diversitate rerum ac personarum positam *exercenda*. De huiusmodi Episcoporum multiplici potestate sufficiat seligere unum alterumve textum praecedentis iuris. Itaque sit primus [1]: « Cum Episcopus in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere: Dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius dioecesis non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere; causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire: personas Ecclesiasticas (cum earum excessus

[1] C. Cum Episcopus 7 De officio Ordinarii, I. 16, in 6°.

exegerint) capere, ac carceri deputare: necnon et cetera, quae ad ipsius spectant officium, libere exercere ».

Alter sit supponens potestates de quibus loquitur [1]: « Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur: subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes, minime ligari noscuntur: Cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune ».

Cum de potestatibus iudiciaria et coactiva multi canones in IV et V Libris respiciant Episcopos, ac de potestate legislativa in cap. « De Synodo dioecesana » sit accuratius determinandum, subiungitur statim de promulgatione ac obligatione legum episcopalium § 2. *Leges episcopales* a) *statim a promulgatione obligare incipiunt* iuxta legis naturam, *nisi aliud in ipsis caveatur;* b) *modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur*, ad hoc enim, ut lex virtutem obligandi habeat, sufficit eam qualicumque convenienti modo a legislatore denuntiari communitati. Hoc duplex praescriptum ac exceptio sunt contraria praescripto ac exceptioni quoad « leges ab Apostolica Sede latas » (can. 9).

357. **Obligationes circa leges ecclesiasticas.** — *Can. 336. § 1. Observantiam legum ecclesiasticarum* a) *Episcopi urgeant* stimulis monitionum, praeceptorum, poenarum, veluti custodes ipsarum constituti pro eorum territorio; b) *nec in iure communi* i. e. in Codicis ss. canonibus, legibus liturgicis, *dispensare possunt, nisi ad normam can. 81* [2]. Et haec est quaedam rememoratio.

Ad peculiares leges descendit § 2. *Advigilent* efficaciter ac prudenter 1° *ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant*, principiis obstando, *praesertim* a) *circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium*, b) *cultum Dei et Sanctorum*, c) *praedicationem verbi Dei*, d) *sacras indulgentias*, e) *implementum piarum voluntatum;* quae singula specialiter commendantur, quia legum praeteritarum experientia constat in his, quae ceteroquin praecipua etiam sunt, abusus irrepere facilius;

[1] Cap. 2 de Constitutionibus I, 2 in 6°.

[2] Can. 81. A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet.

II° *curentque* pro viribus eorum a) *ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur* prae omnibus aliis, utpote ex iure divino custodienda, b) *ut fidelibus, praecipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur*, ad hoc ut sit « fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore [1], c) *ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur*, cum e contrario multum damni proveniat praedictae duplici puritati. - Monitio huic paragrapho concatenata sequitur in § 3. *Circa praedicationis munus, servetur praescriptum can. 1327* [2].

358. **Exercitium Pontificalium.** — *Can. 337. § 1. Episcopus* I° *in tota dioecesi*, quam gubernat, idest intra eiusdem territorium, *ne exceptis quidem locis exemptis*, hac tantum ratione quod exempta sint, *pôtest pontificalia exercere:* ita enim ex praec. iure in Tullen., sed generaliter [3]: « Iuxta dispositionem Conc. Trid. sess. XXIV de Ref. cap. 6, respondit S. R. C.: Episcopum in omnibus suae Dioecesis Ecclesiis, quantumvis exemptis et privilegiatis, esse honorandum, ita ut ei is honor tribuatur qui suae Dignitati par sit, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, et in aliis actibus publicis primam sedem et primum locum, quem ipse elegerit, dandum et concedendum esse; nec posse prohiberi, quominus in dictis Ecclesiis etiam exemptis Pontificalia exerceat, immo posse Episcopum contradictores poenis et censuris ecclesiasticis compellere, censuit et declaravit. Si quis autem de huiusmodi Decreto et S. R. C. declaratione se gravatum senserit, compareat in eadem S. C., ubi benigne audietur, sed interim parere Decreto non obsistat ». Quod ultimum iteratum est in una Messanen. 12 Iulii 1628.

Cap. V. Conc. Trid. sess. VI de Ref. habet: « Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioe-

[1] MATTH. XXIV, 45.

[2] Can. 1327. § 1. Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus.

§ 2. Episcopi tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento; et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum.

[3] 6 Dec. 1613.

cesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia ». Hoc praescriptum in canonem quem commentamur sic transfertur cum moderationibus: II° *non vero* « Episcopus potest pontificalia exercere » a) *extra dioecesim* propriam b) *sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci*, quando attentis circumstantiis ratione ductus consentire censendus est, *et* simul c), *si agatur de ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi*: quod supponit hic agi tantum de tali ecclesia religiosorum, et Superior religiosus intelligendus etiam localis, quamvis religio esse possit votorum simplicium, sed exempta v. gr. Passionistarum. - Completur hic paragraphus sequenti § 2. *Exercere pontificalia in iure est* interpretandum, seu significat: *sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis* [1] *requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.* Quia etsi de baculo dicatur (loc. cit.) n. V. « Utitur ergo Episcopus baculo pastorali in sua tantum civitate, vel dioecesi, et etiam alibi, ex permissione loci Ordinarii, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolica Auctoritate conceditur », in calce n^i. VIII legitur: « nam mitra et baculus in Episcopis sunt correlativa ». - Hinc Dubio: « An Episcopus extraneus, vel titularis, possit, inconsulto Ordinario dioecesano, atque in Titulo Cardinalis Titulari, Missam et Vesperas Pontificales celebrare sedens in faldistorio, non utens baculo pastorali, sed cum ornamentis pontificalibus? », ideoque cum mitra. « Sacra Rit. Congr... rescribendum censuit: Negative ». Et sic canon in § 2 est intelligendus. Potest ergo loci Ordinarius dicta permittere alteri Episcopo sine baculo pastorali et etiam alias functiones quae ita peragi possunt; potest permittere usum etiam baculi pastoralis immo subintelligitur in permissione actuum pontificalium, qui cum eo peragendi sunt ex n. VIII Caerem. Episcoporum. - Denique § 3. *Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino,* ut in iure declaratum fuerat per Decretum S. C. R.:[2] « An Episcopus dioecesanus gaudeat iure cedendi Thronum suum alteri Episcopo cum Reverendissimorum Canonicorum adsistentia sibi debita ». Et S. eadem Congr. rescribendum cen-

[1] Caerem. Episcoporum, Lib. I, c. XVII.
[2] 12 Jun. 1899. Dec. auth. n. 4023.

suit: « Affirmative; dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius Dioecesani Coadiutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesiis. Sicut autem Cardinales Episcopi Suburbicarii aliique Titulares Ecclesiarum Urbis Purpuratis tantum Patribus Thronum cedere possunt; ita Praesules Cardinales aliarum Dioecesium decet ut suum Thronum nonnisi aliis eadem Cardinalitia dignitate ornatis cedant ». Et sic interpretandum esse §m huius canonis constat ex Dubio V. 3 per S. Rit. Congr. soluto:[1] « Attento can. 337 § 3 Codicis J. C., manetne in suo robore Decretum S. R. C. relatum, super iure Episcoporum Dioecesanorum cedendi thronum alteri Episcopo? - Ad 3 Affirmative ». Imo de hac re leges liturgicae videri queunt in altero Dubio eiusdem diei et anni soluto III° ad 4[2] et in « Dubia » eiusdem S. Rituum Congrs.[3].

Can. 338. - § 1. Etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant, tenentur lege personalis in dioecesi residentiae.

§ 2. Praeterquam causa visitationis Sacrorum Liminum, Conciliorum quibus interesse debent, vel civilis officii suis ecclesiis legitime adiuncti, abesse possunt aequa de causa non ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos, dummodo cautum sit ne ex ipsorum absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat: quod tamen tempus coniungi nequit sive cum tempore sibi concesso occasione suae promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel assistentiae Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis.

§ 3. Ab ecclesia cathedrali ne absint tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi et urgenti causa.

§ 4. Si ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerint, Episcopum Metrolita, ad normam can. 274, n. 4, Metropolitam antiquior Suffraganeus residens Sedi Apostolicae denuntiet.

Can. 339. - § 1. Debent quoque, post captam sedis possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare.

§ 2. In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent.

§ 3. Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo*.

§ 4. Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die.

§ 5. Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi ta-

[1] 26 Nov. 1919. CO. XII, 182.
[2] Loc. cit., pag. 181.
[3] 9 Jul. 1920. CO XII, 372.

men satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso.

§ 6. Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis, non satisfecerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit.

CAN. 340. - § 1. Omnes Episcopi tenentur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam.

§ 2. Quinquennia sunt fixa et communia atque computantur a die 1 Ianuarii 1911; in primo quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, et aliarum minorum adiacentium; in altero Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus; in tertio ceteri Europae Episcopi, cum insulis adiacentibus; in quarto, Episcopi totius Americae et insularum adiacentium; in quinto, Episcopi Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.

§ 3. Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit, ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.

CAN. 341. - § 1. Omnes et singuli Episcopi eo anno quo relationem exhibere tenentur, ad Urbem Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant.

§ 2. Sed Episcopis qui extra Europam sunt permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.

CAN. 342. - Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere per se vel per Coadiutorem, si quem habeat, aut, ex iustis causis a Sancta Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat.

CAN. 343. - § 1. Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi obligationi visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium Generalem aliumve lustrent.

§ 2. Fas est Episcopo clericos duos etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscere visitationis comites atque adiutores; eosque, quos maluerit, eligere, reprobato quocunque contrario privilegio vel consuetudine.

§ 3. Si obligationi de qua in § 1, Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can. 274, nn. 4, 5.

CAN. 344. - § 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam.

§ 2. Religiosos autem exemptos Episcopus visitare potest in casibus tantum iure expressis.

CAN. 345. - Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet paterna forma procedere, et ab eius praeceptis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam iuris procedat necesse est.

CAN. 346. - Studeant Episcopi debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere: caveant, ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine: circa vero victualia sibi suisque ministranda vel procurationes et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo.

CAN. 347. - In suo territorio Episcopus praecedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et pro-

prio Metropolita; extra territorium serventur normae traditae in canone 106.

CAN. 348. - § 1. Episcopi titulares nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cuius nec possessionem capiunt.

§ 2. Decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent.

CAN. 349. - § 1. Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares:

1° Praeter alia privilegia quae suis in titulis recensentur, fruuntur privilegiis de quibus in can. 239, § 1, nn. 7-12; nec non n. 2, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos; n. 3, cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci; n. 4, dummodo non teneantur celebrare in cathedrali: nn. 5, 6, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis;

2° Ius habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum.

§ 2. A capta vero possessione Episcopi residentiales habent praeterea ius:

1° Percipiendi reditus mensae episcopalis;

2° Concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis;

3° Elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino.

359. **Canonum ordo.** — Iam consequenter de obligationibus[1] agendum erat, quae sic ad invicem subsequuntur: canon 338 de residentia utpote quae generalis conditio est pro caeteris obligationibus adimplendis, can. 339 de applicatione missae pro populo, iuxta illud Apostoli:[2] « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». Post haec de obligationibus erga S. Sedem in can. 340-342, ubi de relatione circa statum diocesis, ad quem perfecte dignoscendum et ad alios fines conducit visitatio eiusdem, quocirca de hac obligatione simul ac iure sunt can. 343-346, de iure praecedentiae determinat can. 347, et paucis praemissis quoad Episcopos titulares in can. 348, iura et privilegia horum Episcoporum ac residentialium recensentur in can. 349.

360. **Residentiae notio ac distinctio.** — Antequam explicemus canonem 338, cum in hoc titulo plures sint inveniendi canones de beneficiatorum residentia, prius collecti iure Decretalium in Tit. IV, Lib. III « De clericis non residentibus in Ecclesia vel praebenda », opportunum videtur quasdam notiones ac principia etiam ex Conc. Trid. praeinserere dictorum canonum commentario utilia.

Residentia proprie dicta in iure sic definiri potest: « assidua Praelati seu beneficiati commoratio in muneris aut bene-

[1] Can. 323, § 1. Abbas vel Praelatus *nullius* easdem... obligationes habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi.
[2] Heb. V, 1.

ficii loco ecclesiastici officii causa personaliter exercendi ». Dicitur « assidua » et non continua commoratio, « quoniam, ut ait Conc. Trid.[1], qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt ». In definitione additur: « Praelati seu beneficiati », quae correlativa sunt verbis « in Ecclesia vel praebenda » in rubrica Tituli Decretal. adhibitis, ad innuendum praecipua huius obligationis fundamenta, quae sunt: in pastoribus animarum cura et in aliis beneficiatis divinus cultus. Denique per verba « in muneris aut beneficii loco » corporalis praesentia exprimitur, quae tamen ad hoc praecise exigitur, ut officii exerceantur actus, propter quod beneficium datur.

Residentia sic explicata vera dicitur, ut a ficta residentia distinguatur, quae revera est a praefatis locis absentia, cum ea tamen Praelatus et beneficiatus a iure canonico tamquam residens reputatur in ordine ad sui beneficii fructus lucrandos. - Similiter residentia proprie dicta formalis quoque et activa vocatur, sic discernenda a materiali potiusque apparente residentia, quae corporali solum praesentia constans obligationum adimplemento destituitur, ad quod residentia corporalis est ordinata, et propter quod exigitur. - Praeterea distinguitur residentia in absolutam, quando quis vi officii sui graviter obligatur, et quidem sub amissionis beneficii poena, illius obligationes personaliter adimplere, atque in conditionatam, quando ad eam praefato modo non tenetur, sed tantum sub amissionis fructuum poena, dum insuper obligationibus sibi ex officio impositis per alium satisfacere potest.

361. **Fundamentum iuridicum.** — S. Congr. censuit[2]: « obtinens beneficium, quod sit simplex, et sine cura animarum, et extra Ecclesiam collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario », nam universali consuetudine effectum est post ius Decretalium, ut beneficia, quae curam non haberent animarum a residentiae onere eximerentur, exceptis quibuslibet canonicatibus aliisque beneficiis quibus ex fundatorum voluntate, statuto Ecclesiae vel particulari consuetudine obligatio persona-

[1] Cap. 1 sess. XXIII de Ref. — [2] ZEROLA apud REIFFENSTUEL, Tit. V, Lib. III, § 1, n. 9.

lis residentiae fuerit adnexa. - De officiis vero curatis ita in Conc. Trid.[1] legitur: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commisso est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt ». Ab Ecclesia vero illa residendi obligatio fuit determinata ad veram et personalem residentiam, quatenus haec non esset in iure divino comprehensa, itemque circa tempus aliasque ipsius circumstantias.

362. **Residentia Episcoporum.** — Quoad residentiales Episcopos Synodus Trid. (c. 7, sess. VI de Ref.) monet, « ut attendentes sibi, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant; atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Iudice requirendus, custodiae minime incumbant: cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit ». Huic Decreto inhaerens eadem S. Synodus « declarat (in c. 1, sess. XXIII de Ref.) omnes Episcopos residentiales, etiamsi S. R. Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel dioecesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis et modis (ibidem) infrascriptis ». Hanc residentiam personalem et formalem confirmans praescribit *canon 338*. § 1. *Etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant*, de quo in cap. seq., *tenentur lege* per hunc canonem confirmata iuxta can. 6, 2° *personalis in dioecesi residentiae*, non praecise in civitate Episcopali per se loquendo.

Causae recensitae in cit. c. 1 Conc. Trid., videlicet: « christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas », omittuntur in canone Codicis, utpote approbandae ex iure praecedenti a Romano Ponti-

[1] Cap. 1, sess. XXIII de Ref.

fice, unde proprie constituunt causas dispensationis a canone; exceptis casibus, quos utpote ordinarios vel frequentiores sic enumerat § 2. *Praeterquam causa* a) *visitationis Sacrorum Liminum* ex Urbani VIII const. « Sancta Synodus » [1], b) *Conciliorum quibus interesse debent* ex Bened. XIV const. « Ad universae »[2], c) *vel civilis officii* v. gr. senatoris regni *suis ecclesiis legitime adiuncti*, non ipsi personae, ex Conc. Trid. c. 1, sess. XXIII de Ref.; ergo praeterquam una ex his causis, d) *abesse possunt* sed I° *aequa de causa*, II° *non ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos*, supputandos ad normam can. 34 § 2, ac III° *dummodo cautum sit ne ex ipsorum absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat* secundum residentiae fundamentum iuris divini, addente Conc. Trid. in loc. prox. cit. de prima et praesertim de tertia conditione: « quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam, et timóratam fore, cum Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur ». - Huic ultimae concessioni limitationes antea vigentes ex S. Sedis posterioribus declarationibus sequuntur in canone: *quod tamen tempus coniungi nequit* a) *sive cum tempore sibi concesso occasione suae promotionis* nempe: a receptis apostolicis litteris non ultra quatuor menses in can. 333, b) *vel Sacrorum Liminum*, sicut explicatur in Const. Bened. XIV « Ad universae » [2], c) *vel assistentiae Concilio*, tertia causa civilis officii non hic memorata, d) *sive cum tempore vacationum anni subsequentis*.

Usque nunc de residentia in dioecesi; quod vero « eosdem interim admonebat et in Domino hortabatur » Conc. Trid., iubet § 3. *Ab ecclesia cathedrali ne absint* a) *tempore Adventus* incipiente a Dom. I^a^ *et Quadragesimae* cum initio a fer. IV in capite ieiunii b) *diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Chiristi*, « quibu, inquit Conc. Trid., loc. cit.. refici maxime, et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debeant... nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent ». Quae limitatio moderata est sic in Codice: *nisi ex* a) *gravi et* b) *urgenti causa*, quae ad episcopalia munia non coarctatur, et absentiam ab ipsa dioecesi non excludit. - De sanctione huius obligationis agendum est in Lib. V., hic tantum

[1] 12 Dec. 1634. — [2] 3 Sept. 1746.

memoratur obligatio in aliquo Episcopo consequens transgressioni praedictae obligationis ab altero, prius in Conc. Trid, c. 1, sess. VI de Ref. implicatior ec severior, nunc simplicior, videlicet: § 4, *Si ultra sex menses* ad normam can. 34, § 2 computandos *e dioecesi illegitime abfuerint*, non vero propter absentiam illegitimam ab Ecclesia cathedrali contra § 3, *α*) *Episcopum* vel a) suffraganeum vel b) S. Sedi immediate subiectum vel c) proprie Archiepiscopum absque suffraganeis, vel d) Abbatem Praelatumve *nullius*, hos singulos *Metropolita*, cuius est a) suffraganeus, vel quem ceteri sub litteris b)-d) elegerunt ad normam can. 285, sed hi tres ob analogiam iuris, dum « de hac re deest expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis » (can. 20), equidem absolute *ad normam can. 274, n. 4* ibi declaratam, *β*) *Metropolitam* sic dictum ob ei subiectas Provinciae ecclesiasticae dioeceses *antiquior Suffraganeus* ut talis, i. e. ex loco parallelo can. 284: « antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam », *residens*, seu inter eos qui residentiam actu observant, *Sedi Apostolicae denuntiet*. Talis enim potest optime veritatem trangressionis noscere, atque disciplinae amore duci ad peragendam denunciationem.

363. **Applicanda missa pro populo.** — Leo XIII, litt. ap. « In suprema » [1], postquam divini iuris fundamentum late exposuit ac historiam texuit applicandi Missam ab Episcopis pro populo eis commisso, decernit ac declarat, quod in singulis suis partibus continet *can. 339.* § 1. *Debent quoque*, id est:« etiamsi Episcopi Coadiutorem habeant », imo quacumque dignitate, etiam Cardinalitia aucti (ex litt^s^. praed. et canonibus Codicis), item Abbates ac Praelati nullius (ex litt^s^. cit. et can. 323, § 1), a) *post captam Sedis possessionem*, quia ex tunc eorum incipit officium, non antea, b) *omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota*, scilicet: omnino et quibuscumque non obstantibus, c) *omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis*, hoc est: iuxta elenchum const^s^. « Universa » Urbani VIII [2], ad normam can. 6, num. 2°, 3° [3]; exclusa restrictione sensus verborum « etiam suppressis »

[1] 10 Iun 1882. - [2] 13 Sept. 1642, § 2.

[3] Can. 6... 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi. - 3° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt: qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi.

pro aliquo loco ex his quae recensentur in can 1247 [1] ad normam inferioris § 3., sive propter allatam rationem, sive etiam quia si voluisset legislator id exprimere, loco adhibendi praec[s], iuris verba « etiam suppressis », potuisset iuxta Codicis morem maiori cum claritate parique brevitate dicere: ad normam canonis 1247. § 1. Data interpretatio authentice confirmatur per resolutionem datam a Pontificia Commissione [2]. « Dub. II. Quaenam sint festa suppressa, de quibus in cann. 339 § 1, 466 § 1. in quibus nempe ab Episcopis et Parochis applicanda est Missa pro populo sibi commisso. - Resp. Nihil hac in re per Codicem iuris canonici immutatum esse a disciplina huc usque vigente ». Obiectum obligationis est: d) *Missam pro populo sibi commisso applicare*, cuius notio explicanda est ad can. 809. - « S. Congr. Concilii ad normam const. Urbani VIII « Universa per orbem » 13 Sept. 1642 indicem qui sequitur festorum suppressorum, quibus... in universa Ecclesia inest onus litandi Sacrum pro populo, edendum statuit, idest: [3], Feriae II et III post Dominicam Resurrectionis D. N. J. C., et Pentecostes; - Dies Inventionis S. Crucis; - Purificationis B. Mariae Virginis; - Annuntiationis; - Nativitatis B. Mariae Virginis; - Dedicationis S. Michaëlis Archangeli; - Nativitatis S. Joannis Baptistae; - Dies Ss. Apostolorum: Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae; - Dies S. Stephani Protomartyris; - Ss. Innocentium; - S. Laurentii M.; - S. Silvestri Papae; - S. Annae, matris B. M. V.; - S. Patroni Regni; - S. Patroni loci ».

Quaeri posset: an clausula: « diebus festis de praecepto » et altera huic subordinata « etiam suppressis » sint intelligendae de huiusmodi diebus pro universa Ecclesia, vel extendendae quoque sint ad dies festos de praecepto particulari vigentes aut etiam suppressos. - Respondeo dicendum illas esse intelligendas

[1] Can. 1247. § 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

§ 3. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur.

[2] 17 Febr. 1918, CO. X, 170.

[3] 28 Dec. 1919, XII, 43.

solummodo de praecepto pro universa Ecclesia, nam Leo XIII et Pius IX in litt.s. aplcis. « Amantissimi Redemptoris », designando dies pro huiusmodi obligatione, revocant in memoriam const. « Universa » Urb. VIII quae, tam dies dominicos quam alios recensuit de praecepto universali, exhortando simul Episcopos ut abstineant ab indicendis particularibus festis.

In huius canonis respectu ad can. 1 codicis [1] transcribere opportunum iudicamus ex S. Congr. de Prop. Fide littm. encycl. [2] ad Deleg. Aplcos. pro Orient. italicum textum: - « La Santità di N. S. Leone XIII emanava la Cost. « In suprema » del 10 Giugno corr. anno, riguardante l'obbligo di tutti i Vescovi di applicare la messa *pro populo* nei giorni festivi. Ella non ignora che secondo la Decretale d'Innocenzo III nel Conc. Later. IV. *Licet graecos* e secondo la spiegazione datane in una Congregazione di teologi tenuta nel 1631 innanzi al Card. Pamphili, la miglior parte dei dottori, non escluso lo stesso Lambertini (Bened. XIV) è di sentimento che nelle Costit. Aplche, non si intendano compresi gli Orientali se non nei tre seguenti casi: 1. Nei punti di fede e di dottrina cattolica; 2. Dove la materia stessa dimostra la comprensione, in quanto non è una legge soltanto ecclesiastica, ma una dichiarazione della legge divina e naturale. 3. Quando, benchè si tratti di ordinazioni disciplinari, gli Orientali vi sono espressamente nominati. Questa dottrina di teologi e canonisti non è stata finora sanzionata dalla Santa Sede »; addendum: cum exceptione ad sacros Codicis canones quod attinet, ad normam can. 1 cit.; « è certo però che gli Orientali *ab immemorabili* ritengono qual sentenza teoretica e pratica di non essere compresi nelle Costituzioni disciplinari se non nel modo predetto, e che questa loro persuasione non fu mai condannata dalla S. Sede. - Posta questa teoria è ben chiaro primieramente che tutti i Vescovi anche orientali sono certamente compresi nella citata Costituzione del S. Padre *In suprema*, in quanto che essa dichiara il *gius divino* dell'obbligo della Messa *pro populo;* giacchè *vi pastoralis officii* sono assolutamente tenuti *de iure divino* i Vescovi di qualunque rito ad

[1] Can. 1. Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt.

[2] 8 Nov. 1882.

applicarla. Laonde non è questo un punto di disciplina mutabile, e che possa essere, secondo i diversi riti, cambiato o abolito per qualunque contraria consuetudine, la quale non sarebbe altro, che un abuso erroneo, se si tratti dell'obbligo dei Vescovi *in se* di offerire il S. Sacrifizio *pro populo*, e non già se si tratti del numero delle Messe, che debbono offrirsi in ogni giorno festivo. Questo numero viene determinato da una legge ecclesiastica in applicazione della legge divina, e quindi in ciò non è esclusa, secondo le diverse circostanze, ogni diversità e dispensa ».

Unam Missam sufficere quando duplici ex causa praec^{s}. §^{us}. urget, declarat § 2. *In festo* a) *Nativitatis Domini*, etiamsi bis vel « ter offerat (Episcopus) Eucharisticum Sacrificium » (canon. 806, § 1), *et si quod festum* b) *de praecepto*, etiam suppressum iuxta indicem sub praec. §°, *in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam* a) quamlibet ex illis b) dieque dominica celebrandam *pro populo applicent*.

Dubium quod emergere posset ex festi translatione solvit § 3. *Si festum ita transferatur ut in die ad quem non solum* I° *fiat Officium cum Missa festi translati* in casu vel in perpetuum ob rubricas vel aliud Decretum, *sed* II° *serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus*, viget igitur tum pro diebus festis, non suppressis tamen in loco, ad normam can. 1247, § 1 [1], tum pro diebus festis forsan alicui loco concessis sub utraque obligatione adhuc vigente, v. gr. in Hispania ante Codicis vigorem pro festo S. Iacobi Ap.; in casibus igitur praedictis, translato festo cum obligationibus, a) *Missa pro populo applicanda est in die ad quem;* b) *secus* i. e. deficiente aliqua ex illis conditionibus, et secunda etiam partialiter, applicanda erit *in die a quo* fit translatio.

De qualitate huius obligationis personali simul ac reali, disponit de novo § 4. *Episcopus*, et alii de quibus supra in § 1 ad normam can. 215 § 2, *Missam pro populo diebus supra indicatis* per totum canonem a) *per se ipse applicare debet;* potest vero accidere impedimentum a sua voluntate non pendens, ideoque: b) *si ab eius celebratione*, quacum coniungitur personalis applicatio, *legitime impediatur* i. e. ad normam legislationis canonicae, tunc non differenda, sed *statis diebus applicet per a-*

[1] Vide notam in pag. 305.

lium, hocque modo satisfacit obligationi suae; semper autem legitimo extante impedimento ne celebret, c) *si neque id* aliud *praestare possit* quacumque de causa, *quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die*. Unde sequitur obligationem applicationis missae pro populo Episcopis Praelatisve inferioribus tertiae speciei impositam primo realem esse, sed etiam personalem secundario i. e. nisi legitime impediantur.

Ex litt. ap. « In suprema » Leonis XIII est transumptus § 5. *Licet Episcopus* a) *duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas*, quid sit hoc, dicendum erit in Tit. XXV « De beneficiis ecclesiasticis » Partis quintae Lib. III, *regat aut* b) *praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem* Apostolicam *habeat, obligationi tamen* praedictae *satisfacit per celebrationem et applicationem* modo supra exposito *unius Missae* singulis praescriptis diebus *pro universo populo sibi commisso* duarum triumve dioecesium.

Nec transgressione canonis voluntaria liberatur Episcopus ab eius vinculo, eo quod statuit § 6. *Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis, non satisfecerit*, culpabiliter vel sine peccato, *quam citius pro populo tot* « per se vel per alium » (§ 4) *applicet Missas, quot omisit*. Quotidie igitur ei urget omissa unius Missae applicatio, quam velit personaliter adimplere, nisi sufficienter excusetur vel obtineat dispensationem. Si vero per alium adimplere mavult, tot dies non differat.

364. **De relatione super statu dioecesis.** — S. Congr. Consistorialis Decretum dedit incipiens « A remotissima » in cuius praefatione breviter ac optime obligationum historiam refert, quas tres sequentes canones praescribunt.

En illam: « A remotissima Ecclesiae aetate repetenda lex et consuetudo est, qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina venerentur, suaeque statum dioecesis exponant Apostolicae Sedi: cuius rei illustria documenta veteres Ecclesiae annales suppeditant.

Eiusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiae natura et constitutione nititur, atque a sacro Petri primatu necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina illa praecipientis Domini verba: pasce agnos, pasce oves. In utroque autem munere, quum visitationis sacrorum Liminum,

tum relationis de statu dioecesis, debitae Petro eiusque successori submissionis et reverentiae continetur officium.

Verum quamvis unum et alterum huius legis caput tot antea saeculis viguerit, serius tamen hac de re certior invecta est disciplina. Est enim Xisto V tribuendum, quod is, Const. edita die 20 Decembris 1585, cui initium « Romanus Pontifex », congrua ratione determinaverit, quibus temporibus et qua lege visitanda sacra Limina essent et reddenda ratio Summo Pontifici de pastoralis officii implemento a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis; quibus etiam prospexerunt encyclicae litterae sacrae Congr. Concilii. datae die 16 m. Nov. 1673. Abbatibus autem nullius dioecesis cautum est per Const. Bened. XIV. datam die 23 m. Nov. 1740. quae incipit « Quod sancta ».

Haec obtinuit ad nostros usque dies disciplina. Verum, effectis hodie multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis, iam praesentis aevi conditionibus haud respondere visa sunt ea quae in memoratis Constitutionibus decreta fuerunt circa visitationes ad Sacra Limina ac dioecesium relationes ad Apostolicam Sedem.

Et S. Congregatio Consistorialis, de mandato Ssmi D. N. Pii X, Eoque approbante, decrevit » fere prout canones sequuntur in Codice. *Can 340.* § 1. *Omnes Episcopi* etiam cardinalitia dignitate fulgentes ut in praec. iure, atque illo « nomine veniunt quoque Abbates vel Praelati *nullius* » (can. 215, § 2), *tenentur singulis quinquenniis* in §° seq. determinandis *relationem Summo Pontifici facere super statu dioecesis*, seu respective Abbatiae vel Praelaturae *nullius, sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam* pro tempore vigentem. Nunc temporis talis est « *Formula*, ab universis Ordinariis in posterum adhibenda in relationibus conficiendis, incipiendo a primo anno quinquennii tertii. hoc est ab anno 1921 » et quae invenitur in C O. X - pagg. 487-503, data per S. Congr^m^. Consistorialem sub die 4 Nov. 1918.

365. **Conditiones relationis.** — Immediate ante illius *Formulae* capita dispositiones habentur sequentes: « I. Relatio *latina lingua* conscribenda est, (sive manu, sive instrumento, ac per quemcumque) et ab ipso Ordinario (qui ad canonis praescriptum obligatur, non ab eiusdem Vicario generali, vel Coadiutore) subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fue-

rit ». Hinc patebit recens fuisse confectam secundum rei veritatem, quin subscriptio alia requiratur, nec unius vel alterius ex convisitatoribus, sicut cautum fuerat in Dec°. cit°. « A remotissima ».

« II. In prima cuiusque Ordinarii relatione (etiam in futurum praeficiendi, ob generalem loquutionem et quia in Cap. XII Formulae scribitur: « in prima sua relatione » Ordinarii) ad singulas questiones, quae infra ponuntur, accurate ac plene responderi debet ».

II. In relationibus, quae primam (ut supra) sequentur, Ordinarii omitti poterunt (pro libitu) ea omnia, quae a) partem materialem status dioecesis respiciunt », scilicet: in Cap. I° et quaedam in sequentibus, sub conditione quod b) « et immutata manent ».

Denique in fine Formulae sub XII legitur vetus praescriptum huiusmodi ex cit°. Dec°.: « In sequentibus vero relationibus (post primam suam Ordinarius) addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit », ampliaturque hoc modo: « et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi et quaenam de eo censeantur causae ».

Maiorem determinationem quinquenniorum, de quibus statuit § 1 can^is^. 340, exhibet eiusdem § 2. *Quinquennia sunt fixa et communia* omnibus Ordinariis, *atque computantur* incipiendo *a die 1 Ianuarii 1911*, prout ex cit. Dec°. Omnis ergo annus quintuplex complet quinquennium in perpetuum: *in primo quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae et aliarum minorum adiacentium; in altero Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adiacentibus*, nempe: pars Europae occidentalis; *in tertio, ceteri Europae Episcopi, cum insulis adiacentibus; in quarto, Episcopi totius Americae et insularum adiacentium; in quinto, Episcopi Africae, Asiae, Australiae et insularum his orbis partibus adiacentium.* Et planus est canon.

Exceptionem arbitrio relictam Episcopi exhibet § 3. *Si annus pro exhibenda relatione adsignatus, inciderit ex toto vel ex*

parte, in primum biennium ab inito dioecesis regimine. Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.

366. **De visitatione SS. Liminum.** — Alia praeter relationem status diaecesis obligatio est memorata in *can. 341.* § 1. *Omnes et singuli Episcopi* eadem verbi significatione ac in praec. can., quia *eo anno quo relationem exhibere tenentur* iuxta omnes praec^{s}. can^{s}. §§ explicatos, proinde cum exceptione § 3, *ad Urbem*, a) *Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi* in Basilicis Vaticana et Ostiensi, *accedant et* b) *Romano Pontifici* obsequii ac subiectionis causa *se sistant.*

Etiam hoc in canone permissionem dat peculiarem § 2. *Sed Episcopis qui extra Europam sunt*, qui proinde quarto, quintove quoque anno quinquennii sunt adacti relationi exhibendae, *permittitur ut*, si velint omittere accessum etiam periodice, saltem *alternis quinquenniis, idest singulis decenniis, Urbem petant.*

367. **Obligatio personalis in genere.** — De modo hanc obligationem adimplendi personaliter vel per procuratorem loquitur statuens *can. 342. Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere* I° *per se vel per Coadiutorem, si quem habeat*, et hoc in casu libere seligens, II° *aut*, a) *ex iustis causis a S. Sede* per S. Congr. Consistorialem *probandis* pro singulis casibus vel Episcopis, b) *per idoneum sacerdotem* forsitan in dignitate ecclesiastica constitutum, etsi expresse non dicatur, prout erat iussum in praec. iure Sixtino, sed hoc cauto : c) *qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat*, quamvis non ex officii recepti obligatione.

368. **Obligatio visitandae dioecesis.** — Citatum Dec. « A remotissima » clauditur hoc canone ibidem « VII. Denique cum sacrorum Liminum visitatio et relatio dioecesana ad Apostolicam Sedem, non sint confundendae cum lege de visitatione pastorali dioecesis, idcirco vigere pergunt praescripta a Concilio Tridentino, sess. XXIV cap. III de reform., his verbis expressa : Propriam dioecesim (Episcopi) per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium generalem aut Visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant ».

De hac dioecesis visitatione praescribit exponens illius fines *can. 343.* § 1. *Ad sanam et orthodoxam* a) *doctrinam conservandam,* b) *bonos mores tuendos,* et e contrario *pravos corrigendos,* c) *pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam* d) *ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi* atque Abbates vel Praelati *nullius* ex can. 323 ob iuridicam illius verbi significationem sub toto isto canone, *obligatione visitandi quotannis dioecesis, cuius* « nomine venit quoque Abbatia vel Praelatura *nullius* » (can. 215, § 2) in toto canone, *vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis,* eodem intervallo ac pro Sacrorum Liminum visitatione ac dioecesis relatione, supputandis ad normam can. 34, § 2, eo quod « terminus a quo implicite assignetur », nempe: ab inito dioecesis regimine *universam vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti* hoc est: impedimento ex disciplina recognito, *per Vicarium generalem aliumve* sibi benevisum sed sacerdotem ob expressum « Vicarium », (pro libito quoad eius electionem) *lustrent.*

Illi scopo visitationis praecipuo in cap. cit. Conc. Trid. subditur: « Quae ut facilius, feliciusque succedant, monentur praedicti omnes, et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere ». - De modesto comitatu est canonis § 2. *Fas est Episcopo clericos duos etiam e Capitulo* si ei placeat, nec opus est quod eidem adscripti sint, *sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscere visitationis comites atque adiutores,* non ergo ad diversas dioecesis partes seiunctim ab Episcopo visitandas; *eosque, quos maluerit, eligere* omni cum libertate prudenti, immo *reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine,* ex quibus aliquis coetus vel persona praetenderet preferentiam vel interventum in Episcopi electione ad praedictum finem.

Additur, memoriae iuvandae causa, in opportunitate § 3. *Si obligationi de qua in § 1, Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can. 274 nn. 4, 5,* sed Metropolita illud adimpleturus est secundum ea quae diximus ad can. 338, § 4. Quod praescriptum alioquin non urget, i. e. si non graviter defuerit.

369. **Obiecta visitationis pastoralis.** — De obiecto pastoralis visitationis, ad submovenda huius impedimenta limites certos apponit *can. 344.* § 1. *Ordinariae* id est periodicae ut supra *episcopali visitationi*, seu etiam per Abbatem Praelatumve *nullius* peragendae, *obnoxiae sunt personae, res ac loca pia*, nempe: ad religionem charitatemve exercendam ordinata, *quamvis exempta*, quae ampliatio est etiam interpretanda de rebus ac personis, nec solum de locis piis, dicitur enim: *quae intra dioecesis ambitum continentur*, ad quam expressam exemptionem explicandam subditur: *nisi probari possit* sufficienter atque taxative id: *specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam*, nec sufficit proinde aliter obtenta, quae implicite derogatur. Quarumdam personarum haec specialis exemptio sed partialiter protegitur in § 2. *Religiosos autem* (per quam particulam adversativam respectu §[i] praec. confirmatur eiusdem interpretatio) *exemptos* sive Ordinis, sive Congregationis religiosae (can. 488, 7°) *Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis*, proinde iure scripto et non in aliis casibus.

370. **Forma procedendi.** — Modum procedendi in visitatione servandum statuit conformiter iuri praeexistenti *can. 345. Visitator*, sive Episcopus, sive Vicarius generalis sive alius ad hoc electus, a) *in iis quae obiectum* ad normam can. praec. simul *et finem visitationis* expressum in § 1 can[s]. 343 *respiciunt*, *debet paterna forma procedere* iuxta verba Conc. Trid. antea citata, non ut iudex, *et ab eius praeceptis*, quae unicuique imponantur, *ac decretis* forsan communibus *datur recursus* ad competentem Superiorem *in devolutivo tantum* pro his examinandis ac fortassis emendandis revocandisve, sed interim sunt praecepta et decreta exequenda; b) *in aliis vero causis* extra obiectum ac finem visitationis, *etiam tempore visitationis*, *Episcopus ad normam iuris procedat necesse est* v. g. ad parochos amovendos, ad non residentes puniendos.

371. **Circumstantiae visitationis.** — Circumstantias visitationis complendae observandas ad illius feliciorem exitum consequendum, ut aiebat et monebat Conc. Tridentinum, enumerat sic eas *can 346. Studeant Episcopi* i. e. animum applicent ad hoc exequendum: a) *debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere*: *caveant*, b) *ne*

superfluis sumptibus cuiquam graves onerosive sint, c) neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum, nempe: qui eos comitantur, *pro se suisve* quibuscumque ad eos attinentibus *dona quodvis genus petant aut accipiant*, ergo etiam sponte oblata, *reprobata quavis contraria consuetudine* ad normam can. 5 [1], quae nec in posterum vigere poterit ad normam can. 27 [2]; d) *circa vero victualia sibi suisque* comitantibus et adiutoribus visitationis *ministranda vel procurationes* v. g. pecuniam, currus, equos, *et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo* i. e. vim legis habens.

372. **Ius praecedendi.** — Ratione iurisdictionis qua Episcopus residentialis dioecesi praeest, praecedentiam eidem tribuit *can. 347. In suo territorio Episcopus praecedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis*, quamvis Episcopi vel Archiepiscopi non sint, *Cardinalibus* ad normam can. 239, § 1, n. 21°, *Legatis Pontificiis* ad normam can. 269, § 2 sic intelligendi, *et proprio Metropolita; extra territorium serventur normae traditae in can. 106* scilicet: ad determinandum praecedendi ordinem inter Archiepiscopos et Episcopos, « qui ad gradum potiorem pertinent, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus;... si denique ad eundem gradum pertineant (Archiepiscopi inter se ac Episcopi mutuo) eundemque ordinem habeant (ob episcopalem consecrationem) praecedit qui prius est promotus ad gradum », hinc viget rescriptum S. Congr. Rit. in Iaren [3]. « Ambo (Episcopi) publicati fuerunt in eodem Consistorio, sed nomen (illius qui postea consecratus praesumebatur) fuit proclamatum prius. Quisnam ex hisce duobus Praelatis alteri praecedere debet. Et S. Rit. Congr. respondendum censuit. Praecedat ille qui prius in Consistorio propositus et confirmatus fuit, iuxta Decreta » pluries edita.

Cum in can. non fiat mentio, nec in generali norma nec in exceptione, de Patriarcha et Primate; quaeri potest num Ar-

[1] Can. 5. Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse reprobentur, tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere.

[2] Can. 27. § 1. Iuri divino sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert, nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta. § 2. Consuetudo quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

[3] 15 Apr. 1904, n. 4133.

chiepiscoporum nomine in can. veniant, eisque praecedat Episcopus in proprio territorio, nisi proprius Metropolita sit insimul Patriarcha vel Primas. Et respondendum negative, eo quod canon tractat de praecedentiae iure, atque in hoc Patriarchae aut Primatis titulus secumfert distinctionem iuridicam ab Archiepiscopis, ut constat ex can. 271 et 280. - Hinc etiam deducitur: clausulam can. 280 « salvo praescripto can. 347 », quem commentamur, restringendam esse ad comma immediate ibi praeinsertum: « hic (nempe Archiepiscopus praecedit) Episcopis ».

Capta occasione can. 347, locum esse opportunum censemus describendi ad sacrorum canonum normam Praelatorum et illis maiorum Dignitatum elenchum secundum earum personarum ordinem in praecedendo.

(Can. 239, § 1, n. 21°). 1. Cardinalis Legatus a latere extra Urbem. - 2. Cardinalis Legatus in proprio territorio.

(Can. 239, § 1, n. 21° et can. 347). 3. Card. Episcopus suburbicarius in propria dioecesi.

(Can. 239, § 1, n. 21°). 4. Cardinales S. R. E., atque invicem sic:

(Can. 237). 5. Cardinales Decanus, Subdecanus.

(Can. 106, 3°) 6. Card[s]. Episcopi suburbicarii, et inter eos, qui « prius est promotus ad gradum ». - 7. Card[s]. presbyteri sed episcopali charactere aucti, secundum antiquitatem promotionis ad dignitatem cardinalitiam.

(Can. 106, 3° et can. 236, § 2). 8. Card[s]. presbyteri etiam ex sacra ordinatione, cum antiquitate praefatae promotionis.

(Can. 106, 3°). 9. Cardinales diaconi ac inter se iuxta dictam antiquitatem.

(Can. 233, § 2). Nota. Si Cardinalis fuit creatus, eius nomine Rom[i]. Pont[is]. in pectore reservato, fruitur « iure praecedentiae a reservatione in pectore ».

(Can. 269, § 2). 10 Legati Romani Pontificis.

(Can. 280). 11. Patriarchae. - 12. Primates.

(Can. 347). 13. Archiepiscopi in propria eccles. prov. - 14. Episcopi in propria dioecesi.

(Can. 280). 15. Archiepiscopi extra prov. - 16. Episcopi extra propriam dioecesim.

(Can. 106, n. 3°). Nota. Utrique sive residentiales sive titulares sint, et ad invicem « praecedit qui prius est promotus » ad alterutrum gradum, etc.

(Can. 215, § 3 et can. 308). 17. Abbates et Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Aplci. « durante munere et in proprio territorio », ac sine his conditionibus post num. 18, servato mutuo praecedendi ordine.

(Motu pr. « Inter multiplices » Pii X, n. 11). 18. Protonotarii apostolici de numero participantium.- 19. Praelati, honoris causa, si quod habeant praecedendi ius secundum can. 328.

373. **Episcopus titularis.** — Ex litt. ap. « In suprema » Leonis XIII, 10 Iun. 1882, desumptus est *can. 348*. § 1. *Episcopi titulares* a) *nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cuius* titulo decorantur, sed b) *nec possessionem capiunt.*

§ 2. *Decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent;* « ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur » (cit^s^. Litt^s^.).

374. **Privilegia et insignia Episcoporum.** — *Can. 349*. § 1. *Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis*, quam communem habent *Episcopi sive residentiales sive titulares.*

1° *Praeter alia privilegia* nempe: favores praeter aut contra ius omnibus commune, *quae suis in titulis recensentur* ibidemque explicanda, *fruuntur privilegiis de quibus in canone 239*, § 1, *nn. 7-12;* videlicet: ad missae celebrationem super aram portatilem ac in mari, ad altare privilegiatum, ad missam calendario conformem, et ad quasdam lucrandas indulgentias atque benedicendum populum; prout haec privilegia ibidem de S. R. E. Cardinalibus fuerunt explicata; quorum primum Episcopis iam fuerat concessum per Dec. S. C. Rituum [1], quo Leo XIII decrevit: « ut Episcopi omnes sive dioecesani sive titulares eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur PP. Cardinales, scilicet ut non solum ipsi in propriae habitationis oratorio aut super ara portatili, ubicumque degant, (nec exprimitur causa, utrum itineris vel visitationis vel in-

[1] 8 Iun. 1896.

visendi amicum, dum tamen in tali domo commorentur), Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant »; nec quicumque dies in eo Decreto excipiuntur. Quod integre viget, constituente postrema clausula exceptionem in calce can. 1249 [1] expressam, vel salva ad normam can. 4 [2]. - Imo privilegii huius interpretationem quandoque utilem certoque vigentem refert S. R. C. in Tarvisina 12 Martii 1836. « Nempe: An Episcopus gaudens, prout est de more (nunc de iure) privilegio altaris portatilis, licite possit, si forte aliquando sit morbo impeditus, iubere ut aliquis ex Sacerdotibus sibi benevisis super idem Altare portatile, decenter collocatum iuxta cubiculum suum, Sacra peragat ad devotionis solatium? et quatenus negative... etc. Et S. R. Congr. respondendum censuit affirmative ad primam partem; ad secundam indulto non indigere ». - Prosequitur can. 349: « fruuntur Episcopi privilegiis de quibus in can. 239, § 1... » *necnon n. 2, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos*, quod privilegium etiam pro Episcopis eo in loco explicatum manet, atque originem repetit ex c. ult. de poenit. et remissionibus sequentis tenoris: « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum: Permittimus, ait Greg. IX, episcopis, et aliis Superioribus, necnon minoribus Praelatis exemptis », proindeque Prioribus quoque regularibus, « ut etiam praeter sui Superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere confessorem », quem possunt illi secum ducere per diversa loca. Quod privilegium in corpore iuris clausum ad Episcopos et Abbates ac Praelatos nullius vi huius can. 349 est restrictum, quamvis circa iurisdictionem absolvendi per electum obtentam sit ampliatum. - Aliud privilegium enumeratur in can. 349, ex *n. 3, cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci*, scilicet: qui consensus censeatur non defuturus, si peteretur; atque cum tali

[1] Can. 1249. Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur... non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc provilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.

[2] Can. 4. Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

consensu « Verbum Dei ubique praedicare » possunt Episcopi. - Aliud desumitur ex *n. 4, dummodo non teneantur celebrare in cathedrali*, nempe: « celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini », quod privilegium sufficienter in can. 239 fuit declaratum. Idipsum iam adimplevimus quoad privilegia Episcopis can[e]. 349 concessa ex *nn. 5, 6*, sed cum restrictione: *ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis*, circa obiecta scilicet pietatis indulgentiis quibusdam ditanda et circa erectionem Viae Crucis huiusque icones Crucifixi benedicendas.

Huc pertinet Dubium a S. Poenitentiaria solutum: « An liceat Episcopis communicare presbyteris suae ditionis habitualiter potestatem benedicendi rosaria, etc. de qua in can. 349, § 1, n. 1, cum applicatione indulgentiarum, observatis ritibus ab. Ecclesia praescriptis? - Resp. Negative ».[1] Idipsum dicere oportet de omnibus proprie vocatis privilegiis paragraphi, nisi contrarium exprimatur, eo quod « nec licet privilegium extendere aut restringere » respectu habito ad ipsius tenorem (can. 67).

Prosequitur § 1. *Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales, sive titulares:...*

2° *Ius habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum.* Hae leges in Coeremoniali Episcoporum magna ex parte recensentur[2]. Quoad pileolum adest Dec. S. C. Consist. [3] in quo dicitur: « Sanctitas sua mandavit ut declare-

[1] 18 Jul. 1919. CO. XI, 332. Hac occasione S. Congr. de Prop. Fide adiungit nunc « Formulae... maiori » suarum Facultatum, illam « 3. Subdelegandi pariter suis (ratione iurisdictionis Ordinarii) Missionariis sequentem duplicem *facultatem* quae eidem Ordinario, qua Episcopo, (supra) conceditur, nempe: a) *benedicendi*, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, (« accurate servandis » et quoad validitatem « adhibita formula ab Ecclesia praescripta » can. 1148), *omnia Scapularia* a Sede Apostolica probata eaque imponendi sine onere inscriptionis » (adversus cans. 694, § 2 praescriptum); - « b) *erigendi*, ritibus pariter (ut antea declaratum manet) ab Ecclesia praescriptis, stationes *Viae Crucis*, cum omnibus Indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; (scilicet: quae ab ipsis concessae fuerunt fidelibus, qui personaliter visitant Sacra Loca Hyerosolimis); et *applicandi easdem Indulgentias crucibus et Crucifixis* pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito Decreto S. Poenitentiariae, diei 14 Decembris anno 1917 ». Hoc invenitur in Comm. officiali vol. X, pag. 30.

[2] Lib. I, c. I. II, n. 3, 5, c. III, IV, n. 1-4, c. XXV, n. 1-7, c. XXIX, n. 11. — [3] 2 Maii 1910, CO. II, 330.

tur, Episcopos posse (uti privilegio deferendi pileolum violacei coloris concesso a f. r. Pio IX per aplcas. litteras 17 Iun. 1867 incipientes *Ecclesiarum*) a die in qua a S. Pont. electi sunt quamvis consecrationem episcopalem nondum susceperint, idque dum sacris operantur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis sacrisque ritibus intersunt ». - De pectorali cruce. scienda solutio Dubii in Romana [1] prout sequitur: « I. Utrum Episcopi, sive dioecesani sive Titulares, Crucem pectoralem detectam gestare possint ubicumque degant ? - S. Rit. C. respondere censuit: Ad I. Affirmative ». - Demum circa episcopalem annulum, memoramur Dec. C. S. Officii [2], quo « Pius X... universis christifidelibus, corde saltem contrito ac devote annulum EE. PP. Cardinalium vel RR. PP. Archiepiscoporum et Episcoporum deosculantibus, indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis quoque adplicabilem, benigne concessit ».

§ 2. *A capta vero possessione*, proinde solum *Episcopi residentiales habent praeterea ius: 1° Percipiendi reditus mensae episcopalis; - 2° Concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis;* scilicet: intra ea etiam in locis exemptis, propter can. 927 [3]; - *3° Elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis*, unde et in exemptis, *thronum cum baldachino.*

Ex n. 2° §^i 2^i censeri potest, hunc canonem proprie accipiendum esse de Episcopis, prout ab Archiepiscopis distinguuntur in iure, quia in can. 274 invenimus quod « in dioecesibus suffraganeis Metropolita potest; 2° Indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere ». Nec propter hanc interpretationem Archiepiscopos fraudamus a privilegiis ac iuribus Episcoporum recensitis; quia can. 273 propter hunc praes. ibidem necessario positus inquit: « Salvo praescripto can. 275-280 (de pallio ante quosdam actus recipiendo), Metropolita in propria dioecesi easdem obligationes, eademque iura (sub quibus privilegia praedicta proprie veniunt) habet quae Episcopus in sua ».

Subtilius inquirere oportet, utrum in can. 349 veniat « no-

[1] 20 Iun. 1899.

[2] Die 18 Mart. 1909, CO. I, 277.

[3] Can. 927. Nisi aliud ex concessionis tenore appareat indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes.

mine Episcopi, Abbas vel Praelatus nullius », iuxta regulam can. 215, § 2, vel applicanda illi canoni exceptio in eo § 2 expressa: « nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet ». Et respondeo dicendum esse hoc ultimum. Quia si iuxta regulam interpretaremur, plura sequerentur ceteroquin evidenter excludenda, v. gr. in externo habitu ab Episcopis nullo modo secernerentur, possent in mari quoque celebrare, quod prius non erat tributum eis, nisi aliquibus forsan ex privilegio. Insuper Codex in capite « de Praelatis inferioribus » non citat hunc canonem, sicut facit in capite « de Patriarchis, Primatibus et Archiepiscopis », imo eisdem Praelatis expresse attribuit et quandoque cum limitatione iura in can. 349 determinata; unde implicite cetera excluduntur. Videlicet: in can. 323, § 1 « Abbas vel Praelatus nullius easdem potestates ordinarias... habet, quae competunt Episcopis residentialibus in sua ». Huiusmodi potestas ordinaria est « ius percipiendi reditus mensae Abbatialis vel Praelatitiae », attamen potestates ordinariae improprie vocarentur privilegia concessa in § 1, n. 1° can. 349. - Pariter vi canonis 325 inter insignia pontificalia eisdem concessa quaedam recensentur in proprio territorio tantum adhibenda, quaedam vero ubilibet. Haec de Praelatis dicta sint praefatis, salva meliori alterius Doctoris interpretatione.

Denique ad perfectionem Capitis huius ac ultimi canonis, ex legibus liturgicis veniunt memoranda, praeter ius Episcopi residentialis, ut eius nomen in canone recitetur [1], duo Dec^a^. S. C. Rit. inserta in Actis Apostolicae Sedis [2] de computatione anniversarii electionis Episcopi quoad Missam votivam huiusque collectam recitandam.

CAPUT II.

De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum.

Can. 350. - § 1. Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadiutorem constituere.

§ 2. Coadiutor dari solet personae Episcopi cum iure successionis; sed nonnunquam datur quoque sedi.

§ 3. Coadiutor, datus personae Episcopi sine iure successionis, speciali nomine dicitur *Auxiliaris*.

Can. 351. - § 1. Iura Coadiutoris dati personae Episcopi desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur.

§ 2. Nisi aliud in his litteris ca-

[1] S. Rit. Congr. 8 Mart. 1919. CO. XI, 145.
[2] CO. II, pagg. 486, 552.

veatur, Coadiutor qui datur Episcopo prorsus inhabili, habet omnia iura ac officia episcopalia; ceteri tantum possunt quantum Episcopus eisdem commiserit.

§ 3. Quae Coadiutor potest et vult exercere, Episcopus habitualiter alii ne deleget.

§ 4. Coadiutor iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a Coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus ipse teneretur.

CAN. 352. - Coadiutor sedi datus potest in territorio ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione; aliis in rebus tantum potest, quantum eidem a Sancta Sede vel ab Episcopo fuerit commissum.

CAN. 353. - § 1. Quilibet Coadiutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est litteras apostolicas ostendat Episcopo.

§ 2. Coadiutor cum futura successione et Coadiutor sedi datus debent praeterea easdem ostendere Capitulo ad normam can. 334, § 3.

§ 3. Si Episcopus eum in statum inciderit ut eliciendi actus humani sit impos, praetermisso praescripto § 1, solum praescriptum § 2 ab omnibus Coadiutoribus servetur.

CAN. 354. - Coadiutor quilibet obligatione tenetur, sicut Episcopus, residendi in dioecesi, e qua, extra tempus vacationum, ad normam canonis 338, ipsi non licet, nisi ad breve tempus, Coadiuto permittente, discedere.

CAN. 355. - § 1. Coadiutor cum iure successionis, vacante sede episcopali, statim evadit Ordinarius dioecesis, pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit, ad normam can. 353.

§ 2. Cum Episcopi munere, exspirat Auxiliaris officium, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur.

§ 3. Si Coadiutor datus fuerit sedi, eius officium etiam sede vacante perdurat.

375. **Inscriptio capitis.** — Veluti complementum capitis inscripti « de Episcopis » additur statim *caput II. De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum:* et ex verborum inscriptionis vi de illis est sermo, qui adiutorium praebentes Episcopis, primi eorum cum Episcopo faciunt veluti unum subiectum Episcopalis officii ad iura et obligationes quod attinet, inter eos pro exercitio distributas, dum officium in Episcopo remanet, Auxiliares vero tantummodo ad supplendas vires personae Episcopi pro Episcopalis officii ministerio constituuntur.

376. **Ordo canonum** sequens est: in can. 350 a quonam constituantur dicitur, ac est distinctio eorum; huic distinctioni connectuntur iura et potestas in diversa mensura, quae in canone 351 et 352 manifesta est; inter posteriores vero tres canones, modum capiendi possessionem cuilibet Coadiutori praescribit primus, de obligatione residendi loquitur secundus; et mutatio, cessatio, vel prosequutio officii Coadiutoris pro huius distinctione statuitur in ultimo.

377. **Coadiutorum concessio.** — Bonifacius VIII in cap. un. de clerico aegrotante (III, 5) in 6° iam declarans statuit « coadiutorum episcoporum et superiorum praelatorum dationem intelligendam esse de causis maioribus, et referendam ad

Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandam ». Concessio vero peculiaris pro quibusdam casibus est ibidem subnexa propter hanc rationem amplius non practicam: « Verum ne hoc praetextu ecclesiae (existentes praecipue in remotis) dispendia patiantur: nos earum in hac parte indemnitatibus praecavere volentes... »; est tamen omissa in Codice. - Sine ulla igitur exceptione dicit *canon 350.* § 1. *Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadiutorem constituere*, quamvis ad Congr. Consist. spectet ipsum constituendum proponere, ac praevios constitutioni actus perficere, ut vidimus in can. 248, § 2. - Idem partialiter edicitur in Conc. Trid.: [1] « In coadiutoribus quoque cum futura successione idem posthac obeservetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiae cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, praelato dari coadiutorem; is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Smo. Rom. Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae iure... in Episcopis et Praelatis requiruntur ».

378. **Coadiutorum diversitas.** — A coadiutoribus in Conc. Trid. (loc. cit.) memoratis incipit § 2. *Coadiutor dari solet personae Episcopi cum iure successionis; sed nonnunquam* i. e. rarius *datur quoque sedi:* scilicet: ita ut Episcopi eamdem sedem successive obtinentes cum ea consequantur Coadiutorem defuncti vel praedecessoris Episcopi. - Praeter hos distinctos Coadiutores, tertium designat § 3. *Coadiutor*, etiam sic iure appellatur, *datus personae Episcopi sine iure successionis, speciali nomine dicitur Auxiliaris*, quo proinde appellari nequeunt praecedentes. - De his Auxiliaribus et aliis Coadiutoribus personae Episcopi datis iam fit mentio in secunda parte Decreti Gratiani tum ex Regesto Gregorii tum ex Decretali Zachariae Papae Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, quae Decretalis etiam de causa loquitur [2]: « Petisti, ut cum nostro consulto pro superveniente tibi senectute, atque corporis imbecillitate, si poteris invenire alium in eamdem sedem, in qua praees, pro tui persona debeas collocare... Sin vero Dominus dederit iuxta petitionem tuam hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere, et curam pro salute animarum, pro tui persona illum ordinabis

[1] Cap. 7, sess. XXV de Ref. — [2] C. 17, caus. VII, q. 1.

Episcopum; eritque in Evangelio tibi credito, et ministerio Christi portando in omni loco requirens et confortans Ecclesiam Dei. Si eumdem divina voluerit clementia post tui diem transitus superesse, si eum aptum cognoveris, et in tua voluntate fuerit definitum, ea hora, qua te de praesenti saeculo migraturum cognoveris, praesentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus ». Et infra de illo ait: « sed volumus, ut tibi ministret viventi, et sit in Evangelium Christi adiutor ». - Et in Decretalibus Greg. IX in c. 5 de clerico aegrotante vel debilitato (III, 6) Innocentius III Arelatensi Arch°. declarat fines dandi Coadiutorem, aiens: « Ex parte tua fuit propositum, quod cum Aurasiensis Episcopus gravi et incurabili morbo fere per quadriennium laboraverit, ita quod pastorale officium non potest ullatenus exercere... » et infra: « Verum cum ipsum ad cessionem compellere non possis (cum sis metropolitanus eius), nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, imo potius ipsius miseriae miserendum, eo quod idem vir bonus extiterit, et ecclesiam salubriter sibi commissam gubernaverit: Nos volentes tam Episcopo quam Ecclesiae providere, mandamus, quatenus illi coadiutorem associes, virum providum, et honestum; per quem tam Episcopo, quam populo utiliter consulatur ».

379. **Iura Coadiutoris Episcopo dati.** — *Can. 351.* § 1. *Iura Coadiutoris dati personae Episcopi*, cum iure aut sine iure successionis, *desumantur ex litteris apostolicis, quibus constituitur.* Has ergo primum inspicere diligenter oportet. - Postea sequens servandus § 2. *Nisi aliud in his litteris caveatur* derogans his quae sequuntur vel his oppositum, distinguendum est: *Coadiutor qui datur Episcopo prorsus inhabili*, v. gr. propter amentiam, *habet omnia iura ac officia episcopalia* de quibus in capite praecedenti et in aliis ss. legibus; *ceteri* dati Episcopo adhuc partialiter habili *possunt quantum Episcopus eisdem commiserit.* Scilicet: ab ipsius voluntate pendet auctoritas Coadiutoris ac obligationes adimplendae. - Ne autem in hoc abutatur Episcopus, statuit limitationem § 3. *Quae Coadiutor potest et vult exercere*, quod praesumitur, nisi positive contrarium constet, *Episcopus habitualiter alii ne deleget* pro casibus qui in futurum emergant, etsi pro uno casu vel aliquibus casibus

possit delegare idoneum sibi benevisum prae Coadiutore.- E contra etiam caventur inconvenientia quae ex Coadiutoris parte sequi possent, praescribente § 4. *Coadiutor, iusto* i. e. rationabili ac proportionato *impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a Coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire*, ad haec enim praesertim datus est, cum restrictione: *ad quas Episcopus teneretur;* v. gr. in cathedrali, vel ss. dare ordinationes.

380. **Potestas Coadiutoris Sedi concessi.** — Consideratis Coadiutoribus qui personae dantur Episcopi, etiam his qui Auxiliares vocantur, de aliis est sequens *can. 352. Coadiutor Sedi datus potest in territorio* I° *ea quae sunt ordinis episcopalis exercere*, v. gr. confirmare, calices consecrare, etsi non requisito Episcopi consensu, *sed excepta sacra ordinatione*, sive subditis Episcopi haec conferatur sive alienis clericis cum debitis dimissoriis; II° *aliis in rebus* praeter concessas antea, hinc etiam circa sacram ordinationem, *tantum potest, quantum* a) *eidem a Sancta Sede* v. gr. in litteris nominationis b) *vel ab Episcopo fuerit commissum;* unde in his se habet tamquam delegatus, dum ea quae sunt ordinis episcopalis, salva exceptione supra posita, exercet ex officio a iure.

381. **Modus capiendae possessionis Coadiutoriae.** — De possessione Coadiutoriae cuiuscumque capienda loquitur *can. 353.* § 1. *Quilibet Coadiutor*, etiam Auxiliaris, *ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est litteras Apostolicas* suae nominationis *ostendat Episcopo.* Idque Auxiliari sufficit, sed § 2. *Coadiutor cum futura successione et Coadiutor Sedi*, vel qui etsi non aeque principaliter Ecclesiae simul ac personae Episcopi est *datus, debent praeterea easdem ostendere Capitulo ad normam can. 334,* § *3* agentis de capienda possessione ab Episcopo residentiali iam ibi declarati. - De casu peculiari cavet § 3. *Si Episcopus eum in statum inciderit, ut eliciendi actus humani sit impos, praetermisso praescripto* § *1* tamquam inutili, *solum praescriptum* § *2*, hoc extenso tunc ad Auxiliarem, *ab omnibus Coadiutoribus servetur.*

382. **Obligatio residendi.** — De unica obligatione generali Coadiutorum latus est *can. 354. Coadiutor quilibet* (etiam Auxiliaris) *obligatione tenetur, sicut Episcopus, residendi in dioecesi*, cum activitate autem diversa secundum can. 351, § 4,

et 352, *e qua* a) *extra tempus vacationum*, « ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos », *ad normam can. 338* ibi explicatam, et in cuius §ⁱ 2 fine illi menses « tempus vacationum » vocantur, ultra illos, Coadiutori *ipsi non licet*, b) *nisi* I° *ad breve tempus, et* II° *Coadiuto permittente, discedere*. Nec tamen prohibitum est ad longius tempus discedere, causa visitationis SS. Liminum, vel assistentiae Concilio Provinciali, quando alii ss. canones id permittunt, sicut videre est in can 282, § 1, 286, § 1, 342.

383. **Cessatio ab officio Coadiutoris.** — Terminum officii Coadiutoris respicit pro triplici eius conditione *can. 355.* § 1. *Coadiutor cum iure successionis*, a) *vacante Sede episcopali, statim evadit Ordinarius dioecesis*, ipso ergo iure ab initio Coadiutoriae concesso pro casu vacationis huiusmodi: propterea illius dioecesis, *pro qua fuerat constitutus*, si conditio inceptionis officii sui fuerit adimpleta, nempe: b) *dummodo possessionem legitime ceperit, ad normam can. 353* i. e. §§ 1 et 2. atque in casu § 3ⁱ servato solum paragrapho 2°.

§ 2. *Cum Episcopi munere amisso* (qualibet ex causa) *exspirat Auxiliaris officium* ex natura ipsius iuridica, *nisi aliud in litteris apostolicis caveatur* pro singulari casu. - E contra ex natura sequentis Coadiutoris iuridica: § 3. *Si Coadiutor datus fuerit Sedi, eius officium etiam Sede vacante perdurat*, sed de ipsius potestatis augmento nihil dicitur; mensuranda ergo est canone 352, secundum illius traditam explicationem, sed quod ibidem dicitur de Episcopo intelligatur de subiecto episcopalis iurisdictionis, Sede vacante.

CAPUT III.

De Synodo diocesana.

CAN. 356. - § 1. In singulis dioecesibus celebranda est decimo saltem quoque anno dioecesana Synodus, in qua de iis tantum agendum quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur.

§ 2. Si Episcopus plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, alteram aliasve in perpetuam administrationem, potest unam tantum dioecesanam Synodum ex omnibus dioecesibus convocare.

CAN. 357. - § 1. Synodum dioecesanam convocat eique praeest Episcopus, non autem Vicarius Generalis sine mandato speciali nec Vicarius Capitularis.

§ 2. Celebranda est in ecclesia cathedrali, nisi aliud rationabilis causa suadeat.

CAN. 358. - § 1. Ad Synodum vocandi sunt ad eamque venire debent:

1° Vicarius Generalis;

2° Canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani;

3° Rector Seminarii dioecesani saltem maioris;

4° Vicarii foranei;

5° Deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus;

6° Parochi civitatis in qua Synodus celebratur;

7° Unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant; parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere ad normam can. 465, § 4.

8° Abbates de regimine et unus e Superioribus cuiusque religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit.

§ 2. Episcopus, si opportunum indicaverit, potest ad Synodum vocare alios quoque et etiam omnes canonicos, parochos, Superiores religiosos, imo et singulos suae dioecesis saeculares sacerdotes, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit; invitati autem ius suffragii in omnibus habent, perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit.

CAN. 359. - § 1. Iis qui ad Synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere procuratorem qui eorum nomine Synodo intersit; sed Episcopum de impedimento certiorem faciant.

§ 2. Negligentes Episcopus potest iustis poenis compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur qui parochi non sunt.

CAN. 360. - § 1. Episcopus, si id ipsi expedire videatur, opportuno ante Synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis *commissiones* nominet, seu coetus virorum qui res in Synodo tractandas parent.

§ 2. Ante Synodi sessiones Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, decretorum schema tradendum curet.

CAN. 361. - Propositae quaestiones omnes, praesidente vel per se vel per alium Episcopo, liberae adstantium disceptationi in sessionibus praeparatoriis subiiciantur.

CAN. 362. - Unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus; unus ipse subscribit synodalibus constitutionibus; quae, si in Synodo promulgentur, eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.

384. **Inscriptio capitis.** — Transire oportet ad *Caput III. De Synodo dioecesana*, quod verbum Synodus etsi anteactis temporibus applicatum sit Conciliis etiam Oecumenicis v. gr. Ephesino, Tridentino, in Codice reservatum est exclusive coadunationi secerdotum uno interveniente ac praeside Episcopo residentiali; additur autem, sicut mos erat, « dioecesana », tum propter eos, qui conveniunt, tum propter materiam decretorum quae in ea feruntur, tum denique propter eos qui ad ea observanda obligantur, dum limitibus dioecesis ea omnia clauduntur.

385. **Ordo canonum.** — In hoc capite, can. 356 de obligatione habendae Synodi est primus, secundus 357 de convocante ac praeside et de loco agit; in sequentibus 358 et 359 recensentur qui ad Synodum venire debent aut invitantur, de celebrationis

modo cavent can. 360, 361, et in ultimo seu 362 vis eorum decretorum perpenditur.

386. **Obligatio celebrandi Synodum.** — *Can. 356.* § 1. *In singulis dioecesibus*, quorum « nomine in hoc canone venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), ex canonis praescripto *celebranda est decimo saltem quoque anno dioecesana Synodus*, quae prius singulis annis celebranda erat, tum ex iure Decretalium [1], ut quae statuerint Episcopi in Concilio provinciali publicarentur « in episcopalibus synodis annuatim per singulas dioeceses celebrandis », tum ex Conc. Tridentino (c. 2 sess. XXIV de Ref.), ubi quolibet saltem triennio Concilia provincialia iubentur cogenda ad normam Conc. Lateran. V sub. Leone X [2], ac ibidem dicitur: « Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur ». Huic Synodo Trid^{ae}. congruens legislator, in Codice ampliante pro illis Conciliis temporis intervallum ad vicesimum annum, pro his dimidium intervallum assignavit, ita ut non ultra dioecesana Synodus procrastinetur; frequentius tamen haberi poterit. Prosequitur canon: *in qua* synodo *de iis tantum agendum, quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates*, quae latitudinem sufficientem in ecclesiastica re offerunt, *referuntur*. De vitandis controversiis aut decretis in dioecesana Synodo sapienter pertractat Bened. XIV in suo opere De Synodo dioecesana (valde commendando) inde a Lib. VII.

Quia dictum est: « in singulis dioecesibus », canon dubium praesolvit in § 2. *Si episcopus plures* a) *dioeceses aeque principaliter* i. e. in omnibus distinctas aliis, sed *unitas regat*, b) *aut unam habeat in titulum*, cuius Episcopus residentialis est atque illius appellatur, *alteram aliasve in perpetuam administrationem* a Suprema Sede receperit regendas, *potest unam tantum dioecesanam Synodum ex omnibus dioecesibus convocare*, et sic pro utraque dioecesi obligationi per § 1^{m} impositae satisfacere. Imo, coactam huiusmodi Synodum obligare omnes, tenuit Gonzales ad reg. 8 Cancell., et S. C. C. tum in Gerundinen. et Cariaten. 1 Februarii 1708, tum in Terracinen. ubi ad quaesitum « V. An Synodus celebrata in cathedrali Privernen. die

[1] C. 25 de Accusationibus... V, 1.
[2] Const. « Regimini universalis » 4 Maii 1515, § 12.

24 Iunii 1764, obliget civitatem, et dioecesim Terracinen. »; die 1 Martii 1766 respondit: « Ad V. Affirmative et amplius ».

387. **De convocatione, praesidatu et loco.** — *Can. 357.* § 1. *Synodum dioecesanam convocat eique praeest Episcopus*, sicut patet ex convocationis tenore in Coerem. Episc. [1], et ex Pontif. Romano in quo est « Ordo ad celebrandam Synodum ». Hoc in canone « nomine Episcopi venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), eo quod (can. 323, § 1) « easdem potestates ordinarias easdemque obligationes... habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi ». Contrarium tenendum erat non sine contradictione ex sententia Bened. XIV [2], iuxta declarationem S. C. C. sequentem in Mileten. mense Decembri 1586: « Abbatem Sanctissimae Trinitatis non posse separatim Synodum celebrare, nisi constet, Abbatiam nullius esse dioecesis, et proprium habere territorium, atque alias legitime Synodum celebrasse ». In canone sequitur e contrario: *non autem* « Synodum dioecesanam convocat vel praeest » a) *Vicarius generalis* etiam Abbatis vel Praelati nullius *sine mandato speciali* illius aut Episcopi, b) *nec* quilibet *Vicarius Capitularis* absolute; et de primo idipsum S. C. C. declaraverat, « quae hisce verbis interrogata: N. Ordinarius supplicat pro declaratione, an Vicarius generalis Episcopi possit, Episcopo absente, Synodum Diocesanam congregare, ita ut Constitutiones in ea editae sint observandae; die 4 Dec. 1655 respondit: Non potuisse absque speciali mandato Episcopi, ac propterea Constitutiones in Synodo, ut proponitur, factas, esse ipso iure nullas ». Ita refert Bened. XIV [3] qui [4] tenet tamquam verissimam sententiam, qua DD. tribuunt eam facultatem Vicario Capitulari, « dummodo elapsus sit annus ab ultima Synodo », quae sententia supponit Synodi dioecesanae annualem celebrationem, quae cum ex Codice sit protracta ad decennium, ruit ex fundamenti defectu illa sententia.

§ 2. *Celebranda est in ecclesia cathedrali*, ut constat ex loc. cit. Caeremon. Episc., attamen absque rigore, cum addatur: *nisi aliud rationabilis causa suadeat*, ut nempe in alia Ecclesia convenienter celebretur. Concordat S. C. C. declaratio diei 17

[1] L. I, c. XXXI, n. 3.
[2] De Syn. dioecesana, lib. II, cap. XI, n. XVII et V. — [3] De Syn. dioec. l. II, c. VIII, n. 3. — [4] Cap. seq. n. V et seq.

Maii 1636 hisce verbis: « Posse Episcopum etiam in dicto oppido Dioecesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam Cathedralem celebret »; eruiturque ex cap. 7 de Officio Ordinarii in 6° iam relato ad can. 335 § 1. In casu § 2 praecedentis canonis, quo Episcopus regat duas vel plures dioeceses in titulum administrationemve, sequamur ad normam can. 20 [1] doctrinam communem ac constantem DD. sic expressam per Bened. XIV [2] : « Diximus, sola inspecta iuris severitate, licere Episcopo in alterutra, quam maluerit, ex praefatis Ecclesiis Synodum cogere; nam si aequitatis et decentiae sit ratio habenda, ad evitandas inter utramque Ecclesiam simultates, et concordiam fovendam, maxime expedit, ut illam modo in una, modo in altera, alternatim celebret: et praeterea, si alternativam induxerit legitima consuetudo, tenetur Episcopus hanc omnino servare ». Quod consonat normae can. 4 et 5 [3] quia hic ultimus abrogat solum « vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines... ».

388. **Vocandi ad Synodum.** — *Can. 358.* § 1. *Ad Synodum vocandi sunt*, est obligatio convocantis, *ad eamque venire debent*, est obligatio subsequentium: 1° *Vicarius generalis;* 2° Omnes *canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani;* omnes hi ubi desunt illi; 3° *Rector Seminarii dioecesani saltem maioris*, qui sufficit; 4° *Vicarii foranei* omnes; 5° *Deputatus uniuscuiusque collegialis Ecclesiae* a) *a Capitulo eiusdem Ecclesiae* b) *e gremio* Capituli ad normam can. 393 § 2, *eligendus* (unus tantum) ad normam cann. de Capitulis ac 101 § 1 de actibus personarum moralium; 6° *Parochi civitatis in qua Synodus celebratur*, idque supponit celebrandam in aliqua civitate, quamvis haec non sit residentia Episcopi; 7° *Unus saltem* a) *parochus* b) *ex unoquoque vicariatu foraneo*, c) *eligendus* ad normam can. 101 § 1, 1° *ab omnibus qui curam animarum*, etsi non ut

[1] Can. 20. Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis, sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia Doctorum.

[2] Op. cit. l. I, c. V, n. 4.

[3] Can. 4. Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

titulares, sed *actu inibi habeant*, hinc suffragium habent vicarii paroeciales, etsi non omnes, de quibus patebit in cap. X; monitioque subditur: *parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere ad normam canon. 465 § 4*. - Quoad religiosos etiam exemptos, qui animarum curam exerceant, respondendum cum Leone XIII in const. « Romanos Pontifices »[1], « standum esse decretis Synodi Tridentinae », ac praemiserat: « De officio conveniendi ad Synodum explorata Tridentina lex est[2]. Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur », sicut Abbates de regimine circa quos in seq[t]. n°. can., « accedere tenentur. Ratione autem parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam adnexarum » conventibus, « debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quam legem egregie illustravit Bened. XIV »[3]. Hucusque Leo Pontifex.

Illustratio respicit casus diversos: « Verum, cum animarum cura, Ecclesiae Regulari annexa, possit ab Ecclesiae Praelato exerceri vel per se, vel per Cappellanos ad nutum amovibiles, vel per Vicarium saecularem, praevia approbatione Episcopi, in perpetuum deputatum, singuli casus sunt speciatim expendendi ». Et in numeris 12 et 13 (loc. cit.) alios casus considerat, inter quos: « Sed quid, si cura annexa sit, non Ecclesiae principali conventus, seu monasterii, sed alteri Ecclesiae monasterio accessorie unitae; eaque regatur, non per Vicarium saecularem sed per aliquem regularem a monasterii Praelato destinatum atque ad eiusdem placitum amovibilem? Quinam tunc (ex eis) Synodo adesse debet? » - Et haec innuisse sufficiat ibidem quaerenda.

Sequitur in canonis enumeratione: 8° *Abbates de regimine* i. e. non mere titulares, *et* a) *unus* tantum b) *e Superioribus* c) *cuiusque religionis clericalis* exemptae aut non, inter eos *qui in dioecesi commorentur*, i. e. ad modum inhabitationis ut Superior, d) *designatus a Superiore provinciali*, unde loquitur de Superioribus localibus, excepta hypothesi: *nisi* a) *domus provincialis* scilicet: huius Superioris residentia *sit in dioecesi*, secus non viget exceptio haec, b) *et Superior provincialis inter-*

[1] 8 Maii 1881. — [2] Sess. XXIV, c. 2 de Ref.
[3] De Syn. dioec., lib. 3, c. 1 § 11.

esse ipse maluerit, tunc enim potest ac designandi loco interesse « debet ». Quoad Superiorem religiosum exemptum fuit ampliata obligatio Synodo dioecesanae interveniendi.

Practici momenti circa Abbates de regimine potest esse cap. 6 (tit. De privilegiis V, 7) in 6°. « Ut Apostolicae Sedis benignitas: quae nonnullis Abbatibus aliisque praelatis, quibus non competit ex propria dignitate, concessit in ecclesiarum suarum gloriam et honorem, quod mitra et aliis pontificalibus uti possint: provideat, ne inde scandala oriantur: sic tamen, quod ipsi privilegiati suorum privilegiorum non frustrentur effectu, et ex maioritate ac decore maiori ornatuum, maioritas appareat dignitatum. De fratrum nostrorum consilio praesenti decreto statuimus, ut Abbates, et alii, quibus mitrae usus est ab eadem sede concessus: Exempti quidem in provincialibus conciliis, et episcopalibus synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) mitris tantummodo aurifrisiatis, nec tamen aureas vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus, uti possint. Non exempti vero simplicibus et albis ac planis utantur. In aliis vero locis exemptis et non exemptis mitris liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem sede indulta permittunt ».

§ 2. *Episcopus, si opportunum iudicaverit, potest ad Synodum vocare* praeter dictos in §° 1°, et exprimere, quia praesumuntur non vocati, *alios quoque et etiam omnes* a) *canonicos* collegiatorum capitulorum, b) *parochos* extra urbanos, c) *Superiores religiosos* eiusdem religionis clericalis intra dioecesim commorantes, tam locales, quam provinciales, *imo* d) *et singulos suae dioecesis saeculares sacerdotes*, proinde non religiosos etsi eidem subiectos, nec tantum in sacris aut beneficiatos, cum sequenti limite: *iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit;* ius autem horum inde sequutum praescribitur: *invitati autem ius suffragii in omnibus habent, perinde ac ceteri* ut infra can. 362 et alibi, *nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit* quoad idipsum. Tamquam normam iudicii Episcopi de opportunitate invitationis, praestat referre responsionem S. C. C. in Nucerina [1]: « IV. An Presbyteri et Clerici non beneficiati compelli possint per Episcopum ad Synodum, consuetudine legitima haud extante in casu etc. - Ad IV. Affirmative ut in Balneoregien. 15 Dec. 1629 »,

[1] 20 Dec. 1817.

quae sic se habet: « Episcopus Balneoregien. supplicat per S. Congregationem responderi. Primo: An ipse cogere possit simplices Sacerdotes non beneficiatos suae Dioecesis ad interessendum Synodo dioecesanae. Secundo: Et quid si concurrat consuetudo? respondit: Posse cogere quando in Synodo agendum est de reformatione morum, sive de aliqua re concernente totum Clerum, vel de intimandis Decretis factis in Synodo Provinciali: hoc autem casu in ipsa Synodi convocatione faciendam esse mentionem » (ad quod nunc vi canonum non tenetur Episcopus) « quod de praedictis erit tractandum. Ad secundum, concurrente consuetudine posse ».

389. **Obligatio Synodalium.** — *Can. 359. Iis, qui ad Synodum venire debent* ex § 1° praec., a) *si legitimo impedimento detineantur*, quod proportionatum eos excuset, *non licet mittere procuratorem qui eorum nomine Synodo intersit:* etenim ut notat Bend. XIV de Syn. dioeces., admissio procuratorum nihil prorsus ad Synodi utilitatem conferre valet; quia vero debent accedere, additur: b) *sed Episcopum de impedimento certiorem faciant.*

Sicut Conc. Trid., ita cavet § 2. *Negligentes adire* ad Synodum ex obligatione, *Episcopus potest iustis poenis* ad eius arbitrium minatis *compellere et punire*, exceptio est: *nisi de religiosis exemptis agatur qui parochi non sunt*, etsi obligatis ac negligentibus. Sic iam declaratum fuerat in c. Novae Segoviae [1]: « Episcopum procedere posse ad poenas etiam censurarum contra Regulares exercentes curam animarum in Ecclesiis Parochialibus Regularium, si renuant accedere ad Synodum, non autem contra Superiores eorumdem Regularium ». De aliis vero extat in Decretalibus c. 9 [2] Innoc. III rescribentis: « Abbates, et Sacerdotes, dioecesana lege tibi subditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt (dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis) per censuram Ecclesiasticam ad Synodum ipsam venire compellas, et debitam tibi obedientiam et reverentiam exhibere », ubi Innocentium « Sacerdotum » vocabulo Parochos indigitasse, observat Fagnanus in comment. ad idem cap. n. 2 et 3.

390. **Commissiones praesynodales.** — In Synodi dioecesanae celebratione distinguuntur sessiones de quibus statuit nor-

[1] 1 Ap. 1656. — [2] De maioritate et obedientia, (I, 33) X

mas liturgicas Pontificale Rom. in tit. « Ordo ad Synodum », quae fiunt in Ecclesia, et in eis circa Constitutiones synodales, solum an hae placeant, interrogantur convenientes. Nulla fit mentio disceptationis circa eas, hinc sunt aliae sessiones praeparatoriae omnium synodalium de quibus can. 361, ac demum commissiones non omnium synodalium, de quibus primo agit *can. 360.* § 1. *Episcopus, si id ipsi expedire videatur*, proinde relictum est prudenti arbitrio eius, *opportuno ante Synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis commissiones nominet*, quas canon definit: *seu coetus virorum qui res in Synodo tractandas parent.* - Propter sequentem canonem praemittitur § 2. *Ante Synodi sessiones*, quae tres recensentur in Pont. Rom., sed una tantum vel duae admittuntur, *Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, decretorum schema* non definitorum *tradendum curet.*

391. **Sessiones praeparatoriae.** — Propter Synodi dioecesanae naturam statuit sapienter *can. 361. Propositae quaestiones omnes*, a) *praesidente per se vel per alium Episcopo*, b) *liberae adstantium disceptationi* moderatae sub praesidentis ductu c) *in sessionibus praeparatoriis* ad inchoandam Synodum *subiiciantur.*

392. **Legislator in Synodo.** — Praecipuus *can. 362. Unicus est in Synodo* a) *legislator Episcopus, ceteris* etiam canonicis cathedralis capituli *votum tantum consultivum habentibus* ad leges quod attinet; et de hac re sunt duae prop. damnatae in const. « Auctorem fidei » Pii VI [1]. « 9. Doctrina, quae statuit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus Episcoporum. - Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi arianae a Calvino innovatae ».

« 10. Item, doctrina, qua parochi, aliive Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto, - falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati decisionum, iudiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus

[1] 28 Aug. 1794.

erronea ». Unde constat etiam res fidei, quoad earum iudicium, non circa solam explicationem, esse extra Synodi dioecesanae scopum in can. 356. § 1 supra positum. - In canone 362 sequitur: *unus ipse* scilicet: Episcopus b) *subscribit synodalibus constitutionibus*, quae his verbis vel decreta ex can. 360, § 2 inscribere oportet; c) *quae, si in Synodo promulgentur*, sicut in tit. « Ordo ad Synodum » Pontif^s^. Rom^i^. innuitur, *eo ipso obligare incipiunt, nisi aliud expresse caveatur.* Est idipsum ampliatio normae can. 335, § 2 de legibus episcopalibus, quae sive in Synodo sive extra Synodum ferri queunt, sicut in iure praec^i^.

Scitu digna est canonica sequens doctrina excerpta ex Const. « Romanos Pontifices » Leonis XIII: [1] « Proxima est quaestio quae respicit appellationem ab interpretatione, quam Episcopi ediderint, decretorum synodalium. Namque hisce decretis pareant oportet etiam religiosi sodales in iis quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem referuntur, ceterisque in rebus *in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta* iuxta cap. 1 de privilegiis (in 6°) Innoc. IV. Profecto dubitare non licet quin ab iis interpretationibus ad Sedem Apostolicam provocatio sit; siquidem, Gelasio I et Nicolao I auctoribus, *ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Quare huius appellationis tantummodo vis et effectus potest in dubitationem adduci. At haec dubitatio facile tollitur, si apta fiat causarum distinctio. Fas est nimirum Regularibus appellare in devolutivo tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam in suspensivo. Authentica namque interpretatio quae manat ab Episcopis, qui Synodorum auctores sunt, tanti profecto est, quanti sunt ipsa decreta. Ex quo illud omnino est consequens, licere religiosis sodalibus a primo decretorum genere appellare eo iure et modo, quo licet cuilibet e dioecesi appellare a lege communi, scilicet in devolutivo. At vero ad reliqua decreta quod attinet, ea certe lata contra regulares vim rationemque legis amittunt: quare constat illos sic exemptionem a iurisdictione episcopali possidere uti ante possederint: donec Pontificis Maximi auctoritate indicetur, iure ne an secus cum ipsis actum sit ».

CAPUT IV.

De Curia diocesana.

CAN. 363. - § 1. Curia dioecesana constat illis personis quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis.

§ 2. Quare ad eam pertinent Vicarius Generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores.

CAN. 364. - § 1. Nominatio eorum qui praedicta officia vel munera exercent, scripto consignetur, ad normam can. 159.

§ 2. Nominati vero debent:

1° In manibus Episcopi iusiu-

[1] 8 Maii 1881.

randum praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita;

2° Negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam iuris;

3° Secretum servare intra fines et secundum modum a iure vel ab Episcopo determinatum.

CAN. 365. - De officiali, promotore iustitiae, defensore vinculi, iudicibus synodalibus, auditoribus, cursoribus et apparitoribus, serventur praescripta can. 1573-1593; de Vicario Generali, cancellario allisque notariis, examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus, praescripta canonum qui sequuntur.

393. **Capitis inscriptio, et canones.** — Transire iam est necesse ad *caput IV*, cuius ss. canonibus praevia est inscriptio: *De Curia dioecesana*, quae appellatio, diversimode ac in relativa Tit. praecedentis inscriptione, sumitur non a loco ubi residet, sed a territorio erga quod cum personis et rebus diligentem Episcopi curam personae Curiae participant. Tres praeambuli sunt canones generales: can. 363 edicit quid sit curia dioecesana, quibusve personis constet; de istarum nominatione et ex ea consequentibus generalibus obligationibus praescribit can. 364, et tertius distinctionem statuit quoad locum Codicis pro diversis deputatum.

394. **Curiae diocesanae notio.** — *Can. 363.* § 1. *Curia dioecesana*, seu abbatialis aut praelatitia, *constat illis personis quae Episcopo*, Abbati vel Praelato nullius, *aliive qui, loco Episcopi, dioecesim*, cuius nomine hic « venit quoque abbatia vel praelatura *nullius* » (can. 215, § 2), *regit*, proinde permanenter actura constituitur, etsi personae variari queant iuxta ss. canones, quae *opem praestant in regimine totius dioecesis;* unde ab ipsa secernuntur vicarii foranei, aliive Episcopi delegati particulares. - Sequitur eas personas enumerans § 2. *Quare ad eam pertinent* a) *Vicarius generalis*, b) *officialis*, haec appellatio ex iure Decretalium, c) *cancellarius*, d) *promotor iustitiae*, e) *defensor vinculi* duplicis ut videbimus, f) *synodales* tam *iudices* quam g) *et examinatores*, h) *parochi consultores* sic appellati in Dec. « Maxima cura » [1], non confundendi cum consultoribus dioecesanis, prout S. C. Consist. « non eosdem esse » declaravit in resp. ad Dubium 9 [2]: praeter illos etiam i) *auditores*, k) *notarii*, l) *cursores et* m) *apparitores*. Omnes hi suis in locis noti fient.

395. **Nominatio et obligationes.** — *Can. 364. Nominatio eorum qui* a) *praedicta officia* stricto sensu v. gr. Vicarius ge-

[1] 20 Aug. 1910. — [2] 3 Oct. 1910.

neralis, officialis, b) *vel munera* seu officia lato sensu (can. 145) *exercent, scripto consignetur, ad normam can. 159.* Non ad validitatem, ut ibidem fuit explicatum. - § 2. *Nominati vero debent*: 1° *In manibus Episcopi*, prae Vicario ergo generali, *iusiurandum praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptione posthabita*, nempe non attentis conditionibus ad rem non pertinentibus, donis etiam postpositis. Sic constrictum est iuramentum examinatoribus synodalibus impositum in c. 18, sess. XXIV de Ref. in Conc. Trid.: « iurentque omnes ad sancta Dei evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exequuturos », et minoratum fuit aliud expressum in formula adiuncta Dec. S. C. Consist.[1] pro eisdem examinatoribus et parochis consultoribus, vi enim canonis non extenditur ad secretum ex n. 3 seq. servandum, nec ad praescriptum in n. 2. Quamvis hoc verum sit, iusiurandum de secreto in processus initio interponendum praescribit can. 2144. - Quoad personas vero quae illud praestare tenentur, est ampliatum, quia ultra praedictos tum examinatores tum parochos consultores, non cogebat ceteros ius praecedens ad huiusmodi iuramentum. - Ultra hoc autem hi « nominati debent »: 2° *Negotia ad se spectantia*, relictis quae ad alios spectant, *sub auctoritate Episcopi tractare ad normam iuris*, sunt enim in legitimum eius adiutorium assumpti. - 3° *Secretum servare intra fines* officii vel muneris *et secundum modum a iure vel ab Episcopo determinatum*, fortassis etiam sub iuramento, si pro eorum singulis in Codice determinetur vel in qua mensura Episcopus determinaverit. Pariter quoque fines determinare secreti ad ius et ad Episcopum indubie spectat. - Ad examinatores synodales ac parochos consultores quod attinet, ad normam can. 6, n. 2°, 3°, 6° viget ex Dec. « Maxima cura » huius can. 7[2], atque ab eis adhiberi debet formula Dec. Congr. cit.[3].

396. **Ordo tractationis quoad diversas personas.** — Omnia munera stricte iudicialia in quartum Codicis librum amandantur, de ceteris per ordinem sub diversis hic articulis pertractatur. Id edocet *can. 365. De officiali, promotore iustitiae, defensore vinculi, iudicibus synodalibus, auditoribus, cursoribus et*

[1] 15 Feb. 1912.
[2] S. C. Consist. 20 Aug. 1910. CO. II, 640. — [3] 15 Febr. 1912. CO. IV, 142.

apparitoribus, serventur praescripta can. 1573-1593; de Vicario generali in art. I, *cancellario aliisque notariis* in art. II, *examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus* in art. III, supple « serventur » *praescripta canonum qui sequuntur.*

Art. I. — *De Vicario generali.*

Can. 366. - § 1. Quoties rectum dioecesis regimen id exigat, constituendus est ab Episcopo Vicarius Generalis, qui ipsum potestate ordinaria in toto territorio adiuvet.

§ 2. Vicarius Generalis libere ab Episcopo designatur, qui eum potest ad nutum removere.

§ 3. Unus tantum constituatur, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat; sed, Vicario Generali absente vel impedito, Episcopus alium constituere potest qui eius vices suppleat.

Can. 367. - § 1. Vicarius Generalis sit sacerdos e clero saeculari, annos natus non minus triginta, in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus.

§ 2. Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse eiusdem religionis alumnus.

§ 3. Vicarii Generalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, aut, exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus; sed non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere.

Can. 368. - § 1. Vicario Generali, vi officii, ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

§ 2. Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exsequi potest rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66.

Can. 369. - § 1. Vicarius Generalis praecipua acta Curiae ad Episcopum referat, ipsumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam.

§ 2. Caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem sui Episcopi, firmo praescripto can. 44, § 2.

Can. 370. - § 1. Praesente etiam Episcopo, Vicarius Generalis publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus, nisi clericus charactere episcopali praefulgeat, et Vicarius Generalis eodem careat.

§ 2. Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet; secus durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis.

Can. 371. - Exspirat Vicarii Generalis iurisdictio per ipsius renuntiationem ad normam can. 183-191, aut revocationem ei ab Episcopo intimatam, aut sedis episcopalis vacationem; suspenditur vero suspensa episcopali iurisdictione.

397. **Vicarii notio ac distinctiones.** — Quia nunc primum loqui oportet singulatim de aliquo vicario, non abs re erit notiones quasdam generales praeponere. Vicarii, eo quod vices alio-

rum gerunt, in iure can. generatim dicuntur « ii, qui a legitima ecclesiastica auctoritate sunt constituti ut personam gerant Episcopi alteriusve Praelati, parochi aut clerici beneficiati vel Capituli pro exercenda iurisdictione aut divinis mysteriis celebrandis, quando quis eorum mortuus, absens vel quomodocumque sit impeditus aut prohibitus ».

Vicarii discerni possunt: *a*) ratione potestatis *in vicarios in divinis*, constitutos nempe tales quoad altaris ministeria, animarum curam vel internum forum; e quibus alii sunt *perpetui*, alii *temporarii*, et in *vicarios iurisdictionis*, qui aliorum officium exercent in externo foro quoad iurisdictionem sive voluntariam sive iudicialem, v. gr. Vicarii capitulares, vel generales. Ratione vero *b*) subiecti cuius vices gerunt diversa nomina sortiuntur, prout notum est. - Ex hodierna disciplina per Codicem firmata vicarius, qui episcopalem iurisdictionem in dioecesi exercet, vel hoc facit in externo foro et quoad moralem totalitatem, vocaturque *Vicarius generalis*, vel exercet eam partialiter ac in parte solum territorii atque dicitur *Vicarius foraneus*. Hi duo ab Episcopo nominantur. Demum iurisdictionem ordinariam in vacante dioecesi exercendam obtinet, qui *Vicarius capitularis* audit, eo quod capitulum est revera subiectum, quod ex iuris dispositione praefatus repraesentat Vicarius.

398. **Inscriptio articuli.** — Vicarius generalis, prout in Codice distinguitur ab officiali, est: « ille, qui exercet ea, quae sunt iurisdictionis voluntariae seu administrationis », dum Officialis dicitur: « qui iudiciali praeest iurisdictioni ». Hinc est inscriptus *art. I De Vicario generali*, qui sub inscriptione « de Curia dioecesana » sic appellatus intelligitur vicarius Episcopi atque generalis quoad eius dioecesim. Definitur vero nunc temporis: « sacerdos (propter can. 154) legitime deputatus ad exercendam generaliter iurisdictionem regulariter voluntariam vice Episcopi, ita ut actus illius ab Episcopo positi censeantur ». - Munus Vicarii generalis fuit ab initio per consuetudinem ac praxim magis magisque introductum ac tandem in scripto iure fuit approbatum, et hoc modo evasit ordinarium, quia meno Principe inferior potest a seipso alteri committere totam iurisdictionem suam iure ordinario exercendam.

399. **Canonum ordo.** — Can. 366 ac 367 de Vicarii generalis nominatione qualitatibusque praescribunt, can. 368 et 369

eius potestates modumque se gerendi in officio tradunt, honorifica vero iura in can. 370 continentur, ac ultimus seu 371 edocet modos cessationis ab officio.

400. **Nominatio.** — *Can. 366.* § 1. *Quoties rectum dioecesis*, abbatiae vel praelaturae nullius, *regimen id exigat*, alioquin non urget praescriptum, *constituendus est ab Episcopo*, cuius « nomine hic venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 215, § 2), *Vicarius generalis*, de cuius officii natura controversia DD. antiqua solvitur his verbis: *qui ipsum potestate ordinaria* ad normam can. 197 *in toto* dioecesis *territorio adiuvet*. Quibus verbis excluditur Vicarius generalis pro quadam dioecesis parte constitutus, sicut reiectus fuerat in Almerien. (6 Sept. 1748): « la S. Congr. non può approvare che vi sia in un luogo il Vicario generale ed in un altro il pro-Vicario generale, ambedue esercenti la giurisdizione ». Imo tota illa propositio « qui..., adiuvet » designat canonicam naturam huius officii, ac secus non esset iure Vicarius generalis, sed delegatus.

Epistola [1] S. Congr. de Prop. Fide incipit his verbis: « Iuxta can. 198 Codicis I. C. Vicariis et Praefectis Aplcis. ius non competit sibi eligendi *Vicarium Generalem* sicut fas est Episcopis residentialibus; sed ipsis potestas tantum est nominandi, cum muneribus in singulis casibus determinandis, delegatum qui etiam alius esse potest quam provicarius, de quo in can. 309 ».

Et infra legitur: « SS. D. N. Bened. div. Prov. PP. XV,... haec in bonum Missionum sua benignitate concessit: I. Sanavit nullitatem actuum iurisdictionis positorum ab illis missionariis, qui forsan ut vere Vicarios Generales se gesserunt. II. Elargitus est Ordinariis Missionum potestatem nominandi *Vicarium Delegatum*, si eo indigeant, cui practice concessa sit omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua ex Codice I. C. uti potest Vicarius generalis in dioecesi. - Ex hac concessione, omnibus Superioribus Missionum facta, nunc (singuli Vicarii ac Praefecti Aplci.) poterunt Vicarium Delegatum nominare, qui gaudeat omnibus facultatibus Vicario Generali tributis, ad normam can. 368, §§ 1°, 2°.

De numero autem et de officio Vicariorum Delegatorum in unaquaque Missione eadem valeant quae de Vicario Generali in Codice I. C. statuta sunt (can. 366 et seq.) ».

[1] 8 Dec. 1919. CO. XII, 120.

Persona in Vicarium generalem designata ad Episcopi nutum suo in officio manet. Ait enim § 2. *Vicarius generalis* a) *libere ab Episcopo designatur* quoad personam, servatis ss. canonibus, b) *qui eum potest ad nutum removere*, quin teneatur rationes patefacere, quamvis non sit temerarie id agendum.

§ 3. *Unus tantum constituatur*, ac praescriptum hoc est servandum, quamvis contraria consuetudo in diversis locis vigens non reprobetur, eique sit applicandus can. 5 [1], immo deputatio duorum Vicariorum etiam pro iurisdictione non-iudiciali exercenda, sed in toto territorio, admittitur pro duplici hypothesi a canone dicente: *nisi* a) *vel rituum diversitas vel* b) *amplitudo dioecesis aliud exigat; sed*, c) *Vicario generali absente* a dioecesi *vel impedito* i. e. temporanee, *Episcopus alium constituere potest* pro illius officio gerendo, nempe: *qui eius vices suppleat*, et cui applicandi canones sequentes, etsi appelletur « Pro-Vicarius » vel alio simili verbo.

De diversitate rituum conservatum est ius vetus cap. 14 de officio iudicis ord. (I, 31), in quo Innoc. III ait: « Quoniam in plerisque partibus infra eamdem civitatem atque dioecesim, permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores: districte praecipimus, ut pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesium, provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum, divina illis officia celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas sive dioecesis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita quasi monstrum. Sed si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci catholicum praesulem nationibus illis conformem, provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus ». Derogatum ergo est huic capiti Decretalium, quoad paroecias diversarum linguarum futuras, per can. 216, § 4, quoad vicarios generales ob eamdem causam in praesenti § 3.

401. **Qualitates nominandi.** — Conditiones personae in vicarium generalem assumendae ex analogia officiorum habentium animarum curam, et ex iurisprudentia (potiusquam scripto iure) usque nunc vigente, hoc in loco scriptas tradit *can. 367*. § 1. *Vicarius generalis sit* a) *sacerdos* semper, ita ut « nondum sacerdotio initiato clerico conferri valide nequeat » (ca-

[1] Can. 5. Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, ... aliae, (scilicet: ipsis canonibus expresse non reprobatae), quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

non 154) huiusmodi officium, b) *e clero saeculari*, salva §[i]. seq[s]. permissione contraria, c) *annos natus non minus triginta* computandos ad normam can. 34, § 3, n. 3°, atque qualitas haec de novo est inducta, d) *in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus*, nec sufficit in earum alterutra solum disciplina gradus academicus; quamvis autem praeassumendus ille, non excluditur carens gradibus illis academicis ex sequenti clausula: *vel saltem earum disciplinarum* duarum *vere peritus*, et e) *sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia vere commendatus*, utpote ex illis praelucens.

§ 2. *Si dioecesis*, abbatia vel praelatura *nullius*, forsitan *alicui religioni commissa fuerit*, et hac solum sub conditione, *Vicarius generalis* (quin sit praescriptum) *potest esse eiusdem* ac Episcopus *religionis alumnus*, sed alterius non permittitur ob § 1.

Excluduntur ab hoc officio adipiscendo in hac alterave dioecesi ob causam alterius habiti officii vel ex personae inculpabili motivo recensiti sub § 3. *Vicarii generalis munus ne committatur* a) *canonico poenitentiario*, sicut dicebat S.C.EE. et RR. Episcopo Ariminensi, « acciò si levi via ogni occasione di suspezione, che il foro esteriore possa valersi nella notizia degli eccessi del foro interiore »[1], *aut* b) *Episcopi consanguineis* generaliter, ast *praesertim in primo gradu, vel in secundo mixto cum primo*, de his enim est decisio antiqua illius S. Congr. [2] in Comen.: « sonosi risoluti, che non si debba permettere (il fratello per Vicario del Vescovo) si per essere cosa insolita, e che ha poca convenienza..., nè le ragioni, ed autorità, che Lei allega di S. Tommaso fanno al nostro proposito, perchè se bene nella giustizia distributiva si può in pari termini tener più conto delli parenti, che d'altri, non è però tale il caso nostro, che è di cose giurisdizionali, nelle quali si tratta dell'interessi del terzo ». Sequitur in canone prohibitio: *aut*, c) *exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus*, etsi secundariam, concorditer ad responsionem S. C. EE. et RR. non unicam (in Sutrina, 16 Nov. 1640): « La S. Congregazione non ha mai approvato, che gli Ordinarî de' luoghi si servano di persone della Città, o Diocesi per Vicarî generali per le fazioni,

[1] 13 Maii 1611. — [2] 2 Decemb. 1578.

parentele, ed altri rispetti, che possono ritenerli dall'amministrare rettamente la giustizia, e molto meno di quei, che hanno obbligo di residenza, o cura d'anime, perchè ha considerato, che per esercitar bene uno di detti carichi, conviene, che manchino necessariamente al servizio di altro ». Quod plene accidit habentibus animarum curam, nisi quando ex necessitate supplent absentiam per alium vicarium substitutum in paroecia. « E se lo ha permesso qualche volta a Cittadini o Diocesani, è stato perchè contro di loro non sono venuti richiami, ne se n'è fatta altra istanza ». Haeque rationes sunt prae oculis habendae ab Episcopo, qui uti velit libertate ipsi tributa, hac ultima canonis 367 clausula: *sed non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere.*

402. **Vicarii generalis potestas.** — *Can. 368.* § 1. *Vicario generali, vi officii*, quod idem est ac ex mandato generali per quod illi officium conceditur, *ea competit in universa dioecesi* secundum officii huius nomen ac iuridicam naturam *iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus*, (sed extraiudicialis, quando est alius Officialis constitutus), *quae ad Episcopum iure ordinario pertinet*, ex ss. nempe canonibus legitimaque consuetudine, *exceptis iis* a) *quae Episcopus sibi reservaverit* expresse, atque in hoc est moderatio servanda, b) *vel quae ex iure* scripto, v. gr. convocatio Synodi ex can. 357, § 1, *requirant speciale Episcopi mandatum*, quo tantum posito sub Vicarii generalis ordinaria iurisdictione comprehenduntur. - Ex hoc paragrapho confirmatur ius vetus ab Innoc. III declaratum [1]: « Quoniam iurisdictio Vicarii, quem Romanus Pontifex in Urbe reliquit, non extenditur extra illam, nisi ei specialiter sit concessum: Praesertim cum ipse moratur in sua provincia speciali, videlicet inter Capuanam provinciam et Pisanam: Mandamus quatenus quidquid occasione litterarum illarum (vicarii) actum est, in irritum revocetis ». Per clausulam vero §[i] exceptiones continentem sunt determinati seu designati casus in posterum contenti sub norma generali Reg. Iuris 81 in 6° et cap. 3 de officio Vicarii in 6° (I, 13): « Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: officialis, aut vicarius generalis Epi-

[1] Cap. 5 de officio Vicarii, I, 28.

scopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa ».

Quae Congr. S. Officii decreverat ex audientia SSmi. tum litt^s. encyclicis [1] circa rescripta dispensationum matrimonialium, tum Decreto [2] de facultatibus habitualibus locorum Ordinariis a Sede Apostolica concedendis, extensa vult ad omnia S. Sedis rescripta et praedictas facultates § 2. *Nisi aliud expresse cautum fuerit*, ac proinde tenor documentorum est ante omnia servandus. *Vicarius generalis* a) *exsequi potest rescripta apostolica*, i. e. SS. Romanarum Congregationum, *quae Episcopo* actuali *vel praecedenti rectori dioecesis* v. gr. Vicario capitulari, Administratori Aplco. sede vacante, Episcopo translato *remissa sint*, *ac generatim* b) *ad ipsum quoque* cum Episcopo *pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66*, videlicet: « quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum », i. e. quae non sint rescripta ad casum particularem. Hoc ex cit^i. can^s. § 1°; sed ex 2°: Nisi « in earum concessione electa fuerit industria personae », quod ex tenore argui debet, « aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales Episcopo aliisve de quibus in can. 198, § 1 », i. e. qui in iure nomine Ordinarii veniunt, « ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt, resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt », sicut diximus de rescriptorum exequutione, « etiamsi ipse eas facultates exsequi coeperit, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt; item concessae Episcopo » sub hac appellatione « competunt quoque Vicario generali ». Atque ex § 3 « Concessa facultas secumfert alias quoque potestates, quae ad illius usum sunt necessariae », atque affertur exemplum.

En quae huc pertinent iuris praec. duo Dec. Congr. S. Officii. Unum diei 20 Ap. 1898 in quo rescripsit:

« 1° Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis locorum.

2° Appellatione Ordinariorum venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Aplcos., Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et Sede Vacante Vicarium Capitularem seu legitimum Administratorem », prout aliis verbis plene translatum est in can. 198, § 1. - In altero Dec. sub die 24 Nov. 1897 Leo XIII mandavit: ... *facultates omnes speciales, habitualiter a Sancta Sede... locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores ordinarios transire ad formam et in terminis Dec. a Sup. hac Congr. editi die 20 Feb. 1888 quoad dispensationes matrimoniales.*

[1] 20 Febr. 1888. — [2] 20 Apr. 1898.

403. **Servanda in officii exercitio.** — *Can. 369.* § 1. *Vicarius generalis* a) *praecipua acta Curiae ad Episcopum referat*, i. e. pro consilio eius ac voluntate poscendis, ac praeterea b) *ipsumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint* etiam particulariter *ad tuendam in clero et populo disciplinam.* Horum namque inscium esse Episcopum non decet. - Cum explicatione canonis data consonat § 2. *Caveat ne suis potestatibus utatur*, quamvis absque malitia, *contra mentem et voluntatem sui Episcopi*, adiutor enim eius est, non contradictor, *firmo praescripto can. 44, § 2;* scilicet: « gratia ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario generali, non consentiente Episcopo, impetrari ».

404. **Ius praecedentiae.** — *Can. 370.* § 1. *Praesente etiam Episcopo* in conventus loco. *Vicarius generalis* (notetur) *publice privatimque praecedentiae ius habet* conformiter ad can. 106, n. 2° *super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus*, quod iam declaratum fuerat a S. C. Rit. in Minoricen. [1] ad dubia: « 1° an Vicarius generalis praecedere debeat ante omnes dignitates et canonicos, dummodo non sint parati sacris paramentis, et 2° an Vicario generali habitu vicariali induto danda sit praecedentia semper et ubique supra omnes dignitates et canonicos sacris vestibus non indutis? » respondit: « Ad I et II. Affirmative iuxta decreta ». Exceptio unica est: *nisi clericus charactere Episcopali praefulgeat, et Vicarius generalis eodem careat.* Convenit enim ut ordo praecedentiae ab episcopali consecratione super ordinationem presbyteralem proveniens, praevaleat ordini praecedentiae ex gradu iurisdictionis a legibus ecclesiasticis constituto. - Praeter ius praecedentiae alia confert § 2. *Si Vicarius generalis sit Episcopus*, scilicet: titularis, consequenter *omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet* cognita ex can. 349, § 1, *secus durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis* recensita in motu propr. Pii X « Inter multiplices » [2]: « 62. Pariter, qui Vicarii generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis: hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali

[1] 10 Iun. 1904. — [2] 21 Febr. 1905, n. 62, 64, 65, 76. Acta S. Sedis XXXVII-508.

non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur ». Quid vero iuris si e contra sit dignitas vel canonicus, infra discemus ex decisione S. Congr. Concilii in Cuneen. ac Utinen [1] referenda sub can. 409, § 1.

« 74. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo (Protonotariatu Apostolico honorario) potiti fuerint, nisi idem (sub n. 73 dictum) praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt ».

Huc pertinet Dubium S. Rit. Congr. propositum: [2] « V-2 Idem Vicarius (Generalis, qui est titularis) Episcopus etiam Auxiliaris potestne benedicere populo intra et extra Ecclesiam? » Sacra porro Rit. Congr. rescribendum censuit. « V... Ad 2. Episcopus Auxiliaris, qui simul sit Vicarius Generalis, potest in Dioecesi ubique benedicere populo, tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam, idque iure, quin opus sit specialem concessionem obtinere ab Episcopo Ordinario; ad normam can. 370 § 2, collati cum can. 349 § 1 et 239 § 1, n. 12 ».

405. **Cessatio officii Vic. generalis.** — *Can. 371. Expirat Vicarii generalis iurisdictio* a) *per ipsius renunciationem ad* communem *normam can. 183-191, aut* b) *revocationem* non solum decretam, sed *ei ab Episcopo* per se vel per alium *intimatam* ex reg. Iuris 1: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », c) *aut Sedis episcopalis vacationem*, quia testante Pio IX in constit. « Romanus Pontifex » [3], « iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam, sede episcopali vacante, dioecesis administratio ad Capitulum cathedralis ecclesiae devolvitur »; d) *suspenditur vero* Vic. Gen. iurisdictio, *suspensa episcopali iurisdictione*, cui accedit illa, et secundum reg. iuris XLII in VI°. « Accessorium naturam sequi congruit principalis ».

Art. II. — *De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali.*

Can. 372. § 1. In qualibet Curia constituatur ab Episcopo cancellarius qui sit sacerdos, cuius praecipuum munus sit acta Curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere et de eisdem indicis tabulam conficere.

§ 2. Poscente necessitate, adiutor ei dari potest, cui nomen sit vice-cancellarii seu vice-tabularii.

[1] 17 Maii 1919, CO. XI, 349. — [2] 26 Nov. 1919, CO. XII, 189.
[3] 28 Aug. 1873.

§ 3. Cancellarius est eo ipso notarius.

Can. 373. - § 1. Episcopus praeter cancellarium potest alios quoque notarios constituere, quorum scriptura aut subscriptio publicam fidem facit.

§ 2. Iidem constitui possunt aut ad quaelibet acta, aut ad acta iudicialia dumtaxat, aut ad acta tantummodo certae causae vel negotii conficienda.

§ 3. Si clerici desint, possunt è laicis assumi: sed notarius in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos.

§ 4. Cancellarius aliique notarii debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 5. Omnes possunt removeri aut suspendi ab eo qui illos constituit aut ab eius successore aut Superiore, non autem a Vicario Capitulari, nisi de consensu Capituli.

Can. 374. - § 1. Officium notariorum est:

1° Conscribere acta seu instrumenta circa dispositiones, obligationes, citationes et intimationes iudiciales, decreta, sententias aliave circa quae eorum opera requiritur;

2° In scriptis fideliter redigere quae geruntur eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° Acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare.

§ 2. Conscribere acta nequit notarius nisi in territorio illius Episcopi a quo est electus aut pro negotio ad quod est legitime constitutus.

Can. 375. - § 1. Episcopi in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium dioecesanum erigant, in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur.

§ 2. Omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can. 376. - § 1. Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.

§ 2. Ordinarii sedulo inquirant chartas et scripturas forte alio distractas atque dispersas; et quaelibet necessaria remedia adhibeant ut eaedem scripturae archivo restituantur.

Can. 377. - § 1. Archivum clausum sit oportet et nemini illud ingredi liceat sine Episcopi aut Vicarii Generalis et cancellarii licentia.

§ 2. Unus cancellarius illius clavem habeat.

Can. 378. - § 1. Ex archivo non licet efferre scripturas sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu eaedemque post triduum in suum locum referantur. Ordinario autem reservatur facultas prorogandi hoc tempus, quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedatur.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario relinquat.

Can. 379. - § 1. Habeant, praeterea Episcopi aliud archivum secretum vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur; sed singulis annis quamprimum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae.

§ 2. Etiam huius secreti archivi vel armarii inventarium seu catalogus conficiatur ad normam canonis 375, § 2.

§ 3. Hoc archivum vel armarium duabus clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum, altera apud Vicarium Generalem vel, eo deficiente, Curiae cancellarium asservetur.

§ 4. Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave, ipse solus, nemine adstante, archi-

vum vel armarium secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clavi iterum claudatur.

Can. 380. - Statim a capta possessione, Episcopus sacerdotem designet, qui, sede vacante aut impedita, clavem secreti tabularii seu armarii quae apud Episcopum erat, assumat.

Can. 381. - § 1. Nisi Administrator Apostolicus dioecesi datus fuerit:

1° Sede impedita ad normam can. 429, § 1, sacerdos ab Episcopo designatus, si quidem regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum, clavem eidem remittat; si penes Vicarium Generalem, eam ipse retineat;

2° Sede vero vacante aut impedita ad normam cit. can. 429, § 3, idem sacerdos clavem remittat Vicario Capitulari statim post eius designationem; Vicarius vero Generalis vel cancellarius aliam clavem a se retentam remittere eodem tempore debet primae Capituli dignitati vel consultori dioecesano munere antiquiori.

§ 2. Antequam claves iis, quibus tradi debent ad normam § 1, remissae fuerint, Vicarius Generalis vel cancellarius et sacerdos, ut supra, ab Episcopo designatus, tabularium vel armarium sigillis Curiae obsignent.

Can. 382. - § 1. Tabularium vel armarium nunquam aperiatur nec sigilla ab eo removeantur, nisi urgente necessitate et ab ipso Vicario Capitulari coram duobus canonicis vel dioecesanis consultoribus, qui evigilent ne qua scriptura e tabulario auferatur; solus autem Vicarius Capitularis documenta in tabulario asservata potest, iisdem canonicis vel consultoribus adstantibus, inspicere, nunquam tamen auferre. Archivum autem, post inspectionem, iterum sigillis obsignetur.

§ 2. Advenienti novo Episcopo, si sigilla remota fuerint et tabularium aut armarium apertum, Vica-

Art. II. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali —	— qualitates —	— cancellarii et munus		Can. 372
		— notariorum —	— distinctio et perduratio	» 373
			— officium	» 374
	— communi —	— erigendo cum inventario		» 375
		— complendo		» 376
		— custodiendo		» 377
		— quoad usum, efferendo scripturas		» 378
	— secreto —	— erigendo, custodiendo, aperiendo		» 379
		— quoad unam ex clavibus assumpturum		» 380
		— circa claves quandoque tradendas		» 381
		— aperiendo per Vicarium capitularem		» 382
	— de aliis archivis	— providendis inventario et custodiendis		» 383
		— quoad documenta communicanda		» 384

rius Capitularis rationem reddat urgentis necessitatis, qua ad hoc motus fuerit.

Can. 383. - § 1. Curent Episcopi ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroecialium, necnon confraternitatum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplaribus, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto can. 470, § 3, 1522, nn. 2, 3, 1523, n. 6.

§ 2. Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 378.

Can. 384. - § 1. Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet cuius intersit inspiciendi potestas; itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar exscribatur et tradatur.

§ 2. Cancellarii autem Curiarum, parochi, aliique archivorum custodes in communicandis documentis et eorum exemplaribus describendis tradendisque regulas servent a legitima auctoritate ecclesiastica datas, et in casibus dubiis loci Ordinarium consulant.

406. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** — Consequenter considerandus est *Art. II. - De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali*, illi enim et hoc sunt necessaria episcopo eiusque Vic°. generali pro quotidiana publici iuris administratione certo gerenda. - De illorum constitutione ac officii natura, ipsorumque qualitatibus canones duo sunt: 372 et 373, quos sequitur 374 describens notariorum officium, ceteri 375 usque ad 382 de archivo episcopali constituendo ac rite custodiendo sollicitudinem legislatoris patefaciunt, atque ob connexionem de aliis dioecesis archiviis duo ultimi canones 383 ac 384 sunt conditi.

407. **Cancellarii munus.** — *Can. 372.* § 1. *In qualibet Curia*, scilicet: episcopali Praelative inferioris, videlicet: Abbatis vel Praelati nullius, *constituatur ab Episcopo* vel Praelato *cancellarius*, qui etiam archivarius, tabularius vocatur, verbis designantibus eiusdem munus, *qui sit sacerdos, cuius praecipuum munus* (non unicum, prout videbimus) *sit acta Curiae* i. e. documenta I° *in archivo* infra *describendo custodire*, II° *ordine chronologico disponere, et* III° *de eisdem indicis tabulam conficere*. Quae amplius determinata fuerunt pro Italia et insulis adiacentibus in § 5 const^s^. « Maxima vigilantia » [1] a Bened. XIII latae atque in hoc articulo quoad praescripta extensae ad Ecclesiam.

§ 2. *Poscente necessitate, adiutor ei dari potest*, a iure igitur recognitus, *cui nomen sit vice-cancellarii seu vice-tabularii*, i. e. ad vices supplendas cancellarii seu accessorie.

[1] 14 Iun. 1727.

§ 3. *Cancellarius est eo ipso notarius* simpliciter seu « ad quaelibet acta », cuius officium infra describendum accedit praecipuo illius muneri.

408. **Notariorum classes et qualitates.** — *Can. 373. Episcopus praeter cancellarium*, qui et notarius (can. praec. § 3), *potest alios quoque notarios constituere*, horumque muneris vis describitur iuridica: *quorum scriptura* manu propria *aut subscriptio* sola *publicam fidem* de contento in eadem « scriptura » ad normam can. 1813, 4° et 1816 *facit* in Ecclesia vi iuris canonici. Consequenter admitti deberet in societate civili. - Distinctionem ipsorum ex constitutione tradit § 2. *Iidem constitui possunt* a) *aut ad quaelibet acta*, b) *aut ad acta iudicialia dumtaxat*, qui propter haec « actuarius » vocatur in can. 1585, c) *aut ad acta tantummodo certae causae vel negotii conficienda.*

Qualitates notariorum et cancellarii statim designantur. - § 3. *Si clerici desint* ad notariorum munus, a) *possunt* « ad acta iudicialia » quoque *e laicis assumi*, sub illa ergo tantum conditione; b) *sed notarius in criminalibus clericorum causis* ob eorum status respectum *debet esse sacerdos*, sicut omnino praescriptum est § 1° can. 372 de cancellario.

§ 4. *Cancellarius aliique notarii debent esse* a) *integrae famae, et* b) *omni suspicione maiores*, prout ex muneris natura deducitur. Hinc manet exclusio per cap. 6 (Caus. III, q. V) facta: « Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec a quoquam credantur, quae ab eis dicuntur, vel conscribuntur. Eos dico anathematizatos esse, quos Episcopi suis scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant ». Sic Callixtus Papa. Et Paulus IV in const. « Cum ex Apostolatus »[1] ait: « Et insuper qui ipsos (haereticos) sic deprehensos aut confessos vel convictos scienter quomodolibet receptare vel defendere aut eis favere vel credere seu eorum dogmata dogmatizare praesumpserint,... si tabelliones (i. e. notarii) extiterint, instrumenta confecta per eos nullius penitus sint roboris vel momenti ». Unde nunc temporis eae causae sunt excludentes huiusmodi personas a notariorum munere.

§ 5. *Omnes* in § 4° expressi, nempe: « cancellarius aliique notarii » diversi *possunt removeri aut suspendi* a) *ab eo qui illos constituit*, nempe ab Episcopo, b) *aut ab eius successore*

[1] 15 Febr. 1559, § 5.

v. gr. Administratore Aplco. sede vacante, c) *aut Superiore* ipsorum in hierarchia iurisdictionis competente, *non autem a Vicario Capitulari, nisi de consensu Capituli.* De Vicario generali sufficienter ex can. 368 arguitur potestas pro casibus, eo quod remotio ac suspensio notariorum est relativa constitutioni eorum, haec autem actus est iurisdictionis episcopalis. Etenim ad actus iudicii valide ponendos notario indiget iudex ad normam can. 1585, § 2, notarius vero ad quaelibet acta est quoque constitutus ad iudicialia, ceterique notarii, veniunt ut pars comprehensi sub reg. iuris 35 in 6°. : « Plus semper in se continet quod est minus ».

Hoc praescriptum est desumptum ex Conc. Trid. [1]: « Cum ex notariorum imperitia plurima damna, et multarum litium occasio oriatur; possit Episcopus quoscumque notarios, etiamsi apostolica (nunc derogatum ex omissione), imperiali aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis apostolicae, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari: illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii eius in negotiis, litibus, et causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuo, (hoc est: nunc removere) aut ad tempus prohibere » (i. e. suspendere): sed ob alias etiam rationes nunc temporis potest, secundum regulam Iuris I: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », quia canon generaliter hoc permittit; imo urget clausula postrema Dec. Conc. Trid.: « neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat ». Prudenter autem agere debet Episcopus.

409. **Officium notariorum.** — *Can. 374.* § 1. *Officium notariorum est*: - 1° *Conscribere acta* Curiae iudicialia vel extraiudicialia, *seu instrumenta* i. e. scripturas publicas *circa dispositiones*, v. gr. fundationes missarum, *obligationes* v. gr. contractus, concordias inter partes, *citationes et intimationes iudiciales, decreta*, quae distinguuntur a sequentibus in can. 1868 [2], *sententias aliave circa quae eorum opera* secundum proprium eorum singulorum munus *requiritur*: - 2° *In scriptis* a) *fideliter* id est: secundum accuratam veritatem *redigere quae geruntur*, ad perpetuam fide dignam memoriam, b) *eaque* scripta *cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare*, uti per notas officii. - 3° *Acta vel instrumenta* a) *legitime* i. e. iuxta ss. ca-

[1] C. 10, sess. XXII de Ref.

[2] Can. 1868. § 1. Legitima pronunciatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, *sententia* est; eaque *interlocutoria dicitur*, si dirimat incidentem causam; *definiest*; eaque *interlocutoria* dicitur, si dirimat incidentem causam; *definitiva*, si principalem.

§ 2. Ceterae iudicis pronuntiationes *decreta* vocantur.

nones *petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere* ad inspiciendum, b) *et eorum exemplaria* seu transcripta *cum autographo conformia declarare*. Haec enim omnia eruuntur ex munere descripto in can. 373, § 1.

Limites vero praedicti officii omnino servandi ob eiusdem can. 373, § 2 exhibet sequens § 2. *Conscribere acta nequit notarius* ad publicam fidem faciendam *nisi* a) *in territorio illius Episcopi a quo est electus aut* b) *pro negotio ad quod est legitime constitutus*. Et planum est.

410. **Ordo canonum de archivis.** — Benedictus XIII initio suae const[s]. « Maxima vigilantia » prius citatae, memorat diligentiam Romanorum Pontificum aliorumque Praelatorum ecclesiae in archivis erigendis ad documentorum conservationem, cum indicatione utilitatum inde provenientium ac damnorum vitandorum. Eius praescriptiones referunt sequentes canones tali cum ordine dispositi, ut de archivo erigendo et complendo sint can. 375, 376, de disciplina servanda circa illud can. 377, 378, de archivo secreto sequuntur qui continent similia praescripta ac praecedentes canones sed rigidiora, et sunt can. 379, 380, 381, 382, quibus accedunt alii duo canones 383 et 384 de aliis archivis, quae in diocesi constare debent.

411. **De archivo dioecesano erigendo.** — *Can. 375.* § 1. *Episcopi*, atque « Abbas vel Praelatus nullius easdem obbligationes habet » (can. 323, § 1), imo « Vicarii ac Praefecti Aplci. tenentur his legibus, quae de archivo Episcopis praescribuntur » (can. 304, § 1), nempe: *in loco tuto* non tantum a furibus sed ab extrinsecis, quae nocere possunt scripturas, *ac commodo* pro earum inspectione *archivum seu tabularium dioecesanum erigant*, inscriptione art[l]. vocatum « episcopale », *in quo* a) *instrumenta* i. e. « scripturae ad constituendam alicuius rei futuram probationem confectae », b) *et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant*, etiam officium Episcopi et mensam, immo et iudicialia, 1° *apte dispositae et* 2° *diligenter clausae custodiantur* in armariis.

Pro usu vero expedito illius iubet § 2. *Omni diligentia ac sollicitudine* i. e. optime ac prompte *conficiatur inventarium seu catalogus documentorum quae in archivo continentur cum brevi singularum scripturarum synopsi*, seu lemmate ac summario negotii in earum singulis contenti.

412. **Archivi complementum.** — Sicut canon praecedens archivi erectioni providit, ita eiusdem complemento *can. 376.* § 1. *Quotannis, primo bimestri*, non solum Ianuario mense, ut in Const. Benedictina § 12, *inventario seu catalogo* ac implicite aliis in archivo *illae scripturae adiungantur, quae* a) *anno praecedenti confectae*, quod singulis annis eveniet, b) *vel alias* i. e. quandocumque *neglectae sunt* cum culpa vel sine culpa, et casu quo fuerit deprehensum. Item § 2. *Ordinarii*, unde non est cancellarii munus, I° *sedulo inquirant*, opportunitate prudenter capta, *chartas et scripturas* a) *forte alio distractas* i. e. sepositas b) *aut dispersas* per diversos possessores; atque si hoc resciverint, praescriptum sequens eis est datum: *et* II° *quaelibet necessaria remedia adhibeant* in eorum manu posita *ut eaedem scripturae archivo restituantur*, quae hic supponuntur eiusdem fuisse ac esse.

413. **Archivi custodia.** — *Can. 377.* § 1. *Archivum* a) *clausum sit oportet*, non enim ad studium sed ad scripturarum custodiam est deputatum, b) *et nemini illud ingredi liceat sine Episcopi aut Vicarii Generalis* scilicet: alterutrius, sed simul *et Cancellarii licentia*, qui de archivo debet ex officio respondere. - Hinc statuit § 2. *Unus cancellarius illius clavem habeat*, quae proinde unica erit contra Benedictinam const. § 10, quae duas praescribebat seras diversas cum clavibus servandis apud personas distinctas.

414. **Scripturarum custodia.** — *Can. 378.* § 1. *Ex archivo non licet efferre* i. e. extra illud ferre *scripturas sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu*, proinde nec ipsi etiam Cancellario, *eaedemque* vero semel cum illa conditione extractae, *post triduum* de momento ad momentum, indeque tertio die ab extractionis non computato die, *in suum locum referantur* i. e. in archivum. Quia necessitas ulterioris retentionis evenire potest, huic providetur sic: *Ordinario autem reservatur facultas prorogandi hoc tempus*, hinc nec Cancellarius licentiam dare, nec cum Ordinarii consensu efferens quit per se ipsum retinere scripturam ultra illud triduum; *quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedatur*. Minime ergo ad plures quam alios tres dies aut indefinite. - Demum propter casus incertos cavet § 2. *Qui aliquam scripturam ex archivo effert*, a) *syngrapham* b) *sua manu signatam*, c) *hoc ipsum significantem, cancellario relinquat*, utpote archivi curam gerenti ac reddituro rationem,

415. **De archivo secreto.** — Ultra illud archivum habendum de quo canones cognovimus, statuit *can. 379. § 1. Habeant praeterea Episcopi* a) *aliud archivum secretum* distincto in loco, b) *vel saltem in communi archivo* episcopali *armarium seu scrinium* a) *omnino clausum*, ita ut eius scripturae nec apprehendi nec legi queant, b) *et obseratum* clavibus, etiam c) *quod de loco amoveri nequeat*, quando est armarium seu scrinium, eo quod sit fixum. - Quaenam in eo sint claudenda, statim subiungitur: *In eo scripturae secreto servandae* v. gr. de matrimoniis conscientiae, ad secretum S. Officii pertinentes, etc., notandum: *cautissime custodiantur; sed singulis annis quamprimum* adveniente die praescripti adimplendi, prudentiâ servata, *comburantur*, nec sufficit lacerare aliterve destruere, *documenta* i. e. probationes et defensiones etc. *causarum criminalium in materiâ morum*, a) *quarum* causarum *rei vita cesserint*, b) *vel*, si adhuc vivant, *quae a decennio* ad normam can. 34 § 3, nn. 1°, 3° computando *sententia condemnatoria* taxative *absolutae sunt*, in alterutra vero hypothesi servandum: *retento* a) *facti brevi summario* b) *cum textu sententiae definitivae* integro.

De disciplina circa custodiam et usum huiusmodi archivi, plures cautelas propter secretum hic et sequentes canones continent. - *§ 2. Etiam huius secreti archivi vel armarii inventarium seu catalogus conficiatur ad normam can. 375, § 2.* Nec canon. 376 normam pro isto archivo memorat, etsi dato casu Episcopus ob secreti custodiam idem curare deberet, ad normam can. 20 [1]; attamen iuxta legem 4 de legibus D: « Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur ». Et secundum l, 5 ibidem, D: « Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter, et facile, quam quae perraro eveniunt », eapropter Codex omisit recte illius canonis 376 citationem.

§ 3. *Hoc archivum vel armarium duabus clavibus inter se diversis aperiatur*, quia clausum habitualiter, *quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum*, diversa *altera apud Vicarium Generalem* participem forsan secretorum *vel*, sub conditione tantum quod non adsit, i. e. *eo deficiente*, *apud Curiae cancellarium asservetur.*

[1] Can. 20. Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus.

Quamvis duae sint personae diversae, quae claves ad aperiendum illud archivum necessarias habent, statuit § 4. *Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave*, a) *ipse solus*, b) *nemine adstante, archivum vel armarium secretum*, c) *ubi opus fuerit*, nec determinatur causa huius necessitatis, dummodo adsit, d) *aperire et inspicere potest*, e) *quod deinde utraque clavi iterum claudatur*, satisfacta necessitate, atque clavem Vicario Generali vel cancellario vi praecedentis §[1] restitui oportet.

416. **Designandus clavis futurus custos.** — Quia sunt vicissitudines in dioecesium regimine, has non oblitus legislator clavium retentioni providit et archivi secreti custodiae. Unde *can. 380. Statim a capta possessione*, inter primos eius actus, *Episcopus* a) *sacerdotem designet, qui, sede vacante aut impedita*, uti explicatur in can. 429 et 430, b) *clavem secreti tabularii*, sic appellatur etiam archivum, *seu armarii* c) *quae apud Episcopum erat, assumat* propria etiam auctoritate.

417. **Quando tradendae claves.** — De clave hac et altera quid agendum pro casuum praedictorum varietate, praenuntiat *can. 381.* § 1. *Nisi Administrator Apostolicus dioecesi datus fuerit*, quia hoc in casu clavis apud eum asservanda ad normam can. 379, § 3 et ob can. 316, § 1 eidem fuit tradenda; - *1° Sede impedita ad normam can. 429. § 1* tunc explicandam, scilicet: « Sede per Episcopi captivitatem, relegationem, exsilium, aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit », tunc *sacerdos ab Episcopo designatus*, quia duplex fingi potest legitima hypothesis, a) *si quidem regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum*, proinde ad universitatem negotiorum, *clavem eidem remittat*; quam equidem eveniente facto impedimentum causante ille debuit assumere; b) *si penes Vicarium Generalem*, cum hic debeat alteram habere (can. 379, § 3), *eam ipse* sacerdos *retineat*.

2° Sede vero vacante aut impedita ad normam cit. can. 429. § 3, scilicet: « cum capitulum Ecclesiae cathedralis suum Vicarium constituat », a) *idem sacerdos clavem remittat Vicario Capitulari statim post eius designationem* absque mora voluntaria; b) *Vicarius vero generalis vel cancellarius*, unus eorum nempe qui habeat *aliam clavem a se retentam* usque tunc, *re-*

mittere eodem tempore (quo praescriptum est sacerdoti praefato) *debet primae Capituli dignitati vel consultori dioecesano munere antiquiori* vel inter pariter antiquiores dicerem aetate seniori.

Conditionem adimplendam, priusquam ipsum § 1[i] praescriptum servetur, decernit § 2. *Antequam claves iis, quibus tradi debent ad normam § 1, remissae fuerint*, posset dubitari an etiam id servandum quando « sede impedita regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum », quia « clavem eidem remittit »: sed verius respondetur negative, ac certo negandum quando « penes Vicarium generalem » manet regimen, quia neutra clavis tunc remittenda est. Ergo in primo casu sub n. 1° forsitan, et in casibus sub. n. 2°, a) *Vicarius Generalis vel* « eo deficiente » *cancellarius* ad normam can. 379, § 3 *et* b) *sacerdos, ut supra*, (can. 380) *ab Episcopo designatus, tabularium vel armarium* scilicet: secretum *sigillis Curiae obsignent*. Vide tamen canonem sequentem.

418. **De aperitione archivi secreti per Vicarium Capitularem.** — Haec appositio sigillorum innuit vetitum aperiendi illud secretum archivum, munitum sic probatione sequutae forsitan contrariae actionis: ex hoc statuit *can. 382*. § 1. *Tabularium vel armarium* a) *numquam aperiatur* b) *nec sigilla ab eo removeantur*, quamvis illud maneat clausum,, *nisi* I° *urgente necessitate* quacumque, ast ordinario inspiciendi aliquod secretum documentum, *et* II° *ab ipso Vicario Capitulari* III° *coram duobus canonicis vel dioecesanis consultoribus* quibuslibet, quorum obligatio est tantum sequens: *qui evigilent ne qua scriptura e tabulario auferatur;* hoc quidem positive praescriptum, sed implicite vetita est inspectio, dum statuit canon sic: IV° *solus autem Vicarius Capitularis documenta in tabulario asservata potest*, sub conditione ex supradictis evidenti: *iisdem canonicis vel consultoribus adstantibus, inspicere*, V° *numquam tamen auferre*. Et si contra egerit, testes transgressionis sunt adstantes. *Archivum autem, post inspectionem, iterum sigillis obsignetur*, an iisdem h. e. Curiae vel aliis parum refert. - Casu exposito eveniente, urget § 2. *Advenienti novo Episcopo*, a) *si sigilla remota fuerint* b) *et tabularium aut armarium apertum*, his duabus sub conditionibus, *Vicarius Capitularis rationem reddat urgentis necessitatis, qua ad hoc motus fuerit*, ut licite aperi-

ret illud. Rationem taxative reddat urgentis necessitatis, nam si tantum sigilla fuerint amota, in ratione reddenda temporaneae suae administrationis explicatio huius remotionis exigi ab eodem posset.

Cum in hoc canone Vicarii Capitularis existentia supponatur semper ac secretum tabularium vel signatum scrinium aperitur; Vicarius autem Capitularis non existit in casibus comprehensis sub n. 1° §ⁱ 1 can. praec., in quorum uno probabilius, prout diximus, in altero certe armarium secretum sigillandum non est; quaestio nulla potest hinc enasci, quia in casu etiam quo deputatus sacerdos clavem remittat delegato sacerdoti « penes quem sit regimen dioecesis » sede impedita ad normam can. 429, § 1, erit dicendum quod secretum armarium non est sigillandum, quia una tantum clavis remittitur, non « claves... remissae fuerint » ut ait § 2, ita ut iste paragraphus legendus sit « ad normam § 1 n. 2° ». - Haec sententia utpote magis consona verborum utriusque canonis sensui stricto, videtur praeferenda cuilibet alii minus congruae.

419. **Archiva caetera.** — Usque nunc se protraxit tractatus de archivo episcopali simpliciter dicto et de archivo secreto pariter dioecesano. De aliis vero archivis qui in diocesi existant, canones adduntur. - *Can. 383.* § 1. *Curent Episcopi ut archivorum quoque* (quorum existentia hoc in textu supponitur) a) *ecclesiarum cathedralium,* b) *collegiatarum,* non dicitur ipsorum capitulorum, etsi fortassis ad invicem distincta sint, c) *paroecialium,* d) *necnon confraternitatum et* e) *piorum locorum inventaria seu catalogi* nobis nota ex can. 375, § 2, 376, *conficiantur duobus exemplaribus,* a) *quorum alterum in proprio archivo,* b) *alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto canon. 470,* § *3* infra videndo, *1522 nn. 2, 3* [1] de alio inventario bonorum ecclesiasticorum cuiuslibet administrationis

[1] Can. 1522. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum, de quibus in can. 1521, suum munus ineant:

...2° Fiat accuratum ac distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem; vel factum antea inventarium acceptetur, adnotatis rebus quae interim amissae vel acquisitae fuerint;

3° Huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

sub duplici exemplari similiter asservando, *1523 n. 6* [1] quoad « documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae in bona praefata nituntur ».

§ 2. *Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 378.* Circa consensum vero Episcopi vel Vicarii generalis, puto pro his archivis posse illum dari ab eorum custode, qui supponitur constitutus, vel alio cui Episcopus id commiserit, secundum reg. Iur. LXXII. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ». Idemque repetatur de facultate prorogandi tridui tempus iam elapsum.

420. **Documenta communicanda.** — De usu ac utilitate capienda documentorum, quae in quibusdam per totum articulum consideratis archivis asservantur, tractat postremus *canon 384.* § 1. *Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet cuius intersit* absque discretione, non autem aliis, I° *inspiciendi potestas*, proinde illa inspicere praedicti iure postulant: II° *itemque* iisdem fit potestas *postulandi ut* a) *sua impensa sibi* b) *legitimum*, i. e. in forma debita ut fidem faciat iuxta ss. canones, *eorum exemplar exscribatur* conforme originali c) *et tradatur.* Ergo etiam iudicialiter id exigere possent.

§ 2. *Cancellarii autem* a) *Curiarum* pro Episcopali archivo, b) *parochi* pro parochiali, c) *aliique archivorum custodes* pro suo uniuscuiusque archivo, *in communicandis documentis* ad inspiciendum *et eorum exemplaribus describendis tradendisque*, eorum ergo sunt hae obligationes, *regulas servent a legitima auctoritate ecclesiastica datas*, cui soli hac in re parere debent, *et in casibus dubiis* quocumque ex motivo *loci Ordinarium consulant.* Et consilium sequentes rite operantur.

ART. III. — *De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus.*

CAN. 385. - § 1. In quavis dioecesi habeantur examinatores synodales et parochi consultores qui omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approbati.

§ 2. Tot eligantur quot Episcopus prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit, non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim.

CAN. 386. - § 1. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tem-

[1] Can. 1523. Administratores bonorum ecclesiasticorum... debent... 6°. Documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae deponere.

pore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios pro-synodales Episcopus substituat de consilio Capituli cathedralis.

§ 2. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus constituendis quoties Synodus non habeatur.

CAN. 387. - § 1. Examinatores et parochi consultores, sive in Synodo sive extra Synodum constituti, post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt; possunt tamen negotium iam coeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis, denuo constitui.

§ 2. Qui loco examinatorum ac parochorum consultorum deficientium constituantur, in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt.

CAN. 388. - Removeri ab Episcopo nequeunt, nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis.

CAN. 389. - § 1. Examinatores synodales operam suam diligenter navent praesertim experimentis habendis ad provisionem paroeciarum nec non processibus de quibus in can. 2147 seqq.

§ 2. Pro experimentis vero habendis ad clericorum ordinationem et approbationem sacerdotum qui petunt facultatem excipiendi sacramentales confessiones aut sacras conciones habendi, et pro examinibus de quibus in can. 130, integrum est Episcopo vel examinatorum synodalium vel aliorum opera uti.

CAN. 390. - Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in eadem causa.

421. **Inscriptio articuli.** — Remanet considerandus *Art. III* inscriptus *De examinatoribus synodalibus, et parochis consultoribus*. - « Examinator » vi vocis est « ille qui tentamen de aliqua re vel persona peragit, ut quae occulta sunt, patefiant », praesertim quando id ex officio vel munere sibi demandato adimplet. Ille autem « synodalis » appellatur, qui in Synodo dioecesana et ab eius membris ad hoc munus approbatus est. Hi examinatores originem historicam nanciscuntur ex Conc. Trid. (c. 18 sess. XXIV de Ref.) ad perficiendos concursus in illo cap. praescriptos parochiis canonice obtinendis, sed in Dec. « Maxima cura » S. Congr. Consist. [1] aliud correlativum priori munus obtinuerunt equidem nunc temporis praecipuum. Huic etiam muneri vacant in recursus hypothesi parochi appellati consultores, non confundendi cum dioecesanis consultoribus a quibus valde differunt canonice: quam appellationem illi obtinent ex propria obligatione consulendi Episcopum in processibus remotionis parochorum.

Rationes vero huius instituti canonici, quod partim hoc articulo, partim in Tit^s^. XXVII et XXVIII Libri IV continetur, inveniri queunt probandae in cit°. Decreto, per quod isti omnes canones publici iuris primum facti sunt.

[1] 20 Aug. 1910.

422. **Ordo canonum.** — Maior pars canonum Articuli tertii, nempe 385-388 praescripta referunt de modo examinatores et consultores inscriptione expressos designandi et de muneris duratione ac cessatione: can. 389, examinatorum synodalium munere universaliter delineato, secernit eos ab aliis examinatoribus, atque can. 390 compatibilitatem munerum decernit de quibus in articulo agitur.

423. **Nominatio examinatorum et parochorum consultorum.** — Conc. Trid. loc. cit. scripsit: « Examinatores autem singulis annis in dioecesana synodo ab Episcopo, vel eius vicario, ad minus sex proponantur: qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur ». - Huic praescriptioni relativus est *can. 385. § 1. In quavis dioecesi habeantur* ex praecepto *examinatores synodales et parochi consultores qui omnes* a) *in Synodo constituantur*, b) *propositi ab Episcopo* secundum eius prudens arbitrium, c) *a Synodo approbati*, proinde in hoc habent votum deliberativum convenientes ad Synodum.

§ 2. *Tot eligantur* illi « omnes » §^i^ 1 *quot Episcopus prudenti suo iudicio* (notetur) *necessarios iudicaverit*, quae sunt verba ex Dec°. « Maxima cura » in can. 4, § 1; *non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim*, qui numeri se referunt tum ad examinatores tum ad consultores; alias non possent recusari consultores cum substitutione aliorum iam nominatorum, etsi aliter interpretandum videretur ex contextu; et in hoc numero fuit derogatum Tridentino Decreto, cum tamen constet ex Decl. S. C. Consist. [1] eosdem esse hos de quibus in can. et illos examinatores Conc. Trid. En Declaratio: « 1. Utrum examinatores eligendi iuxta praescriptum can. 4 adhiberi possint in examinibus pro collatione beneficiorum atque sint unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synod. cap. 18 sess. 24 de reform.: an potius sint distincti et adhibendi dumtaxat pro amotione decernenda. R. Affirmative ad I^am^ partem, negative ad II^am^ ».

De qualitatibus approbandorum in examinatores et consultores huiusmodi tacent canones sequentes, constito solum quod hi consultores parochi sunt. Proinde opportunitate non carent responsiones 4-7 cit. Decreti Declarationum: Dubia circa Dec.

[1] 3 Oct. 1910.

« Maxima cura ». Ecce illas: « 4. Utrum Ordinarii possint eligere aliquem sacerdotem regularem in examinatorem vel consultorem. R. Affirmative, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur. - 5. Utrum eligere possint extradioecesanum. R. Affirmative in parvis dioecesibus, aut quoties iusta aliqua causa intercedat. - 6. Utrum Ordinarius inter examinatores accensere possit Vicarium suum generalem. R. Non expedire. - 7. Utrum inter examinatores aliquot parochi accenseri possint. R. Affirmative ».

424. **Nominatio pro-synodalium.** — Quia Synodi dioecesanae ad normam can. 356 § 1 convocari possunt decennio post ultimam, observantiae canonis praec^s. pro interfluente lapsu temporis cautum est in praescripto, quod iniungit *can. 386.* § 1. *Examinatoribus et parochis consultoribus* a) *medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis* b) *vel alia ratione* v. gr. renuntiatione *a munere cessantibus, alios pro-synodales* (ita iure vocandos, ut eorum nominationi appellatio respondeat) *Episcopus substituat* (hinc eorum numero servato) *de consilio Capituli cathedralis*, non de consensu, prout aiebat Dec. « Maxima cura » (can. 4, § 2), atque illo Capitulo deficiente, ad normam can. 427 de consilio Consultorum dioecesanorum.

§. 2. *Quae regula servatur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus constituendis, quoties* id opus sit ss. canonum vi et *Synodus non habeatur.*

425. **Perduratio utriusque muneris.** — *Can. 387.* § 1. *Examinatores et parochi consultores, sive in Synodo sive extra Synodum constituti, post decennium ab incoepto munere* per nominationem, *vel etiam prius* ob conditionem: *adveniente nova Synodo*, hac scilicet incipiente, *officio cadunt;* sed hoc termino nihil obstante, *possunt tamen* a) *negotium iam coeptum*, dummodo id contingat quando officio cadunt, *ad exitum perducere et* b) *servatis de iure servandis, denuo constitui.* - Exceptionem atque animadversionem necessariam refert § 2. *Qui loco examinatorum ac parochorum consultorum deficientium constituantur* ad normam can. 386, § 1, *in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt*, quamvis decennium substituendi compleatur per novam Synodum, decenniumque propriae constitutionis post illam.

426. **Remotio.** — *Can. 388. Removeri* quilibet examinatores parochive consultores *ab Episcopo nequeunt, nisi* a) *ex gravi causa et* b) *de consilio Capituli cathedralis,* « vel consultorum dioecesanorum » ad normam can. 427. Exemplum gravis causae innuit can. 7 § 2 Dec. « Maxima cura » statuens: « Si contra secretum (ex officio) fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac praetera obligatione tenentur sarciendi damna, si quae fuerint inde sequuta ». Praescriptio etiam nunc practica iuxta can. 2144, § 2.

427. **Pro quibus sint examinatores adhibendi.** — *Can. 389.* § 1. *Examinatores synodales operam suam diligenter navent praesertim* a) *experimentis habendis ad provisionem paroeciarum,* utpote ratio eorum institutionis ex Conc. Trid., b) *nec non processibus de quibus in can. 2147 seqq.* in remotione parochorum, iuxta munus eis attributum per Dec. « Maxima cura » in can. 3.

Cum vero in Codice inveniantur canones alia examina praescribentes, heic opportune inseritur § 2. *Pro experimentis vero habendis* I° *ad clericorum ordinationem et* II° *approbationem sacerdotum qui petunt facultatem excipiendi sacramentales confessiones* III° *aut sacras conciones habendi,* IV° *et pro examinibus de quibus in can. 130,* nempe subeundis « singulis annis saltem per integrum triennium, expleto studiorum curriculo, a sacerdotibus omnibus »; pro quibuslibet examinibus praefatis *integrum est Episcopo* a) *vel examinatorum synodalium* ratione muneris eorum, b) *vel aliorum opera uti;* unde illa examina peragenda non constituunt illorum peculiare munus.

428. **Compatibilitas munerum.** — *Can. 390. Idem* sacerdos *potet esse examinator et parochus consultor,* seu officia haec sunt compatibilia, *non autem in eadem causa* processus remotionis parochorum utrumque munus exercere potest. Ita declaratum fuerat [1] per S. C. Consist. in resp. ad 8 Dub., cui additum est: « Generatim tamen expedit ne plura officia in una eademque persona cumulentur », quae est optima regula prudenter sumenda.

[1] 3 Octobris 1910.

CAPUT V.

De capitulis canonicorum.

CAN. 391. - § 1. Capitulum canonicorum sive cathedrale sive collegiale seu collegiatum est clericorum collegium ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et, si agatur de Capitulo cathedrali, ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum, tanquam eiusdem senatus et consilium, adiuvet, ac, sede vacante, suppleat in dioecesis regimine.

§ 2. Capitulum collegiale appellatur insigne aut perinsigne, si hoc titulo ex apostolico privilegio vel ab immemorabili gaudeat.

CAN. 392. - Capitulorum tum cathedralium tum collegialium institutio seu erectio, innovatio ac suppressio Sedi Apostolicae reservatur.

CAN. 393. - § 1. In qualibet ecclesia capitulari sint dignitates et canonici inter quos varia officia distribuantur; possunt esse etiam alia minora beneficia in uno vel pluribus gradibus.

§ 2. Capitulum constat dignitatibus et canonicis, nisi, ad dignitates quod attinet, aliud ex capitularibus constitutionibus eruatur; non autem inferioribus beneficiariis seu mansionariis, qui canonicis auxilium praestant.

§ 3. Canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione.

CAN. 394. - § 1. In Capitulis numeratis tot sint praebendati, quot praebendae; in non numeratis, quot ex proventibus decenter sustentari posse, Episcopus, audito Capitulo, iudicaverit.

§ 2. Erectio dignitatum Sedi Apostolicae reservatur; sed est in Episcopi potestate, consentiente Capitulo, exstinctas forte dignitates restituere et praebendis in Capitulo iam exstantibus alias sive canonicales sive beneficiales addere.

§ 3. In ecclesiis cathedralibus et collegialibus insignibus ubi adeo tenues praebendae sunt una cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo canonicorum decori plane sint impares, Episcopi, audito Capitulo et impetrata Sanctae Sedis licentia, vel beneficia aliquot simplicia praebendis uniant, vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus praebendis suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad minorem numerum reducant, ita tamen ut tot supersint, quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant.

CAN. 395. - § 1. In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus in quibus nullae sunt quotidianae distributiones vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, Episcopi tertiam partem separent fructuum, proventuum, obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur et in distributiones quotidianas convertant.

§ 2. Si distributiones quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes pecuniarias constituat mulctas, quae distributionibus respondeant earumque locum teneant.

§ 3. Distributiones cedunt diligentibus, quavis collusione aut remissione exclusa; si vero dignitates habeant proventus a massa seu bonis canonicorum diversos et separatos, distributiones ab eis amissae cedunt aliis dignitatibus praesentibus, si adsint, secus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alii pio loco, Episcopi arbitrio.

§ 4. Ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta, unus vel plures censores, seu *punctatores* nominentur, qui absentes a divinis officiis quotidie notent, praestito prius coram Capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo; quibus Episcopus alium addere potest punctatorem; quod si abfuerint punctatores, senior e canonicis qui adsunt, illorum vices suppleat.

CAN. 396. - § 1. Collatio dignitatum tum in Capitulis cathedralibus tum in collegialibus Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Prohibetur optio, reprobata contraria consuetudine, sed salva fundationis lege.

§ 3. Prima saltem dignitas in Capitulo cathedrali, quantum fieri potest et ceteris paribus, laurea doctorali in sacra theologia vel iure canonico polleat.

CAN. 397. - Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatibus et canonicis secundum ordinem praecedentiae ius et officium est:

1° Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus;

2° Episcopo celebranti in pontificalibus, aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis fungi officio;

3° Eidem decumbenti ministrare Sacramenta; defuncto iusta funebria persolvere;

4° Convocare Capitulum eique praeesse ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referantur, dummodo dignitas sit de gremio Capituli.

CAN. 398. - § 1. In nulla ecclesia cathedrali desit officium canonici theologi et, ubi id fieri poterit, canonici poenitentiarii.

§ 2. Etiam in collegialibus, praesertim insignibus, officium canonici theologi et poenitentiarii constitui potest.

CAN. 399. - § 1. Canonicus theologus et poenitentiarius eligantur qui aptiores pro loci qualitate ad propria munera adimplenda reperiantur; sed, ceteris paribus, praeferantur doctores in sacra theologia, si agatur de canonico theologo, in sacra theologia vel iure canonico, si de poenitentiario; expedit praeterea ut canonicus poenitentiarius aetatis annum tricesimum expleverit.

§ 2. Praebenda theologalis et poenitentiaria ne conferantur, nisi prius de vita, moribus, doctrina candidatorum plane constiterit, salva lege concursus, ubi sit constituta.

§ 3. Canonicus poenitentiarius prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere aut exercere, cui adnexa sit iurisdictio in foro externo.

CAN. 400. - § 1. Canonici theologi est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare sacram Scripturam; sed Episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere.

§ 2. Canonicus theologus munus expleat suum ipse per se, vel, si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum.

§ 3. Episcopus gravi de causa potest canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat.

CAN. 401. - § 1. Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis.

§ 2. Debet in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi, opportuniore et praesto esse iis qui ad confitenda sua peccata accedunt ipso quoque divinorum officiorum tempore.

CAN. 402. - Si Capitulo adnexa sit cura animarum, haec exerceatur a vicario paroeciali ad normam can. 471.

CAN. 403. - Exceptis dignitatibus, ad Episcopum pertinet, audito Capitulo, conferre omnia et singula beneficia ac canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus tum collegialibus, reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, sed firma contraria fundationis lege et praescripto can. 1435.

CAN. 404. - § 1. Canonicatus Episcopus conferat sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus.

§ 2. In canonicatuum collatione, ceteris paribus, ratio habeatur illorum qui doctores in sacra theolo-

gia vel iure canonico renuntiati fuerint in aliquo athenaeo, vel laudabiliter ministerium ecclesiasticum aut magisterium exercuerint, firmo praescripto can. 130, § 2.

CAN. 405. - § 1. Dignitates, canonici et beneficiarii, capta legitime beneficii sui possessione ad normam can. 1443-1445, statim pro gradu suo acquirunt, praeter insignia ac privilegia propria, scamnum in choro, ius percipiendi fructus ac distributiones, ac vocem in capitulo ad normam can. 411, § 3.

§ 2. De fidei professione ab ipsis ante captam possessionem emittenda servetur praescriptum can. 1406-1408.

CAN. 406. - § 1. Episcopo, non autem Vicario Generali, nec Vicario Capitulari, ius est canonicos ad honorem nominandi sive dioecesa-

Caput VII De Capitulis Canonicorum

Prima pars

- quoad eorum elementa
  - in seipsis
    - notio ac divisiones — Can. 391
    - erectio, innovatio ac suppressio — » 392
  - in genere
    - interna constitutio — » 393
    - numerus, erectio, innovatio ac suppressio — » 394
    - distributionum quotidianarum constitutio ac perceptio — » 395

Secunda pars

- quoad eorum elementa
  - in specie circa
    - Dignitates
      - collatio, optio et qualitas — » 396
      - ius et officium — » 397
    - Officia
      - Theol.i et Poenitent.i
        - ubinam existant — » 398
        - qualitates et collatio — » 399
      - Can. Theologi — munus diversum — » 400
      - Can. Poenitentiarii — potestas et obligatio — » 401
      - ob animarum curam — vicarius paroecialis — » 402
    - Canonicatus
      - et beneficia minora
        - a quo facienda collatio — » 403
        - quibus conferenda — » 404
      - et Dignitates ac beneficia minora
        - collationis effectus et conditiones — » 405
    - Canonicos ad honorem
      - a quo nominandi et conditiones — » 406
      - quoad insignia, privilegia et alia — » 407
- iura honorifica
  - praecedentiae inter Capitula et in eodem Capitulo — » 408
  - insigniorum, ubinam et quae vestes deferendae — » 409

Tertia pars videnda est in pag. 436.

nos sive extradioecesanos cum consilio Capituli cui canonicus est adscribendus, sed Episcopus raro et caute hoc iure utatur.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem nominaturus, Episcopus, praeter Capituli sui consilium, Ordinarii, cui subiectus est nominandus, assensum impetret, sub poena nominationis irritae, eundemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usum nominandus exinde habiturus sit.

§ 3. Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero sint tertia parte minores canonicis titularibus.

Can. 407. - § 1. Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum extra Urbem, privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim, nisi ad normam can. 409, § 2.

§ 2. Canonici ad honorem, praeter insignia et privilegia seu iura honorifica, obtinent etiam scamnum in choro.

Can. 408. - § 1. Capitulum cathedrale praecedit collegiali, etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia; Capitulum insigne praecedit non insigni; in eodem Capitulo, salvis peculiaribus statutis, vel legitimis consuetudinibus, dignitates, servato inter se praecedentiae ordine, praecedunt canonicis; canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus; canonici titulares, honorariis; honorarii, beneficiariis; dignitates vero aut capitulares charactere episcopali ornati omnibus dignitatibus ac canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedunt.

§ 2. In Capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servetur praecedentia ordinis; et in eodem ordine praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum.

Can. 409. - § 1. In unaquaque ecclesia tum cathedrali tum collegiali, qui in dignitate episcopali sunt constituti, deferant in choro vestem episcopalem; ceteri omnes, dignitates, canonici et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam; secus censeantur tanquam absentes.

§ 2. Vestem choralem aut specialia insignia capitularia adhibere possunt in tota dioecesi in qua est Capitulum, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel Episcopum comitentur vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve sollemnitatibus.

429. **Inscriptio capitis.** — Consequenter considerandum est *caput* V inscriptum *De capitulis canonicorum;* idest: de collegialibus personis in Ecclesia, quae canonicis constant, de cuius verbi significatione haec scribit Leo XIII in litt. apost. « Illud est proprium »[1]: « Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis ecclesiasticis cautiores et diligentiores erant ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensu-

[1] 29 Ian. 1894.

ram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut opera et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonnulli sunt, qui pristinae institutionis immemores Canonicorum Collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onera defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari ». De quibus canonicis ad honorem subiungit regulas inferius hoc in Capite perdiscendas.

430. **Canonum distributio.** — Canones húius longioris capitis triginta et duo sunt, atque tripartita consideratione, ut videtur, distributi. Primo enim traditis Capitulorum descriptione ipsorumque relate ad ss. canones praecipuis divisionibus, eorum constitutio etiam in suis componentibus exhibetur atque conservatio vel suppressio, ac protrahitur tractatio usque ad temporalia eorum in can. 395, secundo percurrit legislatio peculiariter dignitates, officia tria, caeteros canonicatus et auxiliaria beneficia, et canonicos ad honorem, de his singulis tum de collatione in dante tum de recipientis qualitatibus statuens, iuraque inde consequuta determinans simul et correlativa officia: et postquam de canonicis ad honorem praescripsit, logice ad insignia et honorifica iura in Capitulis prudenter distribuenda se détinet in can. 408, 409, ad quos se protrahit haec secunda consideratio, inde transiens ad considerandum tertio: de capitulorum obligationibus quà talium, singulas praescribens etiam quatenus personas physicas respiciunt, et omnia haec absolvit can. 417, adiunctis aliis quatuor de conditionibus exemptionis singularum personarum a chorali obligatione, quos canones sequitur ultimus 422 de canonicis emeritis, seu, ut aiunt, iubilatis.

431. **Capitulorum notio ac distinctio.** — Traditur sic a *canone 391*. § 1. *Capitulum canonicorum sive cathedrale*, eo quod est conditum in Ecclesia, quae cathedram Episcopi actu habet, cum respectu proinde ad eam, *sive collegiale seu collegiatum*,

quia solum hac personae qualitate potitur: unum et alterum *est clericorum collegium ideo institutum* h. e. in hunc scopum *ut solemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat et, si agatur de Capitulo cathedrali* tantum, insuper *ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum*, non aliter privatoque arbitrio, *tanquam eiusdem senatus* constans dignioribus velut senioribus clericis. *et consilium* ex officio a legislatore oblatum, *adiuvet, ac, sede vacante, eius vices suppleat in dioecesis regimine*, sicut dicitur in cap. VII « De sede impedita aut vacante ac de Vicario Capitulari ».

§ 2. *Capitulum collegiale*, scilicet: hoc solum *appellatur* cum addito: *insigne aut perinsigne*, tantummodo *si hoc titulo* a) *ex apostolico privilegio* b) *vel ab immemorabili* tempore *gaudeat*. Alias servandum quod in Eugubina [1] S. R. Cong. declaravit: « 4. An sit abolendus titulus *Insignis* a Collegiata, propria auctoritate sibi attributus? - Ad 4. Non licere Collegiatae praefatae S. Christinae uti titulo *Insignis*. Et ita censuit, decrevit et inconcusse servari mandavit ». Alia divisio Capitulorum generalis est in Capitula numerata et alia non numerata, quae occurret declaranda inferius.

432. **Capitulorum reservatio Sedi Apostolicae.** — *Can. 392. Capitulorum tum cathedralium tum collegialium* a) *institutio seu erectio*, b) *innovatio* c) *ac suppressio Sedi Apostolicae reservatur*. Equidem iam vidimus in can. 248, § 2 eorum constitutionem ad S. Congregationem Consist. spectare in locis Congr. de Prop. F. non obnoxiis, per quas etiam occurrente casu innovatio vel suppressio convenienter decernetur.

433. **Constitutio Capitulorum.** — Constitutionem cuiuscumque Capituli genericam exhibet *can. 393*. § 1. *In qualibet ecclesia capitulari* secundum inscriptionem capitis, proinde non religiosorum, *sint* a) *dignitates*, quae antiquitus quamdam potestatem, nunc autem honorem solum ac praecedentiam peculiares habent, b) *et canonici* communi nomine *inter quos* i. e. canonicos c) *varia officia distribuantur* sensu lato; insuper sed non de necessitate *possunt esse etiam* d) *alia minora beneficia*, quae sic vocantur eo quod sita infra canonicatus, *in uno vel pluribus gradibus* ad invicem. Consequenter ac determinate

[1] 2 Dec. 1690.

loquitur § 2. *Capitulum*, i. e. persona collegialis, *constat* a) *dignitatibus et canonicis*, cum exceptione: *nisi, ad dignitates quod attinet, aliud ex capitularibus constitutionibus* nempe: quae in erectione capitulorum datae sunt, non confundendae cum statutis capitularibus, quae in can. 410 condenda praecipiuntur, *eruatur*, i. e. « dignitates » non pertinere ad eam moralem personam; *non autem* haec constat unquam *inferioribus beneficiariis seu mansionariis* forsitan sine vero beneficio, *qui* nempe: utrique *canonicis auxilium praestant*.

Canonici autem sint vere beneficiati, praescribit enim § 3. *Canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione*. Praescriptum absdubio providens externo decori capitularium.

434. **Numerus capitularium et erectio.** — De singulis praefatis beneficiis se occupat sequens *can. 394*. § 1. *In capitulis numeratis* i. e. quorum emolumenta in praebendas distinctas sunt fixa, *tot sint praebendati*, i. e. beneficium capitulare habentes, *quot praebendae; in non numeratis*, quorum nempe bona temporalia unum indistinctum acervum componunt, numerus capitularium constet *quot ex proventibus* Capituli *decenter sustentari posse, Episcopus*, praevie *audito Capitulo*, uti haec verba in can. 105, 1° declarantur, *iudicaverit*. Qui numerus variari potest crescentibus vel minuentibus obventionibus, prout dicitur in cap. 25 De praebendis et dignitatibus (I, 5): « Praeterea licet in ecclesia, in qua non est certus numerus praebendarum, nulla etiam vacante in canonicum quis possit assumi, cum intelligatur ad quoddam ius eligi, quod, ex electorum assensu de novo creatur, et cum electo in canonicum nascitur, et defluit cum defuncto ». Nunc temporis tamen cum iudicio Episcopi praefato.

§ 2. *Erectio* singularum *dignitatum* in quibuslibet capitulis *Sedi Apostolicae reservatur; sed* (hoc non obstante) *est in Episcopi potestate*, sub conditione: *consentiente Capitulo*, quorum verborum significatio ex cit. can. 105, 1° cognoscitur, a) *exstinctas forte dignitates* antea erectas *restituere* easdem, non alias forsan titulo, immo *et praebendis in Capitulo* numerato *iam extantibus*, utpote cum his a Sede Apostolica erecto, b) *alias* distinctas *sive canonicales sive beneficiales* prae dignitatibus *addere*. - Norma praecedens erectionem respicit: conservationem ac suppressionem ab Episcopo statuendam moderatur se-

quens § 3. *In ecclesiis cathedralibus et collegialibus insignibus* tantum (ergo quoad alias collegiales ecclesias ius commune de beneficiis servetur) *ubi adeo tenues praebendae sunt*, scilicet: beneficiorum distinctorum dotes ex quibus reditus percipiuntur a canonicis *una* simul *cum distributionibus quotidianis*, quas obventiones inferius cognoscemus, *ut sustinendo canonicorum decori plane sint impares*, *Episcopi* I° *audito Capitulo*, (can. 105, § 1°) *et* II° *impetrata Sanctae Sedis licentia*, alterutrum ex sequentibus adimpleat: a) *vel beneficia aliquot simplicia*, i. e. quae obligationes ubilibet servandas secumferunt, ac ubicumque existant, *praebendis* supra descriptis *uniant*, b) *vel*, sub conditione: *si hac ratione* nempe sub littera a) *provideri non possit*, *aliquibus praebendis suppressis*, i. e. beneficiis ecclesiarum praedictarum, *cum patronorum consensu*, solo in casu: *si de iure patronatus* non ecclesiasticorum, sed *laicorum sint*, quam distinctionem noscemus in cap. IV « de iure patronatus » tit. XXV lib. III, cum hoc effectu: *quarum fructus et proventus* ratione illarum lucrandi *reliquarum praebendarum* conservandarum *distributionibus quotidianis* percipiendis *applicentur*, consequente harum augmento, *eas* i. e. praebendas prius tenues *ad minorem numerum reducant*, hoc vero omnino servato: *ita tamen ut tot* canonice providendae *supersint, quot divino cultui celebrando ac dignitati Ecclesiae commode* quoad illum *respondeant*.

435. **Distributiones quotidianae constituendae.** — Quia canon debuit loqui de distributionibus quotidianis praeter praebendarum fructus extantibus, illarum constitutio ac perceptio generalis praescribitur statim ex iure praec[i]. Conc[m]. enim Trid. sic se habet in c. 3 sess. XXI de Ref.: « Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta; ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, statuit S. Synodus » quod praescribit *can. 395.* § 1. *In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus in quibus* a) *nullae sunt quotidianae distributiones* scilicet: summae pecuniarum partialiter in dies distribuendae praebendatis, *vel* b) *ita tenues* pro singulis diebus *ut verisimiliter negligantur, Episcopi tertiam partem separent fructuum* scilicet: redituum, *proventuum, obventionum quae ex dignitatibus, canonicatibus, officiis* h. e. beneficiis cum adnexo

munere administrationis spiritualis vel temporalis, *aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur et in distributiones quotidianas convertant.* Animadvertatur verba §[i] esse praeceptiva, et huc pertinet Declaratio sequens Pont. Commissionis ad Cod. canones auth. interpretandos:[1] « 4. An vi canonis 395, § 1, Episcopus teneatur pro quotidianis distributionibus, tam in Cathedralibus quam in Collegiatis, tertiam partem fructuum separare, etiam si in dictis ecclesiis distributiones chorales, quamvis tenues, originem repetant ex privilegio Apostolico, Resp.: Affirmative ».

Alius modus adinventus fuerat a Doctoribus ad conciliandum praecedenti Tridentini capiti aliud eiusdem Concilii 3 sess. XXII de Ref., quod videbatur diversum. Hic modus praescribitur in § 2 tantum ut subsidiarius, sub conditione: *Si distributiones* prout in §° praec. *quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes* circa urgentem eos obligationem assistentiae divinis officiis *pecuniarias constituat mulctas* ab illis negligentibus solvendas, *quae distributionibus respondeant* in quantitate tertiae partis praedictae *earumque locum teneant* quoad ss. canonum de distributionibus praescripta. - Nempe: § 3. *Distributiones cedunt diligentibus* nempe: his qui praesentes sunt in choro, vel qui praesentibus iure aequiparantur ex can. 420, § 1, omnino i. e. a) *quavis collusione* inter capitulares b) *aut remissione* Superioris vel capitularium diligentium *exclusa;* limitatio autem sequens valde animadvertenda est ut nova: *si vero dignitates habeant proventus a massa seu bonis* forsitan distinctis singulorum *canonicorum diversos ac separatos*, in hac solum hypothesi *distributiones ab eis amissae* a) *cedunt aliis dignitatibus praesentibus, si adsint*, cum canonicorum etsi diligentium exclusione, b) *secus*, i. e. si non adsint dignitates praesentes, *fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat*, et tunc praeferenda erit, *aut alii pio loco*, alterutri ac isti singulariter determinando ex *Episcopi arbitrio.*

Ut haec omnia exequutionem plenam consequantur, praxis iam in antecessum servata iubetur in § 4. *Ab unoquoque Capitulo, secundum sua cuiusque statuta*, de quibus infra dicetur.

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 477.

unus vel plures censores, seu punctatores nominentur, appellationes muneri conformes sic descripto: *qui absentes a divinis officiis* ad quae obligantur, *quotidie notent*, ab iisdem censoribus *praestito prius* in muneris assecutione *coram Capitulo vel eius praeside* tantummodo, *iureiurando de suo munere fideliter obeundo*, hucusque praescriptum; ast *quibus Episcopus alium* i. e. unum *addere potest punctatorem*, quatenus incumbit Episcopo haec praesentiae sollicitudo; *quod si abfuerint punctatores* designati, *senior e canonicis qui adsunt*, in casu enim illo obligatur, ut *illorum vices suppleat* in notandis absentibus. Igitur de negligentium absentia semper constat.

436. **Dignitates.** — Sequuntur canones secundae partis de his qui cooptantur per beneficium praedictis ecclesiis, incipiendo a dignitatibus. - *Can. 396.* § 1. *Collatio dignitatum*, quae inferiores vel minores vocantur, et adsunt *tum in Capitulis cathedralibus tum in collegialibus*, *Sedi Apostolicae reservatur* exercenda per Datariam Aplcam. ad normam can. 261, ita ut ab aliis Praelatis Ecclesiae fieri valide nequeat provisio earum. Ita ex can. 1434 [1]. Ad has praeterea § 2 *Prohibetur optio*, sive in canonicis sive in altera dignitate, *reprobata contraria consuetudine*, quae proinde « ne sinatur in posterum reviviscere » ad normam can. 5, *sed salva fundationis lege* optionem forsitan disponente. Huc pertinet resp. Commiss. Pont. ad Cod. canones auth. interpretandos [2]: « 5. An optio, de qua in canone 396, § 2, censeatur prohibita, etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico; Resp.: Affirmative ». - Et quamvis ex contextu consideravi solam dignitatis optionem, paragraphus iste indefinite loquens sic accipiendus est iuxta sequens Pontificiae Commissionis ad Codicis canones auth. interpretandos: [3] « I. Utrum prohibitio optionis per Codicem Iuris Canonici inducta, intelligenda sit tantum quoad dignitates, an etiam quoad omnes canonicatus. - Resp.: Negative ad 1^{am} partem, affirmative ad 2^{am} ». - De qualitatibus obtinentium eas statuit § 3. *Prima saltem dignitas*, iure praecedentiae, *in Capitulo cathedrali*, non absolute sed I° *quantum fieri potest et* II° *ceteris paribus* inter candidatos, *laurea*

[1] Can. 1434. Beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus invalide conferuntur.
[2] 16 Oct. 1919. CO. XI, 477.
[3] 24 Nov. 1920. CO. XII, 573.

doctorali in sacra theologia vel iure canonico polleat. Idque ad Capituli decorem.

437. **Ius et officium.** — Quia primo ac fere semper a Dignitate aliqua exercetur sequens ius, additur *can. 397. Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur*, quia tunc hoc esset servandum, *dignitatibus et canonicis* praesentibus *secundum ordinem praecedentiae ius et officium est*, quod ius ad priorem ex praesentibus dignitatibus, vel his deficientibus, ex canonicis pariter praesentibus competit, illeque insuper debet:

1° *Episcopi dioecesis vicem supplere in peragendis functionibus sacris*, v. gr. missa, vesperis, procesionibus, *in sollemnioribus anni festivitatibus*, quae in Caeremoniali Episcoporum determinantur esse huiusmodi.

2° *Episcopo residentiali proprio celebranti in pontificalibus*, nempe: ad Missan sollemnem illam accedenti *aspersorium* a) *in ingressu Ecclesiae porrigere* b) *et* dum ille ipsam celebrat *presbyteri assistentis fungi officio*.

3° *Eidem decumbenti* mortis cum periculo a) *ministrare Sacramenta* Eucharistiae « per modum Viatici » (can. 850)[1] et « Extremam unctionem » (can. 938, § 2)[2]; *defuncto iusta funebria persolvere* gerendo principalem partem quoad officium et missam;

4° *Convocare Capitulum* a) *eique praesse ac* b) *praescribere et ordinare*, quatenus in statutis desit, *quae ad chori directionem referantur;* haec vero sub n.° 4° si verificetur conditio: *dummodo dignitas sit de gremio Capituli*.

438. **Canonici theologus et poenitentiarius.** — Duo sunt in capitulis officia, de quibus statuit Conc. Trid. tum in cap. 1 sess. V sub nomine canonici *theologi*, (cum in cap. 18 sess. XXIII eadem fere decernat de officiis vel dignitatibus illis quae scholasteriae dicuntur), tum in cap. 8 sess. XXIV de canonico poenitentiario in omnibus cathedralibus ecclesiis instituendo. De his duobus incipit *can. 398*. § 1. *In nulla ecclesia cathedrali*

[1] Can. 850. Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam can. 848, salvo praescripto can. 397, n. 3 et can. 514, §§ 1-3.

[2] Can. 938... § 2. Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514 §§ 1-3 minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest.

proprie iuxta praec. ius Tridentinum *desit* a) *officium canonici theologi*, qui sic vocatur propter disciplinam sacram ab eo edocendam, *et, ubi id fieri poterit*, fortassis quia multi alii sacerdotes audiendis confessionibus incumbunt, b) « officium » *canonici poenitentiarii*. - § 2. *Etiam in collegialibus* quibuscumque, ac *praesertim insignibus*, quibus accenseantur ecclesiae abbatiales vel praelatitiae *nullius*, *officium canonici theologi et poenitentiarii constitui potest*. Sed nullo modo praescribitur, cum derogatione Conc. Trid. decreti (cap. 1 sess. V) circa theologum.

439. **Qualitates eorum** sic decernit *can. 399*. § 1. *Canonicus theologus et poenitentiarius*, quamvis in collegialibus instituendi, *eligantur* i. e. inter plures designentur *qui aptiores pro loci qualitate* secundum istius circumstantias respiciendas in ordine *ad propria* alteriusutrius infra describenda *munera adimplenda reperiantur; sed, ceteris paribus* qualitatibus, *praeferantur doctores in sacra theologia, si agatur de canonico theologo*, doctores *in sacra theologia* (nempe: ob partem moralem) *vel iure canonico, si de poenitentiario*, propter diversum alterutrius munus; *expedit praeterea*, et inde sequendum, nisi aliud obstet vel suadeat contrarium, *ut canonicus poenitentiarius aetatis annum tricesimum expleverit*. Revocato igitur praescripto quod in Conc. Trid. legitur: « sit annorum quadraginta ».

§ 2. *Praebenda theologalis et poenitentiaria*, quae idcirco sint canonicatus cum officio, *ne conferantur*, quin addatur clausula irritans, *nisi prius de vita, moribus, doctrina candidatorum plane* i. e. certo *constiterit* documentis, testimoniis, etc., quin examen proprie exigatur, *salva lege concursus, ubi sit constituta*: v. gr. ex Concordatis, vel lege particulari, sicut pro Italia et insulis adiacentibus ex const. « Pastoralis officii » Bened. XIII [1].

§ 3. *Canonicus poenitentiarius* solus *prohibetur aliud simul*, seu poenitentiaria retenta consequutave, *officium in dioecesi* a) *suscipere aut* b) *exercere* habitum antea vel ad supplendum habentem illud, non iam quodlibet, praeter incompatibile ad normam can. 156, sed vi huius canonis illud, *cui adnexa sit* a iure, ex institutione, vel ab homine, id est: quomodocumque *iurisdictio* proprie dicta, sed quaelibet *in foro externo*. Immo

[1] 19 Maii 1725, §§ 1, 5.

expresse cavetur in can. 367 § 3: « Vicarii generalis munus ne committatur ipsi ». Attamen ut « irritantes aut inhabilitantes eae leges non sunt habendae », (can. 11).

440. **Officium canonici theologi.**— Conc. Trid. « piis SS. Pontificum, et probatorum Conciliorum constitutionibus inhaerens, easque amplectens, et illis adiiciens, ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat [1], statuit et decrevit » inter alia, ut Episcopi vel per deputationem praebendae in quibusdam ecclesiis capitularibus, vel alio modo providerent, ut « ipsa sacrae Scripturae lectio haberetur ». Atque id esse munus canonici theologi, hodiernis temporibus post encycl. Litteras Greg. XVI « Inter praecipuas » [2] fuit regula pluribus S. C. C. decisionibus suffulta. Hinc derivatur *can. 400.* § 1. *Canonici theologi est*, a) *diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio destinatis*, b) *publice in Ecclesia* c) *explanare Sacram Scripturam;* attamen quia illuminatio sequens ex S. Scripturae doctrina devotioque ac virtutes sint praesertim scopus illarum lectionum, additur in canone: *sed Episcopus, si id utilius iudicet*, tunc solummodo, *potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda* loco illius explanationis *committere.* Quod etiam Theologi nomini concordat.

Secundum verba et mentem Patrum Tridentinorum (loc. ult. cit.) statuit § 2. *Canonicus theologus munus*, quatenus potius ad scholam quam ad verbi Dei praedicationem accedit, *expleat suum* a) *ipse per se*, *vel* tantummodo *si ultra sex menses* computandos ad normam can. 34, § 2 sive « tempus sit continuum » sive « interruptum » eodem in anno ut in calendario, *fuerit impeditus* ita ut a munere exercendo excusetur, b) *propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum.* Quid iuris infra illos sex menses impedimenti? Certe non potest vi iuris communis cogi ut suppleat propriis expensis per alium, servandum vero ius particulare si quod est constitutum pro illo quaesito.

Concessio facta quibusdam dioecesibus per S. Congr. Conc. nunc extenditur omnibus velut exceptionem §ⁱ 1ⁱ., equidem ad mentem cap. 18 sess. XXIII de Ref. « ut cum minori impensa

[1] Cap. 1 Dec. de Ref. sess. V. — [2] 8 Maii 1844.

huiusmodi scholis Seminarii provideatur, statuit » cum Synodo Trid. § 3. *Episcopus, gravi de causa* (non solum ob praedictam in Conc. Trid.) *potest canonico theologo committere, ut, loco lectionum in Ecclesia, sacras disciplinas* « quae videbuntur Episcopo expedire » *in Seminario doceat.* Exempli causa: quia lectiones illas pauci frequentant, quia desunt competentes professores sacrarum disciplinarum, etc.

441. **Officium poenitentiarii.** — Quod iam in iure praec. observabatur ex Sanctae Sedis iurisprudentia et communi Doctorum sententia, exprimit *can. 401.* § 1. *Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis, tum ecclesiae collegialis* pari modo *obtinet a iure* vi huius canonis ac suae legitimae possessionis facto a) *potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest*, et est casus exceptionis § 1[1] can. 199, *absolvendi* ac vi huius canonis b) *etiam a peccatis et a censuris Episcopo proprio reservatis* sive per Episcopum, sive ipso iure, nam « ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus », c) *in dioecesi* quoad locum exercendi ministerium illud *extraneos quoque*, nempe: extra eandem habentes domicilium aut quasi domicilium, d) *et dioecesanos* sic dictos proprie, quatenus « suum Ordinarium (dioecesis eiusdem) sortiuntur » (can. 94), *extra territorium quoque* ipsius *dioecesis*, ubi praebendam illam possidet. Participat ergo Episcopi ordinariam iurisdictionem in sacramentali foro. - Haec igitur est potestas canonici poenitentiarii: eius obligationem subiungit § 2. *Debet* a) *in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata*, non alibi, *residere* c) *tempore* illo tantum *ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi, opportuniore;* d) *et praesto esse*, seu paratus ad ibi residendum, *iis qui ad confitenda sua peccata accedunt* ad eum in ecclesia eius praebendae *ipso quoque divinorum officiorum tempore*, quae proinde sui muneris exercitio postponere debet.

442. **Officium curae animarum.** — In aliquibus Capitulis invenitur officium parochiale, propter quod monet *can. 402. Si Capitulo adnexa sit cura animarum*, illud hanc habitualiter tantum retineat, ita ut *haec exerceatur a vicario paroeciali ad normam can. 471*, quam suo tempore docebimus.

443. **Canonicatus.** — Postquam de collatione dignitatum in capitulis actum est, atque de quibusdam specialibus officiis ca-

nones positi sunt, de collatione canonicatuum et beneficiorum minorum in capitularibus ecclesiis statuunt canones duo sequentes. - *Can. 403. Exceptis dignitatibus*, de quibus egit can. 396, *ad Episcopum*, sub cuius nomine « venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 215, § 2) pro alterutrius territorio, *pertinet*, *audito* ad normam can. 105 *Capitulo* canonicorum forsan collegiali, tantum *conferre* libere vi huius canonis a) *omnia et singula beneficia* vera iuxta definitionem can. 1409 [1], exclusis ab hac norma « licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant » quae in can. 1412 [2] recensentur, b) *ac canonicatus in ecclesiis tum cathedralibus* respectivis *tum collegialibus* uniuscuiusque, I° *reprobata quavis contraria consuetudine*, proinde « non sinenda in posterum reviviscere » vi can. 5, *et* II° *revocato quolibet contrario privilegio* (can. 4), *sed* III° *firma contraria fundationis lege* quoad conferendi potestatem fortassis coarctatam per aliorum ius interveniendi, *et* IV° firmo *praescripto can. 1435* de beneficiis Sedi Apostolicae reservatis quae ibidem plene recensentur.

444. **Qualitates respiciendae in canonicatuum provisione.** — De clericorum qualitatibus in quadam huiusmodi collatione respiciendis adest *can. 404.* § 1. *Canonicatus* singulos ut a dignitatibus distinctos, nam subditur *Episcopus* cuius « nomine venit quoque (hic) Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 105, § 2) *conferat* ad normam can. praec. a) *sacerdotibus* b) *doctrina vitaeque integritate*, non tantum praeditis, sed *praestantibus*.

§ 2. *In canonicatuum collatione* iuxta § praec., *ceteris paribus* inter candidatos, *ratio habeatur illorum* i. e. praeferantur a) *qui doctores*, non tantummodo licentiati, *in sacra theologia vel iure canonico renuntiati fuerint in aliquo athenaeo*, proinde supponitur ex merito, non aliter, b) *vel laudabiliter* non iam qualitercumque *ministerium ecclesiasticum* v. gr. curae parochialis, praedicationis, vel confessionum audiendarum, *aut ma-*

[1] Can. 1409. Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.

[2] Can. 1412... 1° Vicariae paroeciales non in perpetuum erectae; - 2° Cappellaniae laicales, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica; - 3° Coadiutoriae cum vel sine futura successione; - 4° Pensiones personales; - 5° Commenda temporaria, idest: concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur.

gisterium item cum laude *exercuerint*, c) simili *firmo praescripto can. 130*, § 2 de sacerdotibus « qui expleto studiorum curriculo in annualibus per triennium periculis magis praestiterunt ».

445. **Possessionis effectus.** — Iura quae provisi consequuntur et a quonam tempore edicit *can. 405*. § 1. *Dignitates, canonici et beneficiarii capta legitime beneficii* (per collationem) *sui possessione* capienda *ad normam can. 1443-1445* ibi explicandam, *statim pro gradu* suo diversimode acquirunt, *praeter* a) *insignia ac privilegia propria* singulorum et capitulorum, b) *scamnum* seu locum *in choro* determinatum regulis praecedentiae, c) *ius percipiendi fructus ac distributiones* ad beneficium suum pertinentes, d) *ac vocem in capitulo, ad normam can. 411, § 3* tunc declarandam, scilicet: exclusis ut plurimum beneficiatis, et alicubi dignitatibus.

Obligationem implendam possessionis occasione memorat § 2. *De fidei professione ab ipsis ante captam possessionem emittenda servetur praescriptum can. 1406-1408.*

446. **Canonici ad honorem.** — De aliis clericis qui ad Capitularem ecclesiam pertineant, quin beneficium in eadem possideant, sunt duo seqs. canones, qui statuta Leonis XIII in Aplcis. litts. « Quum illud proprium » fere ad verbum integre transcribunt. - *Can. 406*. § 1. *Episcopo, non autem Vicario generali* simpliciter, hinc ei non dandum speciale circa id mandatum, *nec Vicario Capitulari*, a) *ius est canonicos ad honorem nominandi*, clericos *sive dioecesanos sive extra-dioecesanos* scilicet alteri dioecesi incardinatos, exercendum b) *cum consilio Capituli* non semper cathedralis, sed *cui canonicus est adscribendus*, circa quem iuris usum monitio sequitur obligans: *sed Episcopus raro* quoad frequentiam *et caute hoc iure utatur*. - De clericis extra-dioecesanis servandus etiam § 2. *Sacerdotem alienae dioecesis* (nec huius clericus in sacris est canonicus ad honorem nominandus) *canonicum ad honorem nominaturus*, hic praevie ad nominationem, a) *praeter Capituli sui*, non semper cathedralis, sed dioecesani ut in §o. praec. *consilium*, b) *Ordinarii, cui subiectus* i. e. subditus *est nominandus, assensum impetret*, i. e. consensum obtineat *sub poena nominationis irritae*, c) *eumdemque Ordinarium*, item praevie absque tamen irritationis poena, *insignia edoceat ac privilegia quorum usum nominandus exinde*

habiturus sit. - Aliámque limitationem prae oculis in casu habendam tradit § 3. *Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero sint tertia parte minores canonicis titularibus*: non vero complexive, sed ad normam litt. apost. Leonis XIII, n. III, « cunctis canonicis a Pontificiis Constitutionibus » vel iure «respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis » et qui de facto existant titulares.

447. **Illorum iura.** — Iura, quae obtinent per nominationem canonici ad honorem, habent limites ex *can. 407.* § 1. *Canonici ad honorem alicuius basilicae* v. gr. S. Petri, S. Mariae Maioris, *vel ecclesiae collegialis almae Urbis*, a) *privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum*, solum intra ecclesias; *canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum* i. e. capitularium *extra Urbem*, b) *privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt*, sicut canonici titulares eiusdem ecclesiae uti possunt, c) *non autem extra dioecesim*, cui absolutae prohibitioni litt.[m] apost.[m] Leonis XIII apposita est restrictio: *nisi ad normam can. 409*, § 2, videlicet :quando « Episcopum comitentur, vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve solemnitatibus ».

§ 2. *Canonici ad honorem* a) *praeter insignia et privilegia seu* quae simul vocantur *iura honorifica* b) *obtinent etiam scamnum in choro.* Ibi ergo iure assistunt tamquam canonici.

448. **Capitulorum iura honorifica.** — De iuribus honorificis Capitulorum inter se, atque capitularium ad invicem ordinat *can. 408.* § 1. *Capitulum cathedrale praecedit* a) *collegiali* simpliciter, b) *etiam insigni* (ubicumque) c) *in ipsa quoque collegiali ecclesia*, et merito utpote senatus Episcopi; *Capitulum insigne praecedit* ea de causa *non insigni; in eodem Capitulo, salvis peculiaribus statutis, vel legitimis consuetudinibus*, i. e. utrisque praevalentibus, (quae considerandae sunt tamquam exceptiones), *dignitates, servato inter se praecedentiae ordine*, qui vel a dignitate ipsa iure petatur, vel secundum ius commune de praecedentia, *praecedunt canonicis; canonici antiquiores*, et exponitur: *qui nempe prius possessionem ceperunt. posterioribus; canonici titulares, honorariis; honorarii beneficiariis;* exceptio praedictae normae sequitur: *dignitates vero aut capitulares* (i.

e. canonici, ut videbimus) *charactere episcopali ornati omnibus* quibuscumque *dignitatibus ac canonicis in presbyterali tantum ordine constitutis praecedunt*, consecrationis receptae iusta de causa. - Pro quibusdam capitulis deservit specialis § 2. *In capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales*, de quibus mentionem facit Conc. Trid. in cap. 4° sess. XXII de Ref., *servetur praecedentia ordinis* inter eos qui diversas illas obtinent; *et in eodem ordine* scilicet: presbyterali, diaconali, subdiaconali, servanda est *praecedentia receptionis in ordinem*, idest: per consequutionem praebendae illius ordinis, *non autem* receptionis *in Capitulum* forsan cum provisione praebendae inferioris ordinis.

449. **Vestis choralis ac insignia.** — *Can. 409*. § 1. *In unaquaque ecclesia tum cathedrali tum collegiali*, ergo in utraque inveniri queunt cooptati, *qui in dignitate episcopali sunt constituti deferant in choro vestem episcopalem; ceteri omnes, dignitates, canonici, et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis* capituli *assignatam vel apostolico indulto concessam; secus* i. e. illam non induentes, quamvis choro intersint, *censeantur tanquam absentes*.

Quod servandum etiam est a Vicario generali, in quo casu retinet praecedentiam ipsi attributam per can. 370 « etiam in choro », idest: « in consessu officium divinum in loco chori peragentium », iuxta resolutionem S. Congr. Concilii ob rationes ibi scite adductas, [1] scilicet: ad Dubium: « An ius praecedentiae super omnibus dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis spectet Vicario generali in choro veste canonicali induto? Emmi Patres respondendum censuerunt: Affirmative ».

§ 2. *Vestem choralem aut specialia insignia capitularia adhibere possunt* etiam singulatim a) *in tota dioecesi in qua est Capitulum*, illam in choro divinisque officiis, haec pro ipsorum qualitate etiam extra divina officia, *sed, reprobata contraria consuetudine*, quae proinde « non sinatur in posterum reviviscere » ad normam can. 5, b) *non extra dioecesim*, cum exceptione vigente quoque pro canonicis ad honorem: *nisi* a) *vel Episcopum comitentur* b) *vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve solemnitatibus*.

Incipiunt canones qui Capitulorum obligationes ac singularum eorum personarum praescribunt.

[1] 17 Maii 1919. CO. XI, 354.

Tertia pars — Caput VII De Capitulis Canonicorum
- obligationes
  - Capitulorum
    - communes quoad
      - statuta, quomodo et per quem condenda » 410
      - coetus habendos, convocandos et vocales » 411
      - Episcopi assistentiam et ad eum comitandum » 412
      - divina officia persolvenda
        - quid » 413
        - a quibus, ubi et quando » 414
    - specialis mutua, ob parochi iura » 415
  - singulorum
    - urgentes
      - ad quam normam pro altaris servitio » 416
      - quoad missam conventualem » 417
    - dispensatae iure
      - tempore vacationum, et cum quo emolumento » 418
      - supplendae per alium » 419
      - cum fructibus et distribut. » 420
      - » » sine distributionibus » 421
      - ob indultum, et cum quo emolumento » 422

Can. 410. - § 1. Sua cuique Capitulo statuta ne desint, ob omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda.

§ 2. Statuta capitularia, per legitimum actum capitularem condita, approbanda subiiciantur Episcopo, sine cuius auctoritate postea nec abrogari possunt nec mutari.

§ 3. Si Episcopo edicente ut statuta conficiantur, Capitulum id praestare neglexerit, exacto sexto ab intimatione mense, Episcopus eadem conficiat imponatque Capitulo.

Can. 411. - § 1. Stato tempore ac loco conveniat canonicorum coetus de suae ecclesiae et Capituli negotiis acturus; alii praeterea conventus haberi poterunt, quoties id aut Episcopo aut Capituli praesidi aut maiori canonicorum parti expedire videatur.

§ 2. Ad habendum coetum ordinarium non est necessaria specialis convocatio; quae tamen ad extraordinarium requiritur, et facienda est secundum statuta capitularia.

§ 3. In capitulis vocem habent canonici, exclusis honorariis, et dignitates, si una cum canonicis Capitulum constituant ad normam can. 393, § 2.

Can. 412. - § 1. Canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegialis Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat; et eundem accedentem ad ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari ad normam Caeremonialis Episcoporum.

§ 2. Episcopus potest duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant.

Can. 413. - § 1. Quodlibet Capitulum obligatione tenetur quotidie divina officia in choro rite persolvendi, salvis fundationis legibus.

§ 2. Divinum officium comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis, praeter alias

Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas.

§ 3. Missam conventualem sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum in ecclesia, pontificali ritu, Episcopus vel alius loco Episcopi celebrat.

CAN. 414. - Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur in ipso choro divina officia persolvere singulis diebus, nisi servitium per *turnum* a Sede Apostolica aut fundationis legibus fuerit indultum.

CAN. 415. - § 1. Si ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis, relationes iuridicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur, nisi aliud ferat aut Sedis Apostolicae indultum aut particularis conventio in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario legitime probata.

§ 2. Ad parochum spectat:

1° Applicare Missam pro populo et, debito tempore, praedicare ac christianam doctrinam fideles edocere;

2° Custodire libros paroeciales et ex iis attestationes extrahere;

3° Functiones paroeciales peragere de quibus in can. 462. Iusta funebria, in ecclesia ad normam iuris peragenda, non exclusa Missa exsequiali, persolvere ad Capitulum pertinet tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis, vel canonici, etiam honorarii tantum, vel beneficiarii;

4° Alias functiones non stricte paroeciales peragere quae in paroeciis fieri solent, modo non impediatur chorale servitium, nec Capitulum easdem functiones peragat;

5° Eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere.

§ 3. Ad Capitulum spectat:

1° Custodire sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; sed altera sacri ciborii clavis apud parochum servari debet;

2° Invigilare ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis leges liturgicae observentur;

3° Ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis.

§ 4. Nec parochus capitulares nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat; exorto autem conflictu, quaestionem dirimat loci Ordinarius, qui in primis curare debet ut catechetica instructio et Evangelii explicatio hora fidelibus commodiore semper habeatur.

§ 5. Non solum Capitulum impedire nequit parochum in exercenda paroeciali cura, sed insuper sciant capitulares se ex caritate teneri, maxime si designati coadiutores desint, eidem adiutricem operam navare, secundum modum ab Ordinario loci determinandum.

CAN. 416. - In statutis capitularibus iusta designetur norma, ad quam canonici et beneficiarii in servitio altaris fungantur per turnum tum officio celebrantis tum etiam ministerio diaconi ac subdiaconi, exclusis tamen ab hoc ministerio dignitatibus, canonico theologo, poenitentiario et, si praebendae distinctae habeantur, canonicis ordinis presbyteralis.

CAN. 417. - § 1. Missa conventualis applicanda est pro benefactoribus in genere.

§ 2. Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in Missae conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant.

§ 3. Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti vel ex cumulo distributionum vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum.

CAN. 418. - § 1. Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant.

§ 2. Sine causa legitima et spe-

ciali Episcopi licentia nec feriari licet Quadragesimae et Adventus tempore, aut in praecipuis anni sollemnitatibus de quibus in can. 338, § 3; nec permittitur uno eodemque tempore capitulares ultra tertiam partem abesse.

§ 3. Tempore vacationum omne genus distributiones amittuntur, non obstante remissione ab aliis capitularibus facta; sed percipiuntur prebendae proventus aut duae tertiae distributionum partes, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant.

CAN. 419. - § 1. In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur nequeunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta ac rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et sit in eadem ecclesia canonicus, si agatur de supplenda vice canonici, beneficiarius, si de beneficiarii; qui vero ad chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a choro absunt.

§ 2. Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti.

CAN. 420. - § 1. Ita excusantur a choro ut percipiant fructus praebendae ac distributiones quotidianas:

1° Capitulares *iubilati* ad normam can. 422, § 2;

2° Canonicus theologus singulis diebus quibus suo munere fungitur;

3° Canonicus poenitentiarius dum tempore chori vacat confessionibus audiendis;

4° Vicarius paroecialis aliusve e Capitulo sive parochus sive coadiutor ab Episcopo deputatus, dum paroecialibus vacat officiis;

5° Qui infirmitate aliove physico impedimento choro prohibentur assistere;

6° Qui pontificia legatione alibi funguntur aut personae Romani Pontificis actu inserviunt;

7° Qui piis exercitiis vacant ad normam can. 126; quo tamen indulto semel tantum in anno chori servitio liberantur;

8° Accedentes una cum Episcopo aut eiusdem vice ad visitanda Limina Apostolorum;

9° Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur ad Concilium Oecumenicum, plenarium, provinciale aut Synodum diocesanam;

10° Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae utilitatem;

11° Qui Episcopo sacra peragenti assistunt ad normam can. 412, § 1;

12° Qui Episcopum comitantur in visitatione dioecesis vel visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt;

13° Qui operam navant conficiendis processibus in causis de quibus in can 1999 seqq., vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant;

14° Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur.

§ 2. Distributiones vero quae *inter praesentes* dicuntur, ii tantum percipiunt, qui in § 1, nn. 1, 7, 11, 13, enumerantur, nisi obstet fundatorum expressa voluntas.

CAN. 421. - § 1. Excusantur a choro, sed percipiunt praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones:

1° Qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis sacram theologiam aut ius canonicum;

2° Dantes operam studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis, de Ordinarii licentia;

3° Vicarius Capitularis, Vicarius Generalis, officialis ac cancellarius, si de gremio sint, dum suis muneribus vacant;

4° Canonici qui Episcopo inserviunt ad normam can. 412, § 2.

§ 2. Quod si omnes praebendae fructus consistant in distributionibus, vel adeo sint tenues ut tertiam distributionum partem non attingant, tunc memorati omnes duas tantum tertias partes distributionum lucrantur, cumulatas ex

fructibus praebendae ac distributionibus.

CAN. 422. - § 1. Praebenda fruentes ab Apostolica tantum Sede impetrare possunt indultum emeriti seu, ut aiunt, *iubilationis* post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis eiusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium.

§ 2. Iubilatus, etiamsi in loco beneficii non resideat, percipit tum fructus praebendae tum distributiones etiam inter praesentes, nisi obstent expressa fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo.

§ 3. Ius optandi, si ex lege fundationis competat, non est capitulari iubilato.

450. **Statuta capitularia.** — *Can. 410.* § 1. *Sua cuique Capitulo statuta* i. e. normae de communi consensu editae *ne desint, ab omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda.* Quae proinde quatenus « omnes, uti singulos tangant, ab omnibus probari debent » communiter, vi can. 101, § 1, 2°. - § 2. *Statuta capitularia*, eo quod debent esse a) *per legitimum actum capitularem condita*, i. e. ad normam can. 101, § 1, et convocatione facta et praesidatu exercito ad normam canonis 397, 4°, b) *approbanda subiiciantur Episcopo*, in cuius potestate est posita approbatio illa secundum eius prudens arbitrium, *sine cuius auctoritate* proinde c) *postea nec abrogari possunt* etiam quoad singulos articulos, *nec mutari.*

§ 3. *Si Episcopo* a) *edicente, ut statuta conficiantur*, quae approbari queant, (atque ille ut canones urgens debet opportune illud edicere), b) *Capitulum id praestare neglexerit*, hoc est: culpabiliter iuxta prudens iudicium, c) *exacto sexto ab intimatione mense* « continuo » ad normam can. 35 [1], et supputatione facta ad normam can. 34, § 3, 1°. 3°., *Episcopus eadem* d) *conficiat imponatque Capitulo.* Id proinde servare ipsa debet, dato recursu tantum cum effectu devolutivo, si eadem sentiat nimis onerosa vel irrationabilia.

451. **Sessiones capitulares.** — Praeter sessiones ad statuta capitularia conficienda, de aliis sessionibus atque vi eorum loquitur *can. 411.* § 1. *Stato tempore ac loco conveniat canonicorum coetus* absque beneficiariis et mansionariis *de suae ecclesiae et Capituli negotiis acturus*, et hae sunt ordinariae sessiones; *alii praeterea conventus haberi poterunt* extra ordinem, *quoties id* uni ex tribus, scilicet: *aut* a) *Episcopo*, etiam de capitulo canonicorum collegialis ecclesiae convocando, b) *aut Capituli* convocandi *praesidi* determinando ad normam can. 397, 4°, *aut*

[1] Can. 35. Tempus *utile* illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat; *continuum*, quod nullam patitur interruptionem.

c) maiori canonicorum parti expedire videatur. Quo in postremo casu requirendus esset praeses iuxta praecedentiae ordinem vi et can. et n¹. proxime citatorum, ut convocaret, idque renuentibus primo et subsequentibus, ille qui est primus in maiori parte desiderantium illud posset convocationem facere, praedictisque absentibus praeesse. - Atque sic facere oportet ad normam § 2. *Ad habendum coetum ordinarium non est necessaria specialis convocatio*, eo quod coetus ille habendus omnibus innotescit; *quae tamen* e contraria ratione *ad extraordinarium requiritur, et facienda est secundum statuta capitularia*, etiam pro tertio §¹. 1¹. casu, si haec de illo quidquam caveant. Cavere igitur debent haec de convocationis modo, ac statuant oportet de tempore ac loco habendi capituli. - De capituli membris statuit § 3. *In capitulis vocem habent* a) *canonici* titulares, *exclusis honorariis*, cum illis tamen b) *et dignitates*, sub conditione: *si una cum canonicis Capitulum constituant ad normam canonis 393*, § 2: nempe: « nisi aliud ex capitularibus constitutionibus eruatur ». Quam clausulam restringendam esse ad dignitates, certum est ex responsione sequenti Pont. Commiss. ad Codicis canones auth. interpretandos: [1] « II. Utrum ad normam can. 411, § 3, in capitulis vocem habeant beneficiati et mansionarii, si id eis competat *tantum* ex statutis capitularibus. - Resp.: Negative, seu post publicationem Codicis beneficiatos et mansionarios vocem in capitulis amplius non habere, si id eis competebat *tantum* ex statutis capitularibus ».

452. **Capituli obligationes erga Praelatum.** — Obligationes Capituli cuiusque erga Episcopum traduntur in *can. 412*. § 1. *Canonici* disiunctive *sive ecclesiae cathedralis sive collegialis* 1° *Episcopo* a) *solemniter missam celebranti* b) *aut alia pontificalia exercenti*, hoc est: « sacras functiones peragenti quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram » (can. 337, § 2); non autem ubilibet ipsa exerceat Episcopus, sed praeterquam in capitulari ecclesia canonici eiusdem, c) *etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii*, non ultra hos terminos, d) *ab eodem invitati* praedicti, ut supra dictum est disiunctive, quod fieri vel minus ex prudentia pendet, his omnibus suppositis, canonici e) *assistere et inservire debent*, f) *dummodo iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in*

[1] 24 Nov. 1920. CO. XII, 573.

Ecclesia capitulari numerus maneat: canonici autem ecclesiae cathedralis, ut ex sequentibus infertur, debent 11°, *et eundem* i. e. Episcopum *accedentem ad Ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari ad normam Coeremonialis Episcoporum.*

Imo § 2 *Episcopus potest duos e Capitulo* alterutro *sive cathedrali, sive collegiali*, ad eius libitum, *assumere* per designationem *ac retinere* velut segregatos a Capitulo in hunc finem, *ut sibi in ecclesiastico ministerio* sacrarum functionum, praedicationis, sacramentorum administrationis, *ac dioecesis servitio* tamquam Pastori *assistant.*

453. **Quoad divinum cultum.** — Obligationem capitulorum quoad divinum cultum explicat *can. 413.* § 1. *Quodlibet Capitulum obligatione tenetur* a) quoad tempus *quotidie* b) *divina officia* c) quoad locum *in choro persolvendi*, secundum illius naturam iuridicam in can. 391, *salvis fundationis* etiam futurae *legibus*, quae praescripto canonis « oppositae (non) abrogantur, cum expresse (id) caveatur » (can. 6, 1°), et severiores sunt quoque servandae.

Quid sit materia obligationis praedictae exponit § 2. *Divinum officium comprehendit* a) *psalmodiam horarum canonicarum*, quas recensuimus in can. 135, et saltem ipsas recitando elata voce, b) *et celebrationem cum cantu Missae conventualis*, nempe: cum Capituli interventu, et quae conveniat currenti officio, c) *praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas* cum eiusdem praesentia et modo debito servato.

Quia vero Missa cum cantu per hebdomadarium esset celebranda, exceptionem tradit § 3. *Missam conventualem* i. e. convenientem officio currenti *sine cantu celebrare licet hebdomadario, cum* a) *in ecclesia capitulari*, b) *pontificali ritu, Episcopus* c) *vel alius loco Episcopi*, quamvis ritu non pontificali, *celebrat.* Et in hoc casu de missa per hebdomadarium celebranda sine cantu intelligendus §^us 1us can. 417.

454. **Capitularium obligatio choralis.** — Cum praedicta Capitulorum obligatione logice connectitur capitularium obligatio eadem, quam ordinat sequens *can. 414. Omnes et singuli qui chorale beneficium* i. e. cum chorali obligatione *obtinent, tenentur vi huius canonis*, nisi legitime excusentur, a) *in ipso choro* b) *divina officia persolvere* c) *singulis diebus*, nempe sunt parti-

cipes totius obligationis can. 413, *nisi servitium per turnum* dimidiae vel tertiae partis canonicorum ac beneficiariorum alternatim, *a Sede Apostolica aut fundationis legibus* tantummodo *fuerit indultum* equidem contra ius.

455. **Relationes iuridicae quandoque.** — Occasione choralis obligationis, pro quibusdam Capitulis fuit necessario adiectus *can. 415. § 1. Si ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis, relationes iuridicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur* generalibus, et quae patiuntur sequentes exceptiones, videlicet: *nisi aliud ferat aut* I° *Sedis Apostolicae indultum* aliter vel contrarium statuens, *aut* II° *particularis* a) *conventio in erectione paroeciae inita* cum capitulo per parochum, quando fuerit b) *et a loci Ordinario legitime probata.* - Uno igitur alteraque deficientibus, serventur hae normae: § 2. *Ad parochum spectat: 1° Applicare Missam pro populo et debito tempore praedicare ac christianam doctrinam fideles edocere*: ad normam can. 466 et can. 1344 [1] et Cap. I Tit. XX Lib. III. - *2° Custodire* a) *libros paroeciales* ad normam can. 470 b) *et ex iis attestationes extrahere* iuxta can. 384. - 3° *Functiones paroeciales peragere, de quibus in can. 462.* Ibi ad n. 3^m^ exceptiones sunt positae, atque n. 7°. etiam in ordine ad Capitulum; scilicet: « nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat ». Demum n. 5°. exceptio accidit, quae in can. praesenti 415 additur *3°... Iusta funebria*, restrictim *in ecclesia* capitulari solum *ad normam iuris*, videlicet: cann. 1216, 1220 [2], *peragenda, non exclusa Missa exsequiali, persolvere ad Capitulum pertinet*, non semper, sed *tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis*, (quamvis hae « una cum cano-

[1] Can. 1344. § 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

§ 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam.

§ 3. Potest Ordinarius permittere ut solemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur.

[2] Can. 1216. § 1. Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit. § 2. Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit.

Can. 1220. Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris.

nicis Capitulum non constituant » secundum exceptionem canon. 393, § 2), *vel canonici* funus sit peragendum, *etiam honorarii tantum, vel beneficiarii* ecclesiae capitularis; atque omnia haec liquent magisque patebunt ubi de parochis. Sequitur *4° Alias functiones* a) *non stricte paroeciales*, communes aliis ecclesiis ac sacerdotibus, *peragere* b) *quae in paroeciis fieri solent*, v. gr. propter associationem Doctrinae Christianae ac Filiarum Mariae, expositiones cum benedictione Ssmi. Sacramenti ex causa publica fortassis extraordinaria, functiones indictas paroeciis ab Episcopo, harum quaelibet ad parochum spectat sub conditionibus a) *modo non impediatur chorale servitium*, quia ecclesia collegialis est, atque b) *nec Capitulum easdem functiones peragat*. Itaque istud praeferendum est, illae autem functiones in aliis paroeciis solitae non omittendae. Et sic salva manet generalis norma S. R. C. in Baionen. [1]. « IV. Utrum in Ecclesia Cathedrali, quae simul est Parochialis, functiones cultus divini ut Expositiones et Benedictiones Ssmi., spectent ad Capitulum, an ad Parochum? - Ad IV. Functiones in Ecclesia cathedrali, quae simul est Parochialis, spectant ad Capitulum, excepta tamen Sacramentorum administratione ». - Patet quod in can. sequitur *5° Eleemosynas in bonum paroecianorum* a) *colligere*, ipsas expostulando, b) *easdem directe vel indirecte* in eumdem tamen finem *oblatas recipere*, c) *administrare* omnes praedictas d) *et secundum offerentium voluntatem distribuere*. - § 3. *Ad Capitulum spectat: 1° Custodire sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; sed altera sacri ciborii clavis apud parochum servari debet*. Quae norma etsi verbotenus adversari videatur, contraria non est dicenda responsioni S. R. C. in Baionen. cit. « Ad III. Etsi cura et custodia Ssmi. Sacramenti pertineat ad Parochum iuxta consuetudinem Ecclesiarum, attamen Capitulum invigilet ut res sacrae rite expleantur ». Ei ergo principaliter illa custodia imminet. - Cui responsioni connectitur alia « ad V. Affirmative ». Quae respondet Dub. « V. Anne Magister Caeremoniarum Cathedralis ius habeat et obligationem curandi ut regulae liturgicae observentur etiam extra Chorum, in exsequiis et in administratione Baptismi et Matrimonii et omnibus parochialibus functionibus? ». Quae responsio magis universaliter inserta est in ca-

[1] 13 Sept. 1879.

none, dum ait: 2° *Invigilare ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia*, cui adnexa est illius cura, *peragendis leges liturgicae observentur*; - 3° *Ecclesiae* capitularis materialiter consideratae a) *curam habere* b) *eiusque* ut entis iuridici *bona administrare* c) *cum piis legatis*.

Ut vero debita pax Capitulum inter et parochum in functionibus custodiatur, monet statuens § 4. *Nec parochus capitulares* « functiones » *nec Capitulum paroeciales functiones* id est: exercitia divini cultus *et munera* parochi quaelibet *impediat; exorto autem conflictu* facile inter homines, *quaestionem dirimat loci Ordinarius*, veluti Praelatus equidem proximior pro secura informatione, atque ut extraneus conflictui pro sollicita solutione, *qui in primis curare debet ut catechetica instructio et Evangelii explicatio* adeo inculcata in respectivo Lib[i]. III Titulo *hora fidelibus commodiore semper habeatur*, pro quibus faciendae sunt.

Consequens monitio additur in § 5. *Non solum Capitulum impedire nequit parochum in exercenda paroeciali cura*, quod deservit ut norma Ordinario loci quaestionem ut supra dirimenti, *sed insuper sciant capitulares se* chori servitio non esse contentos, sed *ex caritate* in animarum bonum *teneri, maxime si designati coadiutores desint*, in contrario enim casu faciliter excusarentur, *eidem* parocho *adiutricem operam navare*, non qualitercumque pro libitu, sed *secundum modum ab Ordinario loci determinandum*. Et sic zelus absque scientia vitetur.

456. **Servitium altaris.** — Quoad servitium altaris per eos qui ecclesiae capitulari sunt incorporati, circa munera in illo diversa agit *can. 416. In statutis capitularibus iuxta*, i. e. cum distributiva iustitia et servato iure, *designetur norma* diversa secundum capitulorum circumstantias, *ad quam* a) *canonici* nempe: capitulum constituentes b) *et beneficiarii in servitio altaris*, sive in solemni aut conventuali missa, sive in vesperis, etc. *fungantur per turnum*, successive inter ipsos a) *tum officio celebrantis* indeque hebdomadarii, b) *tum etiam* seu praeter illud *ministerio diaconi ac subdiaconi*: regula generalis sic limitanda, *exclusis tamen ab hoc ministerio* scilicet: ut antea, diaconi et subdiaconi, non ergo ab « officio celebrantis », omnino a) *dignitatibus*, b) *canonico theologo*, c) *poenitentiario et*, sub conditione: *si praebendae distinctae habeantur*, quod decla-

ratum manet in can. 408, § 2, atque tunc solum exclusis pariter d) *canonicis ordinis presbyteralis* ex huiusmodi praebenda.

Norma generalis concordat, determinans Patrum Tridentinorum mentem, Dec. Conc. Trid. [1], sic expresso: «cogantque Episcopi eos qui... dignitates... Praebendas... ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis cathedralibus vel collegiatis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent: diebus statis dictos Ordines per se ipsos excercere, ac cetera omnia officia, quae debent, in cultu divino praestare, sub eisdem, et aliis, etiam gravioribus poenis arbitrio eorum imponendis». - Exclusio autem Dignitatum a quibusdam ministeriis iam decretum fuerat a S. R. C. in Calaguritana: «In Ecclesia Dei ordo praecipue servandus est. Itaque cum maxime indecens sit, maiores inferioribus ministrare»; censuit S. C. quod, «celebrantibus Canonicis seu Portionariis, Dignitates praedictae neque Evangelium neque Epistolam cantare debent; quae Dignitates celebranti Episcopo assistere et inservire tenentur» [2]. Videlicet: ad normam Coerem. Episcoporum L. I, c. VIII, n. 1: «Episcopo, sive ipse Missam celebret, vel ad Vesperas officium faciat, vel si illis tantummodo sit praesens, convenit duos assistere Canonicos, qui, si in Ecclesia sunt distincti ordines, seu praebendae Presbyterales, et Diaconales, erunt duo primi Canonici, ex ordine Diaconali. Quod si forte in aliqua Ecclesia, nec dignitates, neque ordines distincti essent, tunc erunt duo primi Canonici, vel Dignitates immediate sedentes post primam Dignitatem, vel primum Canonicum». Eo quod de isto cautum erat in cap. VII, n. 1: «Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt, et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent». - De exclusione canonici poenitentiarii extensa pariter in canone ad canonicum theologum, invenimus quod in Veliterna (die 21 Ian. 1673) «S. R. C. ad relationem Emi. D. Card. Vidoni» declaravit: «Canonicum Poenitentiarium Eccl. cathedralis Civitatis Veliternae», et notetur: a) «ultimo loco provisum, non posse cogi ad inserviendum Missis cantatis pro Diacono et Subdiacono, b) Constitutione seu consuetudine dictae Ecclesiae in contrarium non obstante». - Ultima exclusio in canone ac sub conditione colligitur evidenter ex Coerem Episc. (loc. cit.) textibus; in cap. IX n. I: « Diaconus, qui Evangelium cantaturus est, Episcopo solemniter Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonicis Episcopum ad Ecclesiam comitari; nam et ipse ex Canonicis Diaconis esse debet, nec refert an sit de antiquioribus, necne cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi vel iuxta consuetudinem Ecclesiae distribuendum sit». Atque in cap. X n. I legitur: «Eodem tempore, eodemque loco, et modo... Subdiaconus, qui et ipse de numero Canonicorum erit, et, si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis, antiquior, seu dignior ex eodem Ordine, comitabitur Episcopum», etc. - Imo in Papien. S. R. C. «declaravit: 1. Canonicos tam ordinis diaconalis, quam Subdiaconalis per turnum teneri ad assistentiam Praeposito tam in solemnioribus quam in Dominicis, quando ipsemet celebrat» [3]. Et haec sufficiant circa 416 canonem.

457. **Applicatio missae conventualis.** — Benedictus XIV in litt^s. encycl. «Cum semper oblatas» [4] sic refert originem sequentis legis ecclesiasticae: «Profecto non solum prioribus

[1] Cap. 4, sess. XXII, De Ref. — [2] Die 7 Sept. 1593. [3] Die 29 Iul. 1669. — [4] 19 Aug. 1744 § 14.

Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis (quod vos ex Historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris Diptycis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione iacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit ». Obligationem quoque defendit ab erroneis opinionibus ac explicat in ea Epistola §§ 14-19.

Can. 417. § 1. *Missa conventualis* proinde « quotidie » ad normam can. 413, §§ 1, 2, *applicanda est pro benefactoribus in genere.* De applicatione quotidiana loquitur Bened. XIV §§ 13 et 19.

§ 2. *Capitularis infirmitate detentus*, eo quod ut videbimus excusatur illa de causa ab Ecclesiae servitio, *non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari*, nempe: qui ut mansionarius saltem capitulari ecclesiae est cooptatus, *qui ipsius vicem supplet in Missae conventualis celebratione et applicatione, nisi* a) *statuta capitularia*, quae acceptantur cum Praebenda, b) *vel particularis consuetudo aliud ferant.*

§ 3. *Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti* pro turno missam conventualem, ac non solum alterius vicem supplenti, a) *vel ex cumulo distributionum*, ad normam Declarationum sicut habetur in § 18 ep. Benedictinae, b) *vel ex reditibus omnium Praebendarum per contributum.* Hic paragraphus est congruenter additus, ne videretur huiusmodi consuetudo vetita per can. 825 num. 2°, 3°.

458. **Capitularium residentia.** — In sequenti et altero canone traduntur breviter normae circa residentiam capitularium, postea excusantes a choro causae recensentur, sed in alterutro canone 420 et 421 pro diversa temporalium perceptione.

Episcopus Civitatis Egitanien. inter alia dubia resoluta die 23 Nov. 1602 proponi fecit sequens: « 1. An, praesupposita consuetudine, quod Canonici possint ab Ecclesia longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, abesse, Episcopus talem usum aut consuetudinem, ad praescriptum praedicti Concilii Trid. (sess. XXIV, c. 12), reducere possit? Sacra Congregatio Rituum respondit: Posse ».

459. **Vacationes capitularium.** — Praedictam adoptans declarationem cum Conciliari praescripto, ait *can 418*. § 1. *Reprobata contraria consuetudine* (can. 5), *canonici*, prouti iuxta capitis inscriptionem subaudiunt dignitates, b) *ac beneficiarii quotidiano choro adscripti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos*, computandos ut dicitur in can. 34. § 2; haec tamen vacatio, intelligenda sub conditione: *dummodo propriae ecclesiae* capitularia *statuta aut legitima* seu ad normam canonum *consuetudo* illis aequivalens *servitium diuturnius* propter exclusionem totalem vel partialem vacationum *non requirant*. Dignitates non expressae veniunt sub canonicorum verbo, ut dictum est; nulla enim apparet ratio excludendi eos, qui Conc. Trid. exprimuntur.

Novam limitationem iniungit § 2. *Sine* a) *causa legitima et* b) *speciali Episcopi licentia nec feriari* per absentiam in praec. paragrapho concessam *licet* a) *Quadragesimae et Adventus tempore, aut in praecipuis anni solemnitatibus de quibus in can. 338*, § *3;* et norma aequa prorsus, quia iuxta illum can. nec Episcopo licet abesse ab Ecclesia cathedrali, « nisi ex gravi et urgenti causa ». Sequitur: *nec permittitur* c) *uno eodemque tempore capitulares ultra tertiam partem abesse*. Quod est iuxta interpretationes S. C. C. prius datas, et ab Episcopo est invigilandum et urgendum ad normam can. 336.

Disciplinam praecedentem exhibet § 3. *Tempore vacationum* a) *omne genus distributiones amittuntur, non obstante remissione ab aliis capitularibus facta;* (haec pars ex Conc. Trid. in cit. cap.); *sed percipiuntur* b) *praebendae proventus* separati a distributionum massa, c) *aut duae tertiae distributionum par-*

tes, quae illos repraesentant, *si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant*. Quae norma concordat cum Patrum Tridentinorum decretis circa distributiones.

460. **De supplendis choro adstrictis.** — *Can. 419.* § 1. *In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt*, secundum exceptionem duplicem in can. 414 salvam, *qui ad eum adstringuntur* certis diebus *nequeunt* in iisdem *per alium huic obligationi satisfacere* iuxta dec. Conc. Trid. [1]: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia », *nisi* a) *in casibus particularibus*, b) *iusta ac rationabili de causa*, c) *et modo substitutus* i. e. qui loco alterius obligationi satisfacit *eodem tempore servitio chori non sit adstrictus*, ne minuatur numerus adsistentium, *et* d) *sit in eadem ecclesiae canonicus, si agatur de supplenda vice canonici*, interpretando verbum ad inscriptionis Capitis sensum, *beneficiarius, si de beneficiarii*: exceptio a lege sub his conditionibus omnino aequa, cum nec apparenter utcumque mutetur choralis assistentia: finis ergo legis omnino est obtentus, et rationabilis causa honestat relaxationem iustae severitatis: nec minus rationi consonum est sequens comma: *qui vero ad chorum non adstringuntur, obligatione residendi in loco beneficii* ad illum ordinata *non tenentur per dies quibus a choro absunt* vi cuiuslibet can. vel ad normam huius §[1].

Conformis omnino Constitutionis Benedictinae citatae §° 17 est canonis § 2. *Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo*, quia vicarius paroecialis, *et conventuali*, eo quod sit hebdomadarius, *hanc* a) *ipse celebret applicetque per se*, utpote onus primo personale, b) *illam per alium eodem die, vel per se*, ast tunc, vel si primum fuit impossibile, *die sequenti*, utpote principaliter onus reale ut vidimus in expositione can. 339 ad cuius normam hac « obligatione tenetur Parochus » vi canon. 466, § 1. Eo quod hic paragraphus statuat de supplendo capitulari quoad missae applicationem ratione missae conventualis, subnexus est alteri de simili supplemento in choralis officii adimplemento, quamvis alio sub respectu potuisset opportune inseri can. 417.

461. **Excusatio a choro cum fructibus et distributionibus.** — *Can. 420.* § 1. *Ita excusantur a choro* per ius scriptum, id est:

[1] Sess. XXIV, c. 12.

ob sequentes causas eximuntur a praescripto can. 414 tali modo, *ut percipiant fructus praebendae* uniuscuiusque quando distinctae sunt ad invicem quoad temporalia, vel duas tertias partes distributionum ex proventibus, quando «fructus praebendae» ex distributionibus solis constant, *ac distributiones quotidianas* de quibus praescripsit canon 395, sequentes sub quatuordecim numeris: sub 1° ad 4^m^ stabili de causa; a n. 5° ex causa accidentali, et quidem involuntaria in n. 5°, ex voluntate R. Pont. in 6°, ex causa spirituali in 7°, ex voluntate solius Episcopi in 8°, Episcopi vel Capituli in 9°, Capituli in 10°, ex assistentia Episcopo praestita in 11° et 12°, propter processus in 13° et 14°. - Percurramus singulos: 1° *Capitulares iubilati ad normam can. 422*, § 2, de quibus ibidem explicationem dabimus. - 2° *Canonicus theologus singulis diebus quibus suo munere* ad can. 400 declarato *fungitur*; ad normam praeexistentis iurisprudentiae. - 3° *Canonicus poenitentiarius dum tempore chori* iuxta praescriptum canon. 401, § 2 *vacat confessionibus audiendis;* aiente Conc. Trid.[1]: « qui (poenitentiarius) dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur ». - 4° *Vicarius paroecialis* ad normam can. 471, § 1 constituendus, si paroecia pleno iure fuerit unita ecclesiae capitulari, ut ibidem exponetur, *aliusve*, dummodo sint *e Capitulo*, et hic alius *sive parochus* ratione suae praebendae in eadem aliave sit ecclesia, *sive coadiutor ab Episcopo deputatus* quando legitime hoc fiat, quilibet horum *dum paroecialibus vacat officiis*. Equidem Syn. Trid.[2] statuit: « Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, de iure, seu consuetudine, iurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata ecclesia resederit, ac ministraverit, tamquam praesens sit, ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur ». Et generaliter legitur in Oriolen.[3]: « S. R. C. respondit: Poenitentiarium et omnes alios habentes curam animarum, et actu exercentes,... uti praesentes lucrari distributiones suarum praebendarum »... - 5° *Qui infirmitate aliove physico impedimento choro prohibentur assistere*, prouti physicum opponitur morali impe-

[1] Cap. 8 in calce, sess. XXIV De Ref. — [2] C. 3, sess. XXII de Ref. — [3] Die 28 Sept. 1630.

dimento forsitan ex pravitate aliena procedenti. Hic numerus vigebat ob expressam exceptionem in cap. un. « de clericis non residentibus» (III. 3) in 6°seu «iuxta Bonif. VIII decretum, quod incipit « Consuetudinem »: quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus »[1]. In cap. cit. Decretalium legitur: « (exceptis illis, quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) ». Quae exceptio nunc ampliata est in sequentibus. - 6° *Qui* a) *pontificia legatione alibi funguntur* b) *aut personae Romani Pontificis actu* i. e. actuali munere *inserviunt*. De quo servitio aiebat Honorius III capitulo Metensi [2]... « Mandamus, quatenus non obstante constitutione quae contra absentes canonicos inter vos dicitur emanasse, fructus praebendae suae assignetis eidem (magistro Otto) in nostro servitio commoranti: Cum familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universis, minori non debeant praerogativa gaudere, quam vestrum singuli, quorum negotia per ipsos saepius promoventur ». - 7° *Qui piis exercitiis vacant ad normam canon. 126;* scilicet: « tertio saltem quoque anno,... per tempus a proprio Ordinario determinandum » quoad dies: atque singulis annis vacare non excluditur, sed potius est iuxta canonis normam, non ergo inutiliter additum est: *quo tamen indulto semel tantum in anno chori servitio liberantur*. - 8° *Accedentes* a) *una cum Episcopo* b) *aut eiusdem vice ad visitanda limina Apostolorum* iuxta dicta in can. 342. - 9° *Qui ab Episcopo vel Capitulo mittuntur* (sub hac ergo conditione) *ad Concilium* a) *Oecumenicum*, b) *plenarium* v. gr. capitularis Coadiutor aut Auxiliaris Episcopi, Vicarius capitularis; c) *provinciale* v. gr. ex can^{is}. 286 § 3, aut d) *ad Synodum dioecesanam*, ad normam can. 358, 5°. Sic extensum est indultum de non residentia concessum litt^{s}. apost^{s}. « Multiplices » Pii IX [3] his verbis: « Cum ii omnes, qui Conciliaribus actionibus interesse tenentur, ea in re universali Ecclesiae deserviant», et proportionaliter dicendum de aliis Conciliis et Synodo dioecesana. « Praedecessorum nostrorum etiam exemplum sequuti, Apostolica benignitate indulgemus, ut tum Praesules aliique suffragii ius in hoc Concilio habentes, tum ceteri omnes eidem Concilio operam quovis titulo impendentes,

[1] Cap. 12, sess. XXIV de Ref. — [2] C. 14, tit. 4, l. III, X. — [3] 27 Nov. 1869, n. X.

suorum beneficiorum fructus, reditus, proventus ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur », qua clausula in iure veniunt illae distributiones quae ex voluntate fundatorum, dantium eas, vel alio modo legitimo sunt designatae pro iis qui de facto praesentes sunt quibusdam functionibus; « idque concedimus Synodo (Vaticana) perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat ». In canone autem censeo interpretandum esse cum tempore necessario eundi ad Concilium vel Synodum ac immediate redeundi ab eo. - Sequitur: 10° *Qui de Capituli consensu, non contradicente Episcopo, absunt a choro ob Capituli seu propriae ecclesiae* capitularis *utilitatem;* idque iuxta cap^s. « Consuetudinem » exceptionem num. 5° citatam et relatam. - 11° *Qui episcopo sacra peragenti assistunt ad normam can. 412, § 1;* aequum sane, cum divino servitio vacent ex obligatione canonica et capitularis praebendae causa. - 12° *Qui Episcopum* a) *comitantur in visitatione dioecesis vel* b) *visitationem ipsam eius nomine et mandato peragunt*, et quidem in dioecesis utilitatem.-13°*Qui* a)*operam navant conficiendis processibus in causis de quibus in can. 1999 seqq.*, scilicet: « Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum», b) *vel uti testes in his causis vocati sunt, pro diebus et horis quibus hoc officium praestant. - 14° Parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur*, proinde distributiones illi tempori forsan respondentes. Isti ergo sunt 14 casus excusationis a choro ecclesiae capitularis cum perceptione fructuum praebendae ac quotidianarum distributionum, quae communes sunt. - Quatuor autem illorum sunt in quibus etiam distributiones, quae vocantur inter praesentes seu eventualia percipiuntur, et eos recenset § 2. *Distributiones vero quae inter praesentes dicuntur* explicatae in n. 9°, *ii tantum percipiunt, qui in § 1* (exclusis implicite ceteris) *nn. 1, 7, 11, 13, enumerantur*, scilicet: *a*) iubilati, *b*) qui piis exercitiis vacant, *c*) qui Episcopo sacra peragenti assistunt, *d*) et illi de quibus est sequens Decretum Pii X [1]: « Smus. per dec. generale S. R. C. diei 13 Iulii anni 1904 », quod praecesserat aliud Leonis XIII 21 Nov. 1893,

[1] 25 Maii 1909.

« de dispensatione a choro, qua fruuntur sive operam navantes conficiendis processibus sive testes in causis beatificationis et canonizationis, statuit atque indulsit, ut chorales omnes et singuli in casu habeantur tamquam praesentes in choro, mutato officio, et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia. Hinc a Sacra Rit. Congr. expostulatum est: an inter emolumenta percipienda comprehendantur quoque ea quae vulgo *falle* vocantur, non obstante quacumque antiqua atque etiam immemoriali consuetudine contraria? - Et sacra eadem Congr... rescribendum censuit: Affirmative, sunt enim praesentes ». Attamen est attendenda pro his et aliis exceptio requirens veram praesentiam in choro sic expressa in canone: *nisi obstet fundatorum expressa voluntas.*

462. **Fructus absque distributionibus.** — Demum sunt tertiae classis causae excusantes cum minori temporalium perceptione, de quibus est *can. 421. §* 1. *Excusantur a choro*, scilicet: obligatione can. 414 non tenentur in determinandis per hunc canonem circumstantiis, *sed percipiunt praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones*: 1° *Qui* a) *de licentia Ordinarii loci* b) *publice docent* « sive retributione peculiari pro lectione percepta, sive absque tali retributione theologiam vel ius susceperint edocendum »[1] c) *in scholis ab Ecclesia recognitis*, etsi ab ea non dependentibus, d) *sacram theologiam aut ius canonicum;* atque excluso canonico theologo quando sic adimplet suum munus ad normam can 400, § 3, qui tunc censetur in n. 2, § 1 can. praec.

Huc pertinet sequens solutum dubium a Commiss. Pont. ad Cod. canones auth. interpretandos[1] « III. 2° Utrum illud « sacra theologia vel ius », in praefata § *stricte* sit interpretandum (ut theologiam fundamentalem, theologiam dogmaticam et moralem, et in iure, institutiones canonicas, necnon textum Codicis tantum significet); vel *ampliori ratione* illa verba sint sumenda, pro *facultate* videlicet s. theologiae vel iuris canonici, ita ut ibi etiam comprehendantur disciplinae quae ad normam statutorum uniuscuiusque Seminarii in praelaudatis facultatibus edocentur (historia nimirum ecclesiastica, archaeologia sacra, linguae biblicae, etc). Resp. Ad. 2^{m}: negative ad 1^{am} partem, affirmative

[1] 24 Nov. 1920. CO. XII, 573. III. 1°. 2°.

ad 2^am^ ». - 2° *Dantes operam studio* a) *sacrae theologiae aut iuris canonici* b) *in publicis scholis*, non in privatis, nec in quibuscumque sed *ab Ecclesia probatis*, quod idem esse puto ac « recognitis » n^i^. praec^s^., ac c) *de Ordinarii licentia*. Ita mutatum est per moderationem ius praecedens, quod summarie hic conspicere libeat.

Conc. Trid. [1] decrevit: « Docentes vero ipsam S. Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum, in absentia a iure communi concessis, plene gaudeant et fruantur » Certum est nunc manere comprehensum in can. 421 sub verbo « sacrae theologiae », cum qua simul traditur illa disciplina ceteroquin agente de principiis sacrae istius doctrinae. — Privilegia in cit. Dec^o^. memorata referuntur in cap. 5 de magistris tit. V, Lib. V. Decretalium his verbis: « Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Aplcae. Proventus Praebendarum et beneficiorum suorum: non obstante aliqua consuetudine, vel statuto: cum denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes ». Glossa subiungit: verbo « integre. Non tamen percipiant quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari consueverunt ». — Demum ex declarats. S. C. Conc. in Tropiensi 10 Nov. 1592 et Perusina 7 Maii 1707 indultum absentiae a choro iuvat etiam lectoribus iuris canonici et civilis, etiamsi illud exponant in publica Universitate civitatis illius ubi praebendam et beneficium obtinent. Ita Santi [2]. - Non potui Declarationes invenire; ast posita earum authentia, non apparet cur non sit extendendum illud indultum ipsis studentibus. Et ita in canone fuit extensum pro studio iuris canonici tantum.

Quoad distributiones autem quotidianas loquuntur sequentes S. C. C. resolutiones. In Arborensi, theologali [3]: « III. An exemptus a choro declarandus pariter sit (can. theologus), ad praedictum effectum lucrandi distributiones, et emolumenta incerta iis diebus, quibus licet non doceat, attamen ratione officii sui clericorum examini assistit in casu »; respondit S. Cong.: « Affirmative uti in II. i. e. exceptis emolumentis quae ex voluntate testatorum aut dantium, debentur tantum actu praesentibus ». Nunc temporis exceptis quibuscumque « inter praesentes ». In Carthaginen. [4]: « Ad I... An canonicus theologus, munus magisterii in Seminario excercens, percipere valeat distributiones chorales pro diebus quibus docet, non obstante quod percipiat pensionem a Seminario? respondit S. Congregatio negative ». Quod nunc quoque verum est iuxta factam prius animadversionem.

Sequitur in can. 421: 3° *Vicarius capitularis*, *Vicarius generalis*, *officialis ac cancellarius*, *si de gremio sint* ecclesiae capitularis, sed solummodo *dum suis muneribus vacant*. - 4° *Canonici*, non beneficiarii, *qui Episcopo inserviunt ad normam can. 412*, § 2, nam illos nominatim assumere permittitur Episcopo. Explicationem perceptionis temporalium concessae cum limitatione in § 1° tradit § 2. *Quod si omnes praebendae fructus*

[1] Sess. V. cap. 1, in fine. — [2] Lib. V, Tit. V, n. 20. — [3] 7 Dec. 1861 — [4] 11 Apr. 1891.

consistant in distributionibus, en 1[us] casus; 2[us] autem: *vel adeo sint tenues, ut tertiam distributionum partem non attingant*, si eis cumulentur, *tunc memorati omnes*, i. e. § 1° recensiti *duas tantum tertias partes distributionum lucrantur*, quae proinde fructus praebendae repraesentent, *cumulatas ex fructibus praebendae* pro secunda hypothesi *ac distributionibus*. Idque secundum praecedentem iurisprudentiam est computatum.

463. **Canonici emeriti.** — Eidem dictae iurisprudentiae innititur *can. 422*. § 1. *Praebenda fruentes* in ecclesia capitulari *ab Apostolica tantum Sede impetrare possunt indultum emeriti seu, ut aiunt iubilationis post continuum et laudabile* propter assiduitatem *quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis eiusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium.* Et haec est conditio, cuius documenta fide digna simul cum Episcopi commendatitiis adiungenda erunt precibus, quas offerat S. Congreg[i]. Concilii quicumque praefatum indultum desiderat.

Quo indulto obtento, et nisi aliud in casu caveatur, applicandus est indultario § 2. *Iubilatus, etiamsi in loco beneficii non resideat*, non enim videtur ad hoc obligatus iuxta resolutionem infra citandam, *percipit* a) *tum fructus praebendae* b) *tum distributiones*. ut vidimus in can. 420, § 1, c) *etiam inter praesentes* prout in § 2 ei. can., *nisi obstent* a) *expressa fundatorum vel oblatorum voluntas*, b) *ecclesiae statuta aut* c) *consuetudo*, quae duo postrema sunt exceptiones harum inter praesentes percipiendarum distributionum peculiares iubilati, non aliorum trium sub n[is]. 7, 11, 13 citatis in § 2 can. 420, cum in eo sola « obstet fundatorum expressa voluntas », quibus aequipollent oblatores; quia ecclesiae statuta aut consuetudo ibi sunt omissa, quod sine causa fieri a legislatore putandum non est. Resolutio quam indicavimus et huc pertinens est sequentis tenoris: [1] « 6. Utrum canonici iubilati sint exempti a servitio altaris pro sua vice praestando, non obstante contraria consuetudine? - Resp.: Affirmative ».

Eo quod in can. 396, § 2 dum « prohibetur optio », additur « salva fundationis lege », non abs re subditur hic § 3. *Ius optandi, si ex lege fundationis* praebendae capitularis *competat, non est capitulari iubilato*.

[1] Commis. Pontif. ad Cods. canones auth. interpredandos. 16 Oct. 1919. CO. XI, 477.

CAPUT VI.

De consultoribus dioecesanis.

CAN. 423. - In quibus diocesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum, instituantur ab Episcopo, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis, consultores dioecesani, hoc est sacerdotes pietate, moribus, doctrina ec prudentia commendati.

CAN. 424. - Consultores nominat Episcopus, firmo praescripto can. 426.

CAN. 425. - § 1. Consultores dioecesani numero sint saltem sex; in dioecesibus ubi pauci sint sacerdotes, saltem quatuor; iidemque omnes in civitate episcopali vel in locis vicinioribus commorentur.

§ 2. Antequam munus huiusmodi suscipiant, iusiurandum interponant de officio fideliter exsequendo sine ulla acceptione personarum.

CAN. 426. - § 1. Officium consultorum est ad triennium.

§ 2. Exacto triennio, Episcopus vel alios in eorum locum substituat, vel eosdem ad aliud triennium confirmet, quod idem servetur singulis trienniis.

§ 3. Deficiente, quavis de causa, aliquo consultore intra triennium, Episcopus alium de consilio ceterorum consultorum substituat, isque in officio maneat, usque ad expletum idem triennium.

§ 4. Cum vero triennium excidisse contigerit vacante sede episcopali, consultores in officio maneant usque ad accessum novi Episcopi, qui intra sex menses ab inita possessione providere debet ad normam huius canonis.

§ 5. Si, sede vacante, aliquis consultor moriatur vel renuntiet, Vicarius Capitularis, de consensu aliorum consultorum, alium nominet, qui tamen, ut munere, sede plena, fungatur, indiget novi Episcopi confirmatione.

CAN. 427. - Coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis, qua Episcopi senatus, supplet; quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt.

CAN. 428. - Durante munere, consultores ne removeantur, nisi ob iustam causam ac de consilio ceterorum consultorum.

464. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — Deinde *caput VI* considerandum est, seu: *De consultoribus dioecesanis*, qui dioecesibus antea subiectis S. Congr. de Prop. Fide dati fuerunt per huius S. Congr. documenta, equidem uti consiliarii Episcopi pro eius dioecesi. Huius capitis pauci canones ordinatim exhibent, primus consultorum institutionem et qualitates, alii tres eorum nominationem ac praescriptiones huius occasione servandas, ultimo de munere coetus consultorum et singulorum remotione agunt postremi duo canones.

465. **Consultorum dioecesanorum constitutio.** — Sicut in can. 392 decretum est: « Capitulorum cathedralium institutio seu erectio Sedi Apostolicae reservatur », ita decernit *can. 423. In quibus dioecesibus nondum* ad normam canonum cap^{s}. praec^{s}. *constitui potuit*, nec unquam extitit, *restituive*, quando prius adfuit, *cathedrale canonicorum capitulum*, quamvis collegiale

tantum forsitan extaret, quod non evenisse puto, ac memorato praescripto: « canonicatus sine adnexis emolumentis ne instituantur sine speciali Aplcae. Sedis concessione » (can 393, § 3), *instituantur ab Episcopo, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis* etiam Sacrarum Congregationum diversis vel contrariis huius canonis praescripto, *consultores dioecesani*, et hoc loquendi modo innuitur responsio S. Congr. Consist. 3 Oct. 1910 ad 9: « qui stant loco Capituli », et sequuntur qualitates: *hoc est* a) *sacerdotes* b) *pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati* iuxta simile praescriptum can. 404 de canonicis. Memorari oportet can. 326 extendentem huius Capitis canones ad « praelaturam saecularem, si Capitulo careat ».

466. **Eorum nominatio.** — *Can. 424.* Hos singulos *consultores nominat Episcopus* pro eius arbitrio legitimo, *firmo praescripto can. 426* illius quandoque dirigente libertatem.

467. **Numerus et iusiurandum.** — Normam semper sequendam continet *can. 425.* § 1. *Consultores dioecesani numero sint saltem sex*, ac est norma communis; *in dioecesibus ubi pauci sint sacerdotes*, quamvis magnae illae sint, *saltem quatuor* supple consultores; *iidemque omnes* scilicet: consultores dioecesani, soli sex aut quatuor illi *in civitate episcopali vel in locis vicinioribus commorentur*, quo data opportunitate convenire possint muneri eorum adimplendo.

§ 2. *Antequam munus huiusmodi* saltem per exercitium *suscipiant, iusiurandum interponant* forsan coram cancellario *de* tali *officio fideliter exsequendo sine ulla acceptione personarum* proprie dicta ut alias explicatum fuit.

Consultorum dioecesanorum numerum respicit Declaratio S. Congreg. Consist. [1] ad quaestionem: « utrum Vicarii generales esse possint consultores diocesani. Porro considerantes Emi. Patres quod in istis dioecesibus Consultores dioecesanī eorumque collegium » quod notetur « stant loco canonicorum et cathedralis capituli; et quod in iure non obstat quominus Vicarius generalis inter cathedralis ecclesiae canonicos accenseatur; concluserunt prohiberi non posse, generatim saltem loquendo, quominus Vicarii generales istarum dioecesium sint de numero consultorum.

[1] 27 Febr. 1914

Est tamen casus in quo neque aequum neque opportunum est ut id obtineat, quoties scilicet Consultores iuxta usum vel alia de causa paucissimi sint: eo enim in casu alius sacerdos non de gremio Consultorum est assumendus in Vicarium, vel numerus Consultorum congrue augendus ».

468. **Permanentia consultorum in officio.** — *Can. 426.* § 1. *Officium consultorum est ad triennium* computandum ad normam can. 34, § 3, nn. 1° et 5° propter sequentem § 2. *Exacto triennio, Episcopus* a) *vel alios in eorum locum substituat*, idest: nominet distinctos a cessantibus in eo munere, *vel* singulos consultores b) *eosdem ad aliud triennium confirmet, quod idem servetur singulis trienniis.* Ergo eosdem indefinite « ad aliud triennium » confirmare potest. § 3. *Deficiente, quavis de causa* v. gr. renunciationis, obitus, remotionis, *aliquo consultore intra triennium, Episcopus alium* consultorem, atque in hoc casu *de consilio ceterorum consultorum* (can. 105, § 1°) *substituat*, tamen circa eius officii durationem notetur: *isque in officio maneat usque ad expletum idem triennium*, vi scilicet huius substitutionis, poterit enim confirmari ad normam § 2.

Speciali casui, quod Sedes vacaverit, provident sequentes paragraphi. - § 4. *Cum vero triennium excidisse contigerit vacante sede episcopali*, a) *consultores in officio maneant usque ad accessum novi Episcopi*, de quo praescriptum est in canon 333, et consequenter ipso facto accessus cessant ab officio, b) *qui* Episcopus *intra sex menses* supputandos ad normam can. 34, § 3°, eo quod additur *ab inita possessione* ad normam can. 334, § 3, *providere debet ad normam huius canonis* in § 2° et seq[i].

§ 5. *Si, sede vacante, aliquis consultor* a) *moriatur* b) *vel renuntiet*, nempe: alterutro modo tantum deficiat, *Vicarius capitularis*, a) *de consensu aliorum consultorum* (can. 105, 1°), non de consilio, ut dictum est pro Episcopo in § 3°, b) *alium* substitutum *nominet, qui tamen, ut munere, sede plena*, i. e. capta possessione forsitan per alium antequam Episcopus accedat ad civitatem Episcopalem, *fungatur*, c) *indiget novi Episcopi confirmatione.* Quod, ne dicamus inutiliter additum, roborat interpretationem datam § 4. Vis huius confirmationis est diversa: nam si consultor cui substitutus est mansisset usque

nunc in officio propter nondum exactum triennium, ad istud finiendum ille confirmatur ob praescriptum §i 3 can^{s}. 426, alias per illam confirmationem iuxta eiusdem canonis §^{m}. 1^{m} aliud eiusdem consultoris triennium incipiet.

469. **Coetus consultorum dioecesanorum.** — *Can. 427. Coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis*, non « ut solemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat », (canon. 391, § 1) sed solum *qua Episcopi senatus, supplet;* hoc autem absolute, sequitur enim: *quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena* in diversis Codicis legibus *sive ea impedita aut vacante*, in sequenti praesertim capite *Capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intelligenda sunt*. In illis ergo ecclesiasticis legibus, haec est significatio iuridica verborum « Capituli cathedralis », sicut etiam vi huius canonis coetus consultorum dioecesanorum est persona moralis collegialis ad normam can. 100.

Propter can^{s}. 432 praescriptum quod servare debet « Capitulum Ecclesiae cathedralis, sede vacante », huc pertinet documentum S. Congr^{s}. Consist^{s}. « de nominandis administratoribus dioecesanis » [1], quod est tali modo redactum: « Quum Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Statibus haec dubia definienda proposuisset, scilicet: 1) utrum dispositiones particulares Conc. plenarii Baltimoren., quoad ius nominandi administratorem dioecesis, sede vacante, adhuc vigeat, an per novum Codicem abrogatae sint; - Et quatenus negative ad primam partem: 2) an servandum sit praescriptum canonis 427.

Emi. Patres Codici interpretando praepositi, die 24 novembris 1918 responderunt: Ad I^{m}, negative ad primam partem: affirmative ad secundam ». Absdubio propter can. 6. n. 1°. « Ad II^{m}, affirmative, et ad mentem. - Mens autem haec est: « Quatenus speciales circumstantiae *hic et nunc* impediant quominus in illa regione applicetur canon 427, S. C. Consistorialis instructiones opportunas, *ad tempus* servandas, praebeat, dempto omnino Episcopis iure nominandi Administratorem dioecesis, mortis causa ». Ssmus. autem Dominus Noster resolutiones Commissionis Codicis ratas habuit et confirmavit.

De relato tamen Card. Secretarii S. Congr^{s}. Consist^{s}., attentis peculiaribus adiunctis in quibus Ecclesiae Foederatorum

[1] 22 Febr. 1919. CO. XII, 75.

Statuum Americae versantur, eadem Sanctitas Sua statuit et decrevit, ut in omnibus dioecesibus in quibus quinque saltem vel sex Consultores dioecesani non adsint, - firma prohibitione a Commissione Codicis facta - Archiepiscopus aut Episcopus senior provinciae ecclesiasticae providere possit, cum ratihabitione Delegati Apostolici, pro nominatione Administratoris dioecesani durante sedis vacatione. - Idque per triennium, dummodo interim coetus Consultorum non fuerit auctus ad numerum superius indicatum ».

470. **Remotio consultorum.** — *Can. 428. Durante munere*, scilicet triennio, (nam substitutio per alios exacto muneris tempore, nil horum requirit), *consultores ne removeantur, nisi* a) *ob iustam causam ac* b) *de consilio ceterorum consultorum.* Id fieri posse videtur per Vicarium capitularem, dummodo vi can. 425, § 1 sex vel quatuor remaneant, tamen substituere unum consultorem in hoc casu nequit praefatus Vicarius, ut videtur ex § 5 can. 426.

CAPUT VII.

De Sede impedita aut vacante ac de Vicario Capitulari.

Can. 429. - § 1. Sede per Episcopi captivitatem, relegationem, exsilium, aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit, dioecesis regimen, nisi Sancta Sedes aliter providerit, penes Episcopi Vicarium Generalem vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum esto.

§ 2. Potest in casu Episcopus, gravi de causa, plures delegare, qui sibi invicem in munere succedant.

§ 3. His deficientibus, vel, uti supra dictum est, impeditis, Capitulum ecclesiae cathedralis suum vicarium constituat, qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis.

§ 4. Qui dioecesim regendam, ut supra, suscepit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de assumpto munere.

§ 5. Si Episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, Metropolita, eoque deficiente, vel, si de eodem agatur, antiquior inter Suffraganeos ad Sedem Apostolicam illico recurrat, ut ipsa provideat; quod si de dioecesi agatur vel praelatura de quibus in can. 285, Metropolita qui fuit legitime electus, obligatione recurrendi tenetur.

Can. 430. - § 1. Sedes episcopalis vacat Episcopi morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.

§ 2. Nihilominus, excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum, omnia vim habent quae gesta sunt a Vicario Generali, usque dum hic certam de obitu Episcopi notitiam acceperit, vel ab Episcopo aut Vicario Generali, usque dum certa de memoratis actibus pontificiis notitia ad eosdem pervenerit.

§ 3. A certa translationis notitia Episcopus intra quatuor menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusdemque canonicam possessionem assumere ad normam can. 333, 334 et a die captae possessionis

diocesis *a qua* plene vacat; interim vero in eadem Episcopus:

1° Vicarii Capitularis potestatem obtinet eisdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii Generalis potestate;

2° Honorifica Episcoporum residentialium privilegia conservat;

3° Integros percipit fructus mensae episcopalis ad normam canon. 194, § 2.

Can. 431. - § 1. Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad Capitulum ecclesiae cathedralis regimen dioecesis devolvitur.

§ 2. Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione Archiepiscopus aliusve Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic omnes et solas facultates habet quae Vicario Capitulari competunt, eisdem obligationibus ac poenis obnoxius.

Can. 432. - § 1. Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, intra octo dies ab accepta notitia vacationis, debet Vicarium Capitularem qui loco sui dioecesim regat et, si fructuum percipiendorum ei munus incumbat, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes constituere.

§ 2. Si Capitulum intra praescriptum tempus Vicarium aut oeconomum, quavis de causa, nullum deputaverit, deputatio ad Metropolitam devolvitur; si autem ecclesia ipsa metropolitana fuerit vacans

Caput VII De sede impedita
- ob impedimentum physicum aut morale — Can. 429

aut vacante
- diverso modo et consequentes effectus — » 430
- ad quem transeat regimen dioecesis — » 431

ac de Vicario Capitulari
- et oeconomo deputandis
  - per quos — » 432
  - sub quanam electionis norma — » 433
- tantum
  - qualitates — » 434
  - potestatis
    - natura et extensio etiam praehabitae a Capitulo — » 435
    - limites a iure — » 436
    - independentia a Capitulo — » 437
    - initium — » 438
  - iura honorifica — » 439
  - obligationes — » 440
- et oeconomo
  - circa ius ad congruam retributionem — » 441
  - quoad officium
    - cum relatione dependentiae in oeconomo — » 442
    - perduratio — » 443
    - rationes reddendae — » 444

vel metropolitana simul et suffraganea, ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis.

§ 3. Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can. 285, si Capitulum intra octiduum Vicarium vel oeconomum non nominaverit, hunc Metropolita qui fuit legitime electus ad normam citati canonis, constituat, nisi in abbatia vel praelatura *nullius* religiosa aliter ad normam constitutionum provideatur.

§ 4. Capitulum quantocius de morte Episcopi et deinde electus in Vicarium Capitularem de sua electione Sedem Apostolicam certiorem faciant.

Can. 433. - § 1. Unus deputetur Vicarius Capitularis, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Vicarii Capitularis et oeconomi constitutio fieri debet per actum capitularem ad normam canon. 160-182, salvis peculiaribus huius Capitis normis, et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior demptis suffragiis nullis.

§ 3. Idem potest in Vicarium Capitularem et oeconomum deputari.

Can. 434. - § 1. Ad Vicarii Capitularis munus deputari valide nequit clericus qui ad sacrum presbyteratus ordinem nondum fuerit promotus, aut tricesimum aetatis annum non expleverit, aut ad eandem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. Vicarius Capitularis sit praeterea in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus aut saltem earundem disciplinarum vere peritus, in eoque morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude conspirent.

§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitae fuerint, Metropolita, aut si ecclesia metropolitana vacans fuerit, vel de ipso Capitulo metropolitano agatur, antiquior provinciae Episcopus, agnita rei veritate, Vicarium pro ea vice deputet; actus autem illius qui a Capitulo electus fuerat, ipso iure sunt nulli.

Can. 435. - § 1. Sicut ad Capitulum ante deputationem Vicarii Capitularis, ita deinde ad Vicarium Capitularem transit ordinaria Episcopi iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, exceptis iis quae in iure expresse sunt eidem prohibita.

§ 2. Quare Capitulum et postea Vicarius Capitularis omnia possunt quae enumerata sunt canon. 368, § 2; item facultate pollent exercitium pontificalium in dioecesi cuilibet Episcopo permittendi, imo, si Vicarius Capitularis sit Episcopus, potest ipse eadem exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino.

§ 3. Vicario Capitulari et Capitulo non licet agere quidpiam quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; nominatim vero Vicarius Capitularis aliique sive de Capitulo sive extranei, clerici aut laici, per se vel per alium prohibentur Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere vel destruere vel immutare.

Can. 436. - Sede vacante nihil innovetur.

Can. 437. - In Vicario constituendo nullam sibi iurisdictionis partem Capitulum retinere potest, nec gerendo muneri tempus praefinire aliasve restrictiones praestituere.

Can. 438. - Vicarius Capitularis, edita fidei professione de qua in can. 1406-1408, statim iurisdictionem obtinet, quin necessaria sit ullius confirmatio.

Can. 439. - Quae in can. 370 de Vicario Generali praescripta sunt, eadem de Vicario quoque Capitulari dicta intelligantur.

Can. 440. - Vicarius Capitularis obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 338, 339.

Can. 441. - Nisi aliter fuerit legitime provisum:

1° Vicarius Capitularis et oeconomus ius habent ad congruam retributionem, in Concilio provinciali designatam vel recepta consuetudine concedi solitam, desumendam ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis;

2° Cetera emolumenta, quo tempore sedes episcopalis vacaverit,

futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus reserventur, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent.

Can. 442. - Oeconomus rerum ecclesiasticarum et proventuum curam et administrationem gerat, sub auctoritate tamen Vicarii Capitularis.

Can. 443. — § 1. Vicarii Capitularis et oeconomi remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio authentica forma est exhibenda Capitulo, a quo tamen eam acceptari necesse non est, ut valeat; novi autem Vicarii vel oeconomi constitutio post prioris renuntiationem, obitum vel remotionem ad ipsum Capitulum pertinet, facienda ad normam can. 432.

§ 2. Cessat praeterea eorum munus per initam a novo Episcopo possessionem ad norman cap. 334. § 3.

Can. 444. — § 1. Novus Episcopus a Capitulo, a Vicario Capitulari, ab oeconomo et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti, rationem exigere debet officiorum, iurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet, et in eos animadvertere, qui in suo officio seu administratione deliquerint, etiamsi, redditis rationibus, a Capitulo vel a Capituli deputatis absolutionem aut liberationem impetraverint.

§ 2. Iidem rationem reddant novo Episcopo scripturarum ad Ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint.

471. **Inscriptio capitis.** — Deinde considerandi sunt canones, quos *Caput. VII* continet *De sede impedita*, scilicet: quando eiusdem iurisdictionem habens proprio exercendam nomine patitur impedimentum circa illius moraliter totale exercitium, *aut vacante* eo quod dioecesis careat titulari pastore, *ac de Vicario Capitulari*, scilicet: vices gerente Capituli cathedralis.

472. **Canonum coordinatio.** — Illi sacri canones numero 16 successive iuxta inscriptionem sunt dispositi secundum eius triplicem partem; scilicet: can. 429 de sede impedita, can. 430 de sede vacante, quocum et sequentibus concatenatur ex propria materia can. 431: huic subsequentes sunt de Vicario Capitulari; et quidem ipsius deputationem regunt can. 432-434, tum circa deputandi eum facultatem, tum quoad ipsum deputationis actum et designandi qualitates; deinde potestatem Vicarii Capitularis determinant can. 435-437, etiam temporis momentum a quo illa incipit can. 438, iuraque honorifica et tunc adepta can. 439, obligationes can. 440, et retributionem percipiendam can. 441 exhibet. Ab eodem canone de oeconomo simul cum Vicario Capitulari tractat Codex, et in canone 442 illius obligationes, in seq. can. 443 alterutrius officii amissio multiplex statuitur, et obligationes reddendi rationem de his et aliis muneribus novo supervenienti Episcopo firmat ultimus canon 444.

473. **Sedes impedita.** — Duplicia Sedis episcopalis impedimenta, nempe physica et moralia considerat *can. 429*. § 1.

Sede a) *per Episcopi captivitatem* ab inimicis vel forsitan extraneis, vel per incarcerationem a potestate publica interna, b) *relegationem* in pagum, civitatem regni etc. extra dioecesim, c) *exsilium* a regno vel republica, d) *aut inhabilitatem* v. gr. amentiam vel talem infirmitatem *ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit* ad regendos eos, *dioecesis regimen* « tum in spiritualibus tum in temporalibus » (can. 335, § 1), ad normam vero ss. canonum de singulis sequentibus, a) *nisi Sancta Sedes aliter providerit* in casibus, b) *penes Episcopi Vicarium Generalem* iam existentem absolute c) *vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopi delegatum*, equidem penes alterutrum pro Episcopi libitu *esto*. - Imo circumstantiis suadentibus § 2. *Potest in casu Episcopus, gravi de causa, plures delegare*, non in solidum, sed *qui sibi invicem in munere succedant* secundum conditionem vel eventum. Impedimenta §. 1 sola in Vicario vel Praefecto Aplco. considerantur eisque providetur in can. 309, §. 2.

Sed cum persecutio ut plurimum suscipiat incrementum, et etiam propter humanas vicissitudines, cavet § 3. *His* a) *deficientibus* quocumque modo vel quia de his provisum non fuit; ac prosequitur canon: b) *vel, uti supra dictum est*, scilicet: de Episcopo, *impeditis*, *Capitulum ecclesiae cathedralis* (significatione iuridica ad normam can. 427) *suum Vicarium constituat, qui regimen assumat cum potestate Vicarii capitularis*. Pro casu solo tertii paragraphi in hodierna disciplina Vicarium Capitularem constituendum praescribitur ad normam cap. 3 de supplenda negligentia Praelatorum (I, 8), in 6°, in quo Bonifacius VIII statuit: « Si Episcopus a Paganis, aut schismaticis capiatur: non archiepiscopus sed Capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debebit: donec eum libertati restitui, vel per Sedem Aplicam. (cuius interest Ecclesiarum providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum quamcito commode poterit consulendam, aliud contigerit ordinari ». Quae ultima praescriptio ita mutata et ampliata est in Codice, prout habet § 4. *Qui dioecesim regendam, ut supra, suscepit*, hinc etiam Vicarius generalis, et in casu quoque §. 3 Vicarius capitularis, *quamprimum Sanctam Sedem*, sive S. Congr. Consistorialem aut S. Congregationem de Prop. Fide iuxta regiones, vel Secretariam Status, *moneat*

a) *de sede impedita ac* b) *de assumpto munere*. Necessaria enim est haec notitia habenti sollicitudinem omnium Ecclesiarum. Idem fuit praescriptum in can. 310, §. 1 illis « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ».

Huic canoni lucem affert responsio S. C. C. in una Hiberniae [1]: « 1° An casu quo Episcopus ab haereticis captus », sub circumstantiis § 1i « eiusdem Episcopi iurisdictio intelligatur suspensa, et ad Capitulum Ecclesiae cathedralis devoluta...? Ad 1m. non esse suspensam iurisdictionem ». Sensus negationis, sicut etiam quod non urgeat comparatio « ac si sedes per mortem vacaret Episcopi » expressa in cit. capite « Si Episcopus », liquet in Declaratione S. Congr. Consists. « de electione vicariorum capitularium in quibusdam Mexicanis dioecesibus » (6 Dec. 1914): « Quod cum tolerari omnino nequeat, S. C. Consists. de mandato Ssmi. D. N. Benedicti PP. XV, declarat nullam esse in expositis adiunctis » scilicet: §i. « legitimam causam procedendi ad electionem Vicarii Capitularis, et si quae facta fuerit, eam irritam esse et nullius roboris », quod etiam ex canone arguitur: « sartam e contra tectamque et integram subsistere Episcoporum auctoritatem quam ipsi, vel per Vicarium generalem vel per alium sacerdotem a se delegatum, exercere possunt ac debent: eamque ab omnibus fidelibus et imprimis a canonicis cathedralis ecclesiae rite et omnimode agnoscendam esse et observandam ».

Hucusque de impedimentis physicis, de moralibus autem praescribit § 5. *Si Episcopus* a) *in excommunicationem*, b) *interdictum* c) *vel suspensionem inciderit*, I° *Metropolita*, a) *eoque deficiente, vel* b) *si de eodem* supple « Metropolita » *agatur*, scilicet: qui in illam poenam inciderit, alterutro in casu eveniente, II° *antiquior inter Suffraganeos* « promotione ad Ecclesiam suffraganeam » iuxta can. 284, 292, *ad Sedem Apostolicam illico recurrat, ut ipsa provideat;* III° *quod si de dioecesi agatur vel praelatura de quibus in can. 285*, videlicet: si « Episcopus, qui nulli Metropolitae subiicitur, Abbas vel Praelatus nullius, et Archiepiscopus Suffraganeis carens » in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, *Metropolita qui fuit legitime electus* ab eis, « cuius Concilio provinciali cum aliis intersint » ad normam citati canonis, *obligatione recurrendi tenetur*. Immo ad normam can. 20 [2], Metropolita eo deficiente, censeo per antiquiorem inter eiusdem Suffraganeos, ut supra, eumdem recursum peragendum. Meminisse non pigeat praescriptum: « Abbatia vel Praelatura impedita, servetur... can. 429 » (can. 327, §. 2) per totum.

[1] 7 Aug. 1683.

[2] Can. 20. Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus...

474. **Sedis episcopalis vacatio et huius effectus.** — *Canon. 430.* § 1. *Sedes Episcopalis vacat* ordinario et I° *Episcopi morte*, II° *renuntiatione a Romano Pontifice acceptata*, cuius normas cognoscimus ex cann. 184-191, III° *translatione ac* IV° *privatione Episcopo intimata*, scilicet: alterutra, quarum normas inspicere possumus generales in can. 192-195.

De effectibus vacationis cuiuslibet ex praedictis est § 2. *Nihilominus, excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum*, quae collatio post vacationem peracta nulla est, prout ex dicendis consequens erit, cetera *omnia vim habent* a) *quae gesta sunt a Vicario generali*, ad quae peragenda supplet praesens canon iurisdictionem, *usque dum hic* nempe: Vicarius generalis *certam de obitu Episcopi notitiam* quomodocumque *acceperit*, non obstante quod ex can. 371 « expirat Vicarii generalis iurisdictio per.... Sedis episcopalis vacationem »: pariter vim habent quae b) *vel* « gesta sunt » *ab Episcopo aut Vicario generali*, supplente vel prorogante canone iurisdictionem necessariam, *usque dum certa de memoratis actibus pontificiis notitia ad eosdem pervenerit* singulos etsi quomodocumque, sed quoad privationem debet ad Episcopum pervenire intimatio ad normam can. 192, § 3.

Effectus translationis proprios continet § 3. *A certa translationis notitia* per documentum fidedignum habita *Episcopus* a) *intra quatuor menses* cohaerenter canoni 333 et computandos ad normam can. 34, § 3, n. 3°, *debet dioecesim ad quam* translatus est *petere eiusdemque canonicam possessionem assumere ad normam can. 333, 334*, illius pro dioecesi petenda, istius pro capienda possessione, b) *et a die captae possessionis*, proinde computandum est sequens tempus ad normam can. 34, § 3, n. 3°, *dioecesis a qua* transfertur, *plene vacat;* dum prius vacaret tamquam dimidiate vel semiplene, sequitur enim: c) *interim vero* scilicet: a translationis notitia praedicta usque ad diem captae possessionis hunc exclusive, *in eadem* videlicet: in dioecesi a qua *Episcopus*: - *1° Vicarii Capitularis potestatem obtinet eiusdemque obligationibus tenetur*, quas discemus in subseq^{s}. cann. 435, 436, 440, 441, *cessante qualibet Vicarii generalis potestate* consequenter canoni 371: « Expirat Vicarii generalis iurisdictio per... sedis episcopalis vacationem », quod est interpretandum: etsi non plenam ad normam praesentis canonis §^{i}. 3, n. 1°; -

2° Honorifica Episcoporum residentialium privilegia conservat; ideoque exercenda sicut quando Sedem hanc plene possidebat cum titulo illius, et in hoc differt a Vicario Capitulari ut patebit in can. 439; sicut etiam apparebit alia differentia ex can^s. 441 collatione cum seq. num. *3° Integros percipit fructus mensae episcopalis ad normam can. 194*, § 2; videlicet: « Reditus prioris officii translatus percipit, donec aliud occupaverit ».

475. **Ad quem transit regimen dioecesis vacantis.** — Exhibitis tum modis vacandi quoad Episcopalem sedem, tum effectibus iurisdictionis prorogatae usque ad variabile tempus iuxta diversos vacationis modos et praesertim in translatione, incipit de successivo dioecesis regimine tractare *can. 431*. § 1. *Sede vacante*, plene quidem in translatione, a) *nisi adfuerit Administrator Apostolicus*, de quo vigent canones 313 et seq^s. in cap. IX praec^s. Tituli explicati, b) *vel aliter a Sancta Sede fuerit provisum* v. gr. per Vicarium generalem Apostolicum eo quod a Sancta Sede Episcopo additum, et cuius non cessat iurisdictio Sede vacante illa episcopali, sicut declaravit pluries S. C. EE. et RR. prout in Aquilana 4 Aug. 1578 et in Aprutina 24 Ian. 1749; extra hos casus pro quibus interveniat Sancta Sedes, c) *ad Capitulum ecclesiae cathedralis regimen dioecesis devolvitur* episcopale, ac respective ad coetum consultorum dioecesanorum ad normam can. 427. « Sane iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam », ut ait Pius IX in const. « Romanus Pontifex » [1], « Sede Episcopali vacante, Dioecesis administratio ad Capitulum cathedralis Ecclesiae devolvitur; quod olim per seipsum Dioecesim toto tempore, quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni, aut pluribus Dioecesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi, eisque delegatam iurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi, et constringendi ».

Uti exceptio est § 2. *Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione*, quae salva supponitur v. gr. in Philippinis insulis ex Brevi « Quae mari sinico » [2], vel ex citato ad can. 427 indulto pro quibusdam dioecesibus Statuum Foederatorum Americae, a) *Archiepiscopus* b) *aliusve Episcopus Administratorem dioecesis vacantis designet, hic Administrator designatus omnes et*

[1] 28 Aug. 1873.
[2] 17 Sept. 1902, IV, A. S. S. XXV, 271.

solas facultates habet quae Vicario capitulari competunt, eisdem obligationibus ac poenis obnoxius ad normam canonum et huius Capitis et aliorum in Codice. Ergo iste dioecesanus Administrator venit in iure nomine Vicarii capitularis proprie, sicut etiam designatus a coetu consultorum.

476. **Deputatio Vicarii Capitularis et oeconomi.** — *Canon 432. § 1. Capitulum Ecclesiae cathedralis, sede vacante,* respective « coetus consultorum dioecesanorum » (can. 427), a) *intra octo dies ab accepta notitia vacationis*, etiam in translatione post plenám vacationem, computandos ad normam can. 34, § 3°, n. 3°, b) *debet Vicarium capitularem*, sic appellatum etsi a coetu consultorum dioecesanorum ille designetur, *qui loco sui* scilicet: Capituli vel coetus *diocesim regat*, et hac de causa iurisdictio eius est vicaria, secus ac in Capitulo et coetu consultorum, cuius fuit interim propria; insuper sub conditione: c) *si fructuum percipiendorum ei* Capitulo vel coetui ratione dioecesis *munus incumbat, oeconomum unum vel plures* pro illius arbitrio prudenti, sed *fideles ac diligentes constituere.* « Qui rerum ecclesiasticarum, et proventuum curam gerant; quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri ». Haec addebant verbis canonis « Conc. Tridentini Patres », qui ut ait Pius IX in loc. prox. cit. « animadvertentes gravissima, quae passim oriebantur, incommoda ex administratione viduatae Ecclesiae coetui personarum diversi fere ingenii concredita, ad vitanda sapienter decreverunt » (cap. 16, sess. XXIV de Ref.) quae in praec. et seqq. paragraphis plenius relata sunt.

§ 2. *Si Capitulum intra praescriptum* in praec. §° *tempus Vicarium aut oeconomum*, consequenter vel utrumque, a) *quavis de causa* etiam ob impossibilitatem, seu illud est « tempus continuum, quod nullam patitur interruptionem » (can. 35), *nullum deputaverit*, scilicet: vel omittens deputare, vel irritam iure perficiens electionem, ut infra patebit in hoc et seqq^{s}. can., *deputatio ad Metropolitam devolvitur...*, idest: Praelatus superior ad illum actum ex iure competens fit, posita illa causa; b) *si autem ecclesia ipsa metropolitana fuerit vacans* providendaque de Vicario capitulari, c) *vel metropolitana simul et suffraganea* utraque vacans, quando in alterutro Capitulo deficiat valida in iure electio Vicarii Capitularis, haec devolvitur, non pro suffraganea ad Metropolitanae capitulum vel eius Vicarium

capitularem, aut Metropolitanae dioecesis Administratorem, sed pro suffraganea vel Metropolitana in casu devolutio deputationis iure defertur *ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis* sensu canonum 284, 292.

Cum in can. 327, « Abbatia vel Praelatura nullius vacante » aut « impedita », praescripta huius capitis servanda dicantur, scilicet: huius can. 432 et seqq. ac pro diversa hypothesi can^s. 429, opportune additur § 3. *Etiam vacante dioecesi* tum « Episcopi qui nulli Metropolitae subiicitur », tum « Archiepiscopi suffraganeis carentis », *aut Abbatia vel Praelatura* scilicet: qualibet nullius, *de quibus* omnibus *in can. 285, si Capitulum* respectivum *intra octiduum* sicut in § praec. *Vicarium vel oeconomum non nominaverit*, et quidem valide, utrumque aut alterutrum *hunc Metropolita qui fuit legitime electus ad normam citati canonis, constituat, nisi in Abbatia vel Praelatura nullius religiosa*, cum capitulo igitur religiosorum, secundum canon. 327 *aliter ad normam constitutionum* religionis illius *provideatur*. Si dioecesis Metropolitae, ad quem devolvitur ex praecedenti § 3° Vicarii capitularis deputatio, vacaret, desideratur in Codice expressa norma, sed iuxta can. 20 [1] respondendum pro antiquiori ex Suffraganeis Metropolitae, vacante huius sede.

§ 4. *Capitulum* a) *quantocius de morte Episcopi et deinde* b) *electus in Vicarium capitularem de sua electione Sedem Apostolicam*, nempe S. Congregationem Consistorialem vel Secretariam Status *certiorem faciant*. Simile praescripto can. 429, § 4° de sede impedita.

477. **Norma procedendi.** — Duae leges irritantes deputationem praedictam statim sequuntur cum normis in huiusmodi electione servandis. - *Can. 433.* § 1. *Unus deputetur Vicarius capitularis*, non plures, idque ubilibet ac semper (can. 5), quia *reprobata contraria consuetudine: secus electio irrita est*, scilicet: de duobus vel pluribus quomodocumque facta, nam si successive fierent de diversis, prima sustinenda esset ceteroquin valida.

Modum procedendi in tali deputatione praescribit § 2. *Vicarii capitularis et oeconomi constitutio fieri debet* a) *per actum capitularem* (qualis debeat hic actus esse docemur a ca-

[1] Vide notam in pag. 464.

non. 411) b) *ad normam can. 160-182* de electione ac postulatione ad officia ecclesiastica, cum tale sit proprie officium Vicarii capitularis, c) *salvis peculiaribus huius capitis normis*, etsi hae illis canonibus derogaverint, ac signanter sequenti: *et ad eius* actus *validitatem* d) *requiritur numerus suffragiorum absolute maior* inter suffragia computanda, eo quod sequitur: *demptis suffragiis nullis* qualitercumque v. gr. datis contra can. 169. Et hic est unus casus exceptionis quoad numerum suffragiorum et scrutiniorum, normae can. 101, § 1, n. 1.

§ 3. *Idem* scilicet: eadem persona *potest in Vicarium capitularem et oeconomum deputari*, et nihil obstat fieri per eumdem capitularem actum, quod innuit connexio huius cum norma §[i] praec[s].

478. **Qualitates** in Vicarium capitularem deputandi praescribit, duas priores de novo condens, *can. 434.* § 1. *Ad Vicarii Capitularis munus deputari valide nequit clericus qui* a) *ad sacrum presbyteratus ordinem non fuerit promotus*, cohaerenter ad eamdem iuris scripti mutationem pro aliis officiis ecclesiasticis inductam a Codice in can. 154, b) *aut tricesimum aetatis annum non expleverit*, nempe: sicut pro Vicario generali ad normam can. 367, § 1, ita constitutum est hoc in loco, c) *aut ad eamdem vacantem sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus:* prout vigebat ex const. « Romanus Pontifex » Pii IX, et quidem quoties Vicarius capitularis eligi debeat, uti animadvertimus ad can. 334, § 2, ex quo memorari oportet: « sed si ante suam ad episcopatum designationem » uno ex tribus praedictis modis « vicarii capitulares, officiales, oeconomi fuerint renuntiati » scilicet: deputati, « haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt ».

Ex cap. 11, sess. XXIV Conc. Trid. est desumptus sequens § 2. *Vicarius Capitularis sit praeterea* a) *in theologia aut iure canonico doctor vel licentiatus* disiunctive tum quoad sacram disciplinam designatam, tum quoad diversum gradum academicum, b) *aut saltem earumdem disciplinarum vere peritus*, equidem dum sufficienti non careat peritia est praeferendus gradu academico ornatus, et iuxta disciplinam ex resolutionibus Sacrarum RR. Congregationum si talis licentiatus aut doctor in capitulo existat non est praetereundus, si tamen cetera concurrant: *in eoque* idest: in eligendo c) *morum integri-*

tas, pietas, sacra doctrina cum prudentiae laude conspirent. In hoc paragrapho deest clausula irritans actum deputationis, quod animadvertere nos vult legislator in § 3. *Si praescriptae § 1 conditiones posthabitae fuerint,* a) *Metropolita, aut si ecclesia metropolitana vacans fuerit, vel de ipso Capitulo metropolitano agatur* posthabente illas §ⁱ 1ⁱ conditiones, b) *antiquior provinciae Episcopus,* non aetate vel consecratione, sed ut suffraganeus antiquior, *agnita rei veritate,* non ex solo rumore sed ex probatione quae virum prudentem convincat, exhibenda S. Congregationi si necesse fuerit, *Vicarium pro ea vice deputet,* ac norma haec quoad devolutionem providendi similis est alteri canonis 432, § 2, in qua « nullum » ob electionis defectum Vicarium aut oeconomum deputaverat ipsum Capitulum, sed diversa est ab illa, quatenus non ex parte actus, sed ratione inhabilitatis personae, deputatio non sortitur canonicum effectum, quod postremum sic exprimitur in canone: c) *actus autem illius qui a Capitulo electus fuerat, ipso iure sunt nulli,* scilicet: « nullius valoris, momenti et efficaciae esse, et perpetuo fore », ut edicitur in cit. Const. « Romanus Pontifex » Pii IX circa ea « quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administrationem vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis, et quomodocumque sequuturis ».

479. **Potestates Capituli ac Vicarii capitularis.** — Iurisdictionem Capitulo ac eius Vicario successive propriam determinat *can. 435.* § 1. *Sicut* a) *ad Capitulum ante deputationem Vicarii Capitularis* b) *ita deinde ad Vicarium Capitularem* valide deputatum *transit ordinaria Episcopi iurisdictio in spiritualibus et temporalibus;* scilicet primo illa quae ordinaria est in Episcopo, et quae in eis tam Capitulo quam eius Vicario est etiam iurisdictio ordinaria secundum can. 197, atque secundo transit ad Capitulum tempore ad normam can. 430, 431, illudque eam obtinet usque ad Vicarii Capitularis deputationem validam, aut haec a Capitulo aut ab alio ex iure fiat; atque ex tunc sub conditione noscenda in can. 438 transit omnino illa iurisdictio et potestas ad huiusmodi Vicarium Capitularem; *exceptis* pro Capitulo eiusve Vicario *iis* « spiritualibus et temporalibus » iurisdictionis praedictae, *quae in iure expresse,* ac propter hoc in Codice, *sunt eidem* scilicet: Vicario Capitulari *prohibita,* et modo quo « sunt prohibita » etiam quoad validitatem vel secus.

Consequenter ait § 2. *Quare Capitulum et postea Vicarius Capitularis* a) *omnia possunt quae enumerata sunt can. 368. § 2*; scilicet: « nisi aliud expresse cautum fuerit », imo cum facultate subdelegandi respectiva secundum can. 199, § 2, *item* b) *facultate pollent exercitium Pontificalium* explicatum in canon. 337, § 2 *in dioecesi cuilibet Episcopo permittendi*, quamvis hic membrum sit Capituli, c) *imo, si Vicarius Capitularis sit Episcopus, potest ipse eadem exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino.* Et hoc implicite innuit reservatam esse horum usus concessionem residentiali Episcopo ad normam § 3 cit[i]. can[s]. Potestatis vero ratio est Jur. « Reg. XLVI in 6°. Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit ».

Subduntur limitationes potestatis heic et in seq. canone. § 3. *Vicario Capitulari et Capitulo non licet agere quidpiam quod* a) *vel dioecesi* b) *vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit;* v. gr. ex cap. 2, tit. IX, lib. III Decret. « quod Capitulum vacante sede, fungatur vice Episcopi in collationibus praebendarum, cum nusquam inveniatur cautum in iure », et ex epistola S. C. CC. et RR. - Al Vicario d'Oria [1]: « È stato più volte risoluto, che Sede vacante non sia lecito al Capitolo di far novità alcuna sopra i beni, e rendite, che appartengono al Vescovo ». - Sequitur in canone: *nominatim vero Vicarius Capitularis aliique sive de Capitulo* etiam capitulariter, *sive extranei, clerici aut laici, per se vel per alium prohibentur Curiae episcopalis*, et non solum, quamvis fortiori motivo, Archivi dioecesani c) *documenta quaelibet subtrahere*, scilicet: occulte accipere etsi cum intentione restituendi, multo magis furari aperteque rapere; non vero efferre sub conditionibus circa documenta archivi servandis ad normam can. 378: prohibentur etiam iidem praedicta documenta d) *vel destruere* e) *vel celare* etiam sine ablatione, f) *vel immutare.*

480. **Limites potestatis.** —Ut autem haec norma prorsus antiqua in custodiam Sedis Episcopalis intacta remaneat, mentem suam complete aperit legislator inserens rubricam perfectam tit. 9 lib. III Decretalium, proindeque veram legem iuris praecedentis, in *can. 436. Sede vacante nihil innovetur.* « Qui canon ius vetus ex integro referens, ex veteris iuris auctoritate,

[1] 29 Nov. 1600.

atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus. est aestimandus », sicut ait can. 6, 2°.

481. **Independentia Vicarii ab eligente Capitulo.** — Pius IX in saepe praelaudata Const. haec inserit de Tridentino Decreto. « Huiusmodi vero Decretum varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam iurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare; nec defuerunt qui arbitrati sunt, licere Capitulo Vicarium pro arbitrio removere, et alium substituere.

Recensitae Scriptorum sententiae a nonnullis Capitulis libenter exceptae sunt: quo factum est, ut in hac re tam magni momenti disciplinae uniformitas deficeret, et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret ». Defectus vere vitandi in canonum interpretatione. - « Quamvis autem Sacrae Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earumdem responsis manifeste appareat, quae fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo decreto superius relato, attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentém exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus Aplcae. auctoritatis robur adiiciendum censemus ». Quapropter declarat et decernit sicut *can. 437. In Vicario constituendo nullam sibi iurisdictionis partem Capitulum retinere potest*, et hoc primum, item *nec gerendo muneri tempus praefinire*, tertio *aliasve restrictiones praestituere*. « Quamobrem ». iuxta const. ultimo cit^m^. « pro nullis habendae sunt limitationes, seu quoad iurisdictionem, seu quoad tempus adiectae a Capitulo electioni Vicarii capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi rite collatum toto tempore, quo Sedes Episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam iurisdictionem Episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Aplcas. canonicae suae institutionis Litteras exhibeat », ut statuitur in canone 443, § 2. Cum vero haec praescribantur in Codice, cui obstare nequeunt pacta privatorum, sequitur ita esse can. 437 interpretandum.

482. **Initium officii.** — *Can. 438. Vicarius Capitularis, edita fidei professione de qua* est praescriptum *in can. 1406*,

1408 [1], *statim iurisdictionem obtinet*, velut post adimpletam nenecessariam conditionem, imo unicam propter id quod sequitur: *quin necessaria sit ullius confirmatio.*

483. **Iura honorifica.** — *Can. 439. Quae in can. 370 de Vicario generali praescripta sunt*, ibidem sufficienter explicata, *eadem de Vicario quoque Capitulari dicta intelligantur.* Nec obiiciatur absonam videri eiusdem praecedentiam prae ipso Capitulo cuius Vicarius dicitur; evanescit enim difficultas, si diligenter consideretur illum sic appellari ac debite in hodierna disciplina, quia per Capitulum designatur ad hoc ut pro eo iurisdictionem ordinariam exerceat in dioecesi, sed iurisdictio prius a Capitulo habita, nec habitualier apud Capitulum remanens, illius Vicario per ss. canones tribuitur, legitimae deputationis conditione posita.

484. **Obligationes.** — Duas tantum obligationes Episcopi speciales meminit *can. 440. Vicarius Capitularis obligatione tenetur residendi in Dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 338, 339* ibidem declaratam. Aliae obligationes utpote hic omissae viderentur Vicarium Capitularem non urgere. Revera sic tenendum de visitatione SS. Liminum et de relatione status dioecesis, cum nec Episcopus novus teneatur infra primum biennium, et dioecesis visitatio a novo Episcopo intra tempus praescriptum adimpleri poterit; nostro enim tempore non tantum differtur Sedium Episcopalium provisio. Quoad obligationes in can. 335 et 336 vel alibi recensitas, in ss. canonibus exprimitur, an Vicarium Capitularem illae urgeant, vel sicut in § 2, can. 336 ex iurisdictione ipsius ordinaria profluunt canonica necessitate, indeque non explicite memorandae fuerant.

485. **Ius ad congruam retributionem.** — De iure ad temporalia emolumenta, sub hypothesi cavet *can. 441. Nisi aliter fuerit legitime provisum;* i. e. iure scripto particulari vel consuetudinario, quod in casu servandum foret:

1° *Vicarius Capitularis et oeconomus ius habent ad congruam retributionem* [2], « Quis enim militat suis stipendiis un-

[1] Can. 1406. § 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur: — 4° Coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis;...

Can. 1408. Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones huius tituli.

[2] I ad Cor., IX, 7.

quam? », I° circa quantitatem a) *in Concilio provinciali designatam* b) *vel recepta consuetudine concedi solitam, et* II° *desumendam* a) *ex reditibus mensae episcopalis* b) *aut ex aliis emolumentis*, v. gr. ipsius Curiae, prout forsitan Conc. prov. aut consuetudo determinaverit.

2° *Cetera emolumenta*, inter quae sunt computandi quoque « reditus mensae episcopalis » saltem partialiter iuxta num. 1m praeter portionem designatam vi praecedentium in hoc canone, *quo tempore Sedes episcopalis vacaverit, futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus reserventur*, sub conditione pro emolumentis: *si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent*, quod revera dici cogimur de illis reditibus. Alia enim quorumcumque utilitatibus destinata, pari modo, ut antea, erunt sede vacante impendenda. Nec illa quae pertinerent ad Episcopum, successori post Sedis vacationem attribuuntur, qui Sede vacante nihil praestitit pro quo sit ei retribuendum. Atque canon iste optime concordat cap. 7 de electione et electi potestate (I. 3) in Clems. « Statutum super bonis a praelatis cathedralium, regularium et collegiatarum ecclesiarum dimissis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris successoribus fideliter reservandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex iuridictione et sigillo curiae ecclesiasticae vel saecularis, aut alias undecumque, quod ad praelatos (ecclesiis non vacantibus) pertineret, consuetudine qualibet contraria non obstante: ita tamen quod in istis et similibus rationabiles deducantur expensae. Ceterum ad singulares personas, ad quas ratione dignitatum, quas obtinent iurisdictio cum eius emolumento devolvitur, sede vacante de consuetudine, privilegio, vel iure alio speciali, nolumus praesentem constitutionem extendi ».

486. **Oeconomi officium.** — De officio oeconomi cum respectu etiam erga Vicarium Capitularem, eo quod sit de temporalibus iuribus, praecedenti canoni opportune subsequitur *can. 442. Oeconomus rerum ecclesiasticarum*, scilicet: temporalium ad Ecclesiam dioecesis pertinentium, *et proventuum* istiusmodi *curam* hos exigendi et illas conservandi *et administrationem gerat*, cum eorum applicatione ac expensarum solutione, *sub auctoritate tamen Vicarii Capitularis*, a quo ergo dependeat in proprio munere.

487. **Officiorum cessatio.** — De utriusque officii cessatione servandus *can. 443.* § 1. *Vicarii Capitularis*, sicut *et* (quae particula etiam disiunctivam subaudit) *oeconomi* a) *remotio Sanctae Sedi reservatur*, a qua sola decernenda erit per Sacram Congregationem Consistorialem, ut videtur, quia ex canone 248, § 3. « Ab hac Congregatione dependent ea omnia quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium ». Ad quem « statum » regimen in spiritualibus et temporalibus dioecesis absdubio pertinet. - Secundus modus cessationis illorum munerum habetur b) *renuntiatio*, quae *authentica forma* scilicet: faciente fidem *est exhibenda Capitulo*, legitime igitur coadunato, *a quo tamen eam acceptari necesse non est, ut valeat*, hoc ergo consequitur per exhibitionem antedictam; c) *novi autem Vicarii vel oeconomi constitutio post prioris* idest: illius qui praecessit in alterutro munere *renuntiationem*, non ex iure post remotionem, *ad ipsum Capitulum pertinet, facienda ad normam canon. 432* ibi declaratam, ceterisque normis de prima designatione servandis, propter earum generalem enunciationem.

Modus vero alius cessationis ordinarius continetur in § 2. *Cessat praeterea* seu tertio *eorum* simul *munus per initam a novo Episcopo possessionem ad normam can. 334.* § 3, et planum est.

488. **Rationes reddendae.** — Praedictorum munere cessante ad normam ultimi paragraphi, servandus est *can. 444.* § 1. *Novus Episcopus a Capitulo, a Vicario Capitulari, ab oeconomo, et ab aliis officialibus, qui, sede vacante, fuerunt constituti*, hinc etiam ab iisdem qui legitime renuntiaverunt, et quamvis aliquis praedictorum fuerit ex eodem Capitulo, a) *rationem exigere debet*, non tantum potest, ut aiebat Conc. Trid., *officiorum, iurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cuiuslibet*, b) *et in eos animadvertere*, idest: punire, *qui in suo officio* proprie dicto *seu administratione* muneris *deliquerint*, c) *etiamsi, redditis rationibus, a Capitulo vel a Capituli deputatis absolutionem aut liberationem impetraverint*, v. gr. forsitan qui renuntiaverunt officium Vicarii Capitularis aut oeconomi.

§ 2. *Iidem* qui in § 1° specialiter *rationem reddant novo Episcopo scripturarum ad Ecclesiam pertinentium*, scilicet:

tum Archivo inferendarum Episcopali, tum aliarum dioecesis, *si quae ad ipsos pervenerint* qualitercumque. Totus hic canon, sed ampliatus, ex Conc. Trid. [1] est desumptus. Retineatur igitur § 35 const. « Ad militantis » Bened. XIV [2]. « Appellatio aliqua in Tribunalibus non recipiatur, nec alia per quae Decretorum Conc. Trid. quorumdam exequutio retardetur aut impediatur, quoquo modo concedantur »: « a Mandatis seu Decretis cogentibus Oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem Administrationis per eos gestae Sede Episcopali vacante, iuxta praescriptum Sacri Concilii sess. XXIV de Reform. cap. 16 ».

CAPUT VIII.

De Vicariis foraneis.

Can. 445. - Vicarius foraneus est sacerdos qui vicariatui foraneo, de quo in can. 217, ab Episcopo praeficitur.

Can. 446. - § 1. Ad munus vicarii foranei Episcopus eligat sacerdotem quem dignum iudicaverit, praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium.

§ 2. Vicarius foraneus ad nutum Episcopi amoveri potest.

Can. 447. - § 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei tribuit Synodus provincialis vel dioecesana et secundum normas in eadem Synodo legitime statutas vel ab Episcopo statuendas, ius et officium est invigilandi potissimum:

1° Num ecclesiastici viri sui ambitus seu districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim et obligationem infirmis assistendi;

2° Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione exsecutioni mandentur;

3° Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur;

4° Num decor et nitor ecclesiarum sacrae supellectilis, maxime in custodia Sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione, accurate servetur: an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis onera, in primis Missarum, rite impleantur; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales.

§ 2. De iis omnibus ut reddatur certior, vicarius foraneus debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias visitare.

§ 3. Pertinet etiam ad vicarium foraneum, statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat: et curare ne, eo aegrotante vel decedente, libri, documenta, sacra supellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

Can. 448. - § 1. Vicarius foraneus debet, diebus ab Episcopo designatis, convocare presbyteros proprii districtus ad conventus seu collationes de quibus in can. 131 eisdemque praeesse; ubi vero plures habeantur huiusmodi coetus in variis

[1] Cap. 16 sess. XXIV de Ref. — [2] 30 Martii 1742.

districtus locis, invigilare ut rite celebrentur.

§ 2. Si non sit parochus, debet residere in territorio vicariatus vel alio in loco non valde distanti secundum normas ab Episcopo definiendas.

Can. 449. - Saltem semel in anno vicarius foraneus proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci, exponens non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita et quidquid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda.

Can. 450. - § 1. Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.

§ 2. Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus.

489. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Post considerationem de his qui iurisdictionem ordinariam in universa dioecesi, sed vicariam exercent, restat videre *caput VIII* inscriptum *De Vicariis foraneis*, qui etiam vices gerunt Episcopi, eiusque participant potestatem in foro externo, sed foris seu extra civitatem, qui propter hoc archipresbyteri rurales, decani rurales quandoque vocati fuerunt, easdemque denominationes sine appellativo rurales conservant.

Iuxta consuetum ordinem can. 445 definitionem exprimit ac sequens canon qualitates praevias, can. 447-449 continent diversa munia seu potestatem ac obligationes, honores autem peculiares in 450 canone perspici possunt.

490. **Ius praecedens.** — In iure Decretalium fere unicum caput, multa vero complectens de hoc ecclesiastico officio, est cap. 4. De Officio Archipresbyteri (I, 24) ex Synodo Ravennae habita.

Illius tenor est: « Ut singulae plebes archipresbyterum habeant », et haec est institutio, cum scopo « propter assiduam erga populum Dei curam », eiusque munus exponitur « qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos » seu ecclesias et rurales parochias « habitant, vitam iugi circumspectione custodiant: et qua unusquisque industria divinum opus exerceat episcopo suo renuntiet. Nec contendat Episcopus non egere plebem archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia etsi valde idoneus sit, decet tamen ut sua onera partiatur: et sicut ipse matrici ecclesiae praeest: ita archipresbyteri praesint plebibus, ut nullo titubet ecclesiastica sollicitudo: cuncta tamen referent ad Episcopum, nec aliquid contra eius decretum ordinare praesumant ». Et sic etiam necessitas illius officii aut saltem utilitas defenditur. Uti amplatio ac determinatio circumstantiarum praedicti capitis, et velut commentarium accipi queunt sequentes canones.

491. **Vicarii foranei notio.** — *Can. 445. Vicarius foraneus est* a) *sacerdos* ceu subiectum b) *qui vicariatui foraneo de quo in can. 217*, scilicet: uni districtuum in quos Episcopus territorium suum distribuere debet, illiusque spirituali utilitati c) *ab Episcopo* veluti causa efficiente *praeficitur*, qua praefectura formaliter constituitur.

492. **Qualitates Vicarii et officii.** — *Can. 446* § 1. *Ad munus Vicarii foranei Episcopus eligat* a) *sacerdotem*, ex illius definitione in can. praec., b) *quem dignum iudicaverit*, et hoc sufficeret, attamen c) *praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium*. Hanc mentem voluntatemque legislatoris Episcopum sequi convenit, nisi aliter fieri circumstantiae suadeant. - Iudicium de dignitate eligendi convenienter nititur cap. 7 de electione et electi potestate (I, 6) ex Conc. Later. sub Innoc. III: « Inferiora etiam ministeria, ut puta decanatum, archidiaconatum, et alia quae curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis ecclesiae regimen, nisi qui iam 25 annum aetatis attigerit », qualis aetas nunc ex Codice ad presbyteratum exigitur suscipiendum, « et scientia et moribus commendandus existat ». - § 2. *Vicarius foraneus ad nutum Episcopi* prudenter agentis *amoveri potest*, et est norma iuxta Reg. 1 Iuris. « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ».

493. **Facultates et obligationes.** — *Can. 447.* § 1. *Vicario foraneo, praeter facultates quas ei tribuit* a) *Synodus provincialis*, et est casus exceptionalis in quo sic appellatur in Codice, b) *vel dioecesana*, quae proinde id facere possunt, c) *et secundum normas* de limitibus ac illarum exercitii circumstantiis *in eadem* alterutra *Synodo* legitime *statutas* d) *vel ab Episcopo statuendas* etsi extra Synodum, atque illae normae ad modum legis particularis moderantur generaliter pro dioecesi tale officium, *ius et officium est invigilandi*, ut in cap. Decretalium citato, ac *potissimum*: circa ea quae respiciunt personas ecclesiastici coetus, Episcopi decreta exequenda, materiam Sacrificii, atque cultum divinum et adnexa ipsi; videlicet:

1° *Num ecclesiastici viri sui ambitus seu districtus*, etiamsi non parochi, a) *vitam ducant ad normam sacrorum canonum* nobis notam ex tit. III, b) *suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim* I° *circa residentiae legem*, II° *divini verbi praedicationem*, III° *impertiendam pueris atque adultis catechesim et* IV° *obligationem infirmis assistendi*, quae omnia in Tit. sequenti partialiter ac in Tit. XX Lib. III quoad praedicationem et catechesim sunt inserta.

2° *Num decreta lata ab Episcopo in sacra visitatione* peculiaria, indeque sub n. 1° non comprehensa *exsequutioni mandentur.*

3° *Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici* quoad eius sinceritatem et incorruptionem tutandam *adhibeantur.*

4° *Num* a) *decor* conveniens cultui divino, paupertate Ecclesiae considerata, *et nitor* h. e. mundities *ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in custodia sanctissimi Sacramenti et in Missae celebratione* ob ipsam Eucharistiae naturam *accurate servetur;* b) *an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur*, scilicet: illis praescriptis servatis; c) *bona ecclesiastica diligenter administrentur*, socordia et imprudentia exclusis, d) *adnexaque illis onera* pietatis charitatisve, *in primis Missarum, rite impleantur;* e) *rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales* iuxta canones in Tit. sequenti explicandos. - Huic vigilantiae operam daturus est ille modis ei bene visis, ast servato § 2. *De iis omnibus ut reddatur certior*, et ex hoc fine est mensurandum quod *vicarius foraneus debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias visitare.* - Praeter vigilantiam § 3. *Pertinet etiam ad vicarium foraneum, statim atque audierit aliquem sui districtus parochum graviter aegrotare*, quamvis sine mortis periculo, a) *operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis* ex impotentia sibi providendi propter infirmitatem, ac etiam sacramentis morientium, si usque ad hanc necessitatem pervenerit, *honestoque funere, cum decesserit*, ne *careat*, et haec respiciunt parochi personam; *et* praeterea b) *curare ne, eo* parocho *aegrotante vel decedente*, (ob defectum custodis) *libri, documenta* ecclesiastica, *sacra supellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur* qualitercumque.

494. **Aliae obligationes.** — *Can. 448.* § 1. *Vicarius foraneus debet, diebus ab Episcopo designatis* ad normam can. 131, a) *convocare presbyteros* saeculares omnes, religiosos vero designatos in cit. can. § 3° *proprii districtus ad conventus seu collationes de quibus in can. 131 eisdemque praeesse;* b) *ubi vero plures habeantur huiusmodi coetus in variis districtus* proprii *locis, invigilare ut rite celebrentur.*

§ 2. *Si non sit parochus*, quod ad normam can. 446 § 1°

accidere licet, *debet* ex munere *residere in territorio vicariatus* sui *vel alio in loco non valde distanti*, quae residentia determinanda erit *secundum normas ab Episcopo definiendas*.

495. **Ratio reddenda.** — Hucusque dicta complementum accipiunt ex *can. 449. Saltem semel in anno* ex iuris praecepto *vicarius foraneus proprii vicariatus rationem reddere debet Ordinario loci*, ac modus describitur: *exponens non solum* a) *quae intra annum bene gesta* sint, b) *sed etiam quae mala obrepserint*, c) *quae scandala exorta sint*, d) *quae remedia ad ea* tum mala tum scandala *reparanda adhibita* quoad praeteritum, e) *et quidquid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda*.

Patet igitur munus explicatum in hoc Capite inspectionem praecipue spectare, curamque Episcopi paternam in parochorum suprema necessitate gerere, aliquam exsequutionem canonum adhibere; parum ergo officii ecclesiastici proprie dicti habet, ac iurisdictione ordinaria orbatum est, sed huius « aliquam saltem secumfert participationem » (can. 145, § 1).

496. **Sigillum et praecedentia.** — *Can. 450.* § 1. *Vicarius foraneus sigillum habeat* non iam personae, sed *vicariatus proprium*.

§ 2. *Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus*. Equidem in eo, et extra ipsum quando alii non intersint, salvo loci Ordinarii iure alias normas statuendi de praecedentia ad normam can. 106, 6°.

CAPUT IX.

De Parochis.

CAN. 451. - § 1. Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda.

§ 2. Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt:

1° Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in canone 216, § 3;

2° Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti.

§ 3. Circa militum cappellanos sive maiores sive minores, standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis.

CAN. 452. - § 1. Sine Apostolicae Sedis indulto paroecia nequit personae morali pleno iure uniri, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, ad normam can. 1423, § 2.

§ 2. Persona moralis, cui paroecia sit pleno iure unita, habitualem tantum curam animarum retinere potest, servato, quod ad actualem spectat, praescripto can. 471.

CAN. 453. - § 1. Ut quis in paro-

chum valide assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam iure tum communi tum particulari requiruntur.

CAN. 454. - § 1. Qui paroeciae administrandae praeficiuntur qua proprii eiusdem rectores, stabiles in ea esse debent; quod tamen non impedit quominus omnes ab ea removeri queant ad normam iuris.

§ 2. At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem; qui maiore gaudent, inamovibiles; qui minore, amovibiles appellari solent.

Caput IX De parochis [1]
- notio propria et iuridica — Can. 451
- cum habituali cura — » 452
- qualitates — » 453
- circa officium
  - stabilitas eorum diversa — » 454
  - nominandis et instituendis
    - quoad paroecias saeculares — » 455
    - religiosis — » 456
    - quoad quasi-paroecias — » 457
  - providendis
    - tempus utile — » 458
    - modus ab Ordinario loci servandus — » 459
    - salva mutua unitate — » 460
    - quoad illius exercitii initium — » 461
- iura
  - quoad functiones ipsis reservatas — » 462
  - quoad temporalia — » 463
- obligationes
  - generalem ex officio — » 464
  - residentiae — » 465
  - applicandae missae pro populo — » 466
  - quoad ministerium sacrum et diversos parochianos — » 467
  - quoad aegrotos et defunctos — » 468
  - quoad fidei, morum et pietatis custodiam — » 469
  - de libris paroecialibus — » 470

[1] Vide canones in pag. 480-482, 494, 495.

§ 3. Paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico; amovibiles possunt ab Episcopo, non autem a Vicario Capitulari, de Capituli cathedralis consilio, inamovibiles declarari; novae quae erigantur, sint inamovibiles, nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amovibilitatem magis expedire decreverit.

§ 4. Quasi-paroeciae sunt omnes amovibiles.

§ 5. Parochi autem, ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu: nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

CAN. 455. - § 1. Ius nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat.

§ 2. Sede vacante aut impedita ad normam can. 429, ad Vicarium Capitularem aliumve qui dioecesim regat, pertinet:

1° Vicarios paroeciales constitúere ad normam can. 472-476;

2° Confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem, et institutionem electo aut praesentato concedere;

3° Paroecias liberae collationis conferre, si sedes ab anno saltem vacaverit.

§ 3. Horum nihil Vicario Generali competit sine mandato speciali, salvo praescripto cit. can. 429, § 1.

CAN. 456. - Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit.

CAN. 457. - Quasi-parochos e clero saeculari proprius loci Ordinarius nominat, audito Consilio de quo in canone 302.

CAN. 458. - Vacanti paroeciae curet loci Ordinarius providere ad normam can. 155, nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis differendam suadeant.

CAN. 459. - § 1. Loci Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione.

§ 2. In hoc iudicio ratio haberi debet non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur.

§ 3. Quare loci Ordinarius:

1° Ne omittat documenta, si qua sint, ex Curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiciunt et notitias, secretas quoque, si opportunum iudicaverit, prudenter requirere etiam ex locis extra dioecesim;

2° Prae oculis habeat praescriptum can. 130, § 2;

3° Clericum examini super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus subiiciat; a quo, de consensu eorundem examinatorum, potest dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato.

§ 4. In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam const. Benedicti XIV *Cum illud*, 14 Dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Apostolica aliud decreverit.

CAN. 460. - § 1. Parochus ad normam can. 156 unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis agatur aeque principaliter unitis.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

CAN. 461. - Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis ad normam can. 1443-1445; et ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu fidei professionem edere debet, de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

497. **Inscriptio capitis.** — Deinde tractare oportet de his, quos considerat in suis canonibus *caput IX* inscriptum *De parochis*, qui sunt in postremo gradu hierarchiae ratione iurisdictionis ordinariae propriae. quamvis eam obtineant pro foro tantum interno et cum officio, quod iure tantum ecclesiastico est institutum.

498. **Ordo canonum.** — Parochus secundum propriam et iuridicam significationem describitur in can. 451, cui accedit ut complementum can. 452. Qualitates in parochum assumendi recenset can. 453. quem subsequitur can. 454 de conditione diversa stabilitatis parochorum. Ius nominandi et instituendi parochos diversimode attribuitur in can. 455-457. de servandis quoad ipsam provisionem officii paroecialis tum ex parte providentis tum ex parte providendi statuunt can. 458-461. Deinde recensentur iura parochorum cum praescriptionibus in canon. 462. 463. et obligationes in ceteris usque ad finem capitis. nempe: in can. 464-470.

499. **Parochi notio propria et iuridica.** — *Can. 451.* § 1. *Parochus est sacerdos vel persona moralis* descripta in can. 99, *cui paroecia* in can. 216 definita *collata est in titulum*, scilicet: velut illius tamquam rectoris propria. *cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda*, et in qua cura continentur facultates iure saltem determinatae. - Talis est proprie parochus, sed ex § 2 *Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus* seu officii parochialis, *et parochorum nomine in iure veniunt*. significatione igitur iuridica. quae non excidat e mente. in hoc praesertim capite: - 1° *Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt*. « sicut peculiares rectores eisdem assignati ». de quibus in can. 216, § 3. - 2° *Vicarii paroeciales* de quibus tractat sequens caput, sub conditione: *si plena potestate paroeciali praediti sint*, ibidem cognoscendi. De illis ait S. Congr. de Prop. Fide in eius Instructione:[1] « 6) Constituta quasi-paroecia. ipso facto oriuntur iura et obligationes quasi-parochi. quae a Codice iuris canonici sanciuntur ».

Parochi ergo sunt territoriales. idest: ratione territorii obtinent subditos. Reapse vi can. cit. § 4° hodie tantum per exceptionem invenientur parochi sic dicti personales. eo quod pro

[1] 25 Iul. 1920. CO. XII, 332.

diversitate sermonis seu nationis, familiarum vel conditionum personalium nanciscantur proprios subditos. His tamen aptanda, quae de parochis omnes sacri canones statuunt absque exceptione pro illis. - De quibusdam huiusmodi cavet § 3. *Circa militum cappellanos sive maiores sive minores* pro gradu eorum, *standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis*, v. gr. pro Hispania, quae utpote non mutata derogant contrariis Codicis normis.

500. **Cura habitualis et actualis.** — Propter § 1 in quo parochum esse quandoque personam moralem invenimus dictum, sequitur de his *can. 452.* § 1. *Sine Apostolicae Sedis indulto*, seu gratiosa concessione ad actum vel actus, *paroecia nequit personae morali* cuilibet proprie dictae *pleno iure uniri*, et exponitur: *ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, ad normam can. 1423*, § 2 [1]. Et loquitur paragraphus de unionis actu peragendo, proindeque de unione futura. - Non sic § 2. *Persona moralis, cui paroecia sit pleno iure unita* ut in § 1°, equidem « secundum propriam verborum significationem » (can. 18) vel initio vigoris Codicis vel quandocumque in futurum Codice vim habente, *habitualem tantum curam animarum retinere potest*, veluti subiectum illa ornatum. *servato, quod ad actualem* ipsius curae exequutionem *spectat, praescripto can. 471*, de vicario ad illam gerendam constituendo.

Hic vicarius, qui « parochi nomine in iure venit » (can. 451, § 1, 2°), debet esse distinctus a Priore domus religiosae, alioquin persona moralis seu domus religiosa non retineret « habitualem tantum curam animarum ». Proinde viget quod S. Congr. disciplinae regularis interdixit [2], ne quis regularis simul Parochus et Prior existat.

501. **Qualitates promovendi in parochum.** — *Can. 453.* § 1. *Ut quis in parochum valide assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus.* Est particularis norma canonis 154 id ipsum statuentis de officiis, « quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secumferunt »: nec utilitate praesens canon orbatur, qui est servandus quomodo-

[1] Can. 1423... § 2. Nequeunt vero (Ordinarii locorum) paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali...

[2] 28 Maii 1845.

libet paroecia conferatur, derogatque expresse iuri Decretalium [1] ubi dicitur: « licet ad regimen parochialis ecclesiae non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, admitti. Dispensative tamen in minoribus ordinibus constituti consueverunt assumi. Dum tamen tales sint, quod infra breve tempus possint in presbyteros ordinari », quod iuxta Glossam erat annus, et ita invenitur statutum (cap. 14 de electione tit. VI in 6°), et postea fuse declaratum (cap. 35 eiusdem cit. tit.), sicut ibidem legi potest. Itaque multo simplicior est inducta disciplina.

Iuxta ea, quae plenius docentur a Bened. XIV in const. « Cum illud »[2], et « quia illitterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt, quam aedificant » [3], praescribit § 2. *Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia*, his semper, *ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam ei conferendam*, et non qualitercumque, sed *cum laude gubernandam, iure tum communi* scilicet: sacris legibus etiam extra hoc caput, *tum particulari* dioecesis, provinciae ecclesiasticae, *requiruntur*. Ideo magis vel minus debet illis esse qualitatibus ornatus pro vacantis paroeciae conditionibus ad gubernii laudem promerendam. « expedit enim maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari » [4].

502. **Diversa parochorum stabilitas.** — Ex Dec. S. Congr. Consistorialis [5]: « Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat ». His principiis congruit *can. 454. § 1. Qui paroeciae administrandae praeficiun-*

[1] Cap. 5. de aetate, qualitate et ordine praeficiendorum tit. XIV, lib. I.

[2] 14 Dec. 1742, §§ 7. 11. — [3] Conc. Trid. cap. 6 sess. XXI de Ref. — [4] Conc. Trid. cap. 18 sess. XXIV de Ref. — [5] 20 Aug. 1910.

tur, eapropter tam in cura animarum quam in temporalibus, *qua proprii eiusdem rectores*, etiamsi paroecia non territorialis sit ad normam can. 216, § 4, sed dummodo parochi queant denominari secundum can. 451, « sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quoque nomine » [1], *stabiles in ea esse debent*, sicut Conc. Trid. [2] « mandat episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum *perpetuum* peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant ». Secus est, ac patet, « quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeconomi temporalis vel vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam » [3]. De canonis praescripto subditur: *quod tamen non impedit quominus omnes ab ea* per Ordinarium loci *removeri queant ad normam iuris*, id est: saltem propter causas in iure expressas simul ac servato processu praescripto. « Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur ». (Dec. cit. « Maxima cura »).

§ 2. *At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem:* a) *qui maiore gaudent*, ob longiorem processum remotionis, *inamovibiles*; b) *qui minore* propter faciliorem remotionem, quamvis semper ex iusta causa, *amovibiles appellari solent*.

Nec pro libitu Episcopi in alterutram classem numerari queunt parochi, nam sic ait § 3. *Paroeciae* existentes, si *inamovibiles* saltem consuetudine, a) *nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico*; b) *amovibiles possunt ab Episcopo*, per quod verbum « venit quoque intelligendus Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), sed excluditur Vicarius generalis absque speciali mandato, additurque: *non autem a Vicario capitulari*, quia removendi facilitate Episcopus privaretur, *de Capituli cathedralis consilio inamovibiles declarari*, utpote qualitas instituto parochiali proprior; eademque de causa recte praescribitur ut c) *novae quae erigantur, sint inamovibiles*, tamquam regula

[1] Dec. « Maxima cura » S. Congr. Consist. can. 30: 20 Aug. 1910, CO. II, 647. — [2] Cap. 13, sess. XXIV de Reformatione.
[3] S. Congr. Consists. loc. cit.

generalis, d) *nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio,* I° *attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis*, proindeque in singulis casibus, et II° *audito Capitulo* ut supra, ad normam canon 105, 1°, *amovibilitatem magis expedire decreverit*. Ergo per decretum extraiudiciale necessario statuendum est.

§ 4. *Quasi-paroeciae* definitae per can. 216, § 3 *sunt omnes amovibiles*. Iure igitur, quin exprimi necesse sit.

De stabilitate parochialis officii ob rationem petitam ex ipsa paroecia loquuntur praecedentes paragraphi, personam illud habentem perpendit § 5. *Parochi autem, ad religiosam familiam* sive Ordinis sive Congregationis etiam iuris dioecesani *pertinentes, sunt semper*, ratione personae ex voto pendentis quoad eius vitae ordinationem a Superiore, *amovibiles ad nutum*, scilicet: ad voluntatem rationabiliter seu cum causa agentem, atque sine formali remotionis processu, a) *tam loci Ordinarii, monito Superiore*, b) *quam Superioris, monito Ordinario* praedicto, nec interest praecedat vel sequatur amotionem monitio, dum statim ac directe fiat, *aequo iure*, c) *non requisito alterius consensu*: et sola monitio de amotione est facienda, sequitur enim: d) *nec alter alteri causam iudicii sui*, quae supponitur habenda, ut diximus, *aperire multoque minus probare tenetur*, e) *salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem*. De quo ait Bened. XIV in ep. encycl. « Apostolicum ministerium » [1]: « Nec Regularis ab officio suspensus, vel amotus, ullimode valet appellationis beneficio Mandati exequutionem impedire, vel protrahere; sed post praestitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen, innocentiamve vindicandam, si eam laesam existimaret, reclamationibus unice locus erit, et excusationibus, suo Iudici competenti ferendis, uti praescribitur in superius allata const. « Inscrutabili » Greg. XV, atque in alia posteriori, cui initium « Ad militantis » in praesenti nostro Pontificatu vulgata ». Haec norma iuris praec. viget nunc in canonis sensu. Imo huic canoni est adhuc opportuna resp. S. Congr^{s}. de Prop. Fide:[2] « Circa Regulares (ob canonis tenorem religiosos) ex parochiis removendos normam tradi perspicuam a Bened. XIV in const. « Firmandis » (6 Nov. 1744) ».

[1] 30 Martii 1753, § 17. — [2] 13 Maii 1839. Collectanea S. C. de P. F., n. 886.

503. **Ius nominandi et instituendi eos.** — *Can. 455.* § 1. *Ius nominandi*, hoc est, designandi personam *et instituendi* scilicet: providendi canonice de officio *parochos competit Ordinario loci*, « ad cuius (Episcopi) officium, tam institutio quam destitutio sacerdotum (cum gregis cura) noscitur pertinere », ut ait in fine cap. 12 tit. VII, Lib. V. Decretal.; cuinam vero loci Ordinario « competat » infra dicetur: a) *exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis*, quae designantur in can. 1435, b) *reprobata contraria consuetudine* circa duplex illud ius, c) *sed salvo privilegio electionis aut praesentationis* videlicet: designationis praefatae instituendi in parochum, *si legitime competat*, v. gr. ex fundatione, aplca. concessione, sicut Abbatibus quoad paroecias pleno iure unitas ex c. 6 Urbani II in qu. 2 caus. XVI, vel alii Dignitati ex ead. causa, q. 7 cap. 11 Callisti Papae.

§ 2. *Sede* Episcopali, Abbatiali aut Praelatura *nullius* a) *vacante aut* b) *impedita ad normam can. 429* per totum atque ibi declaratam, *ad Vicarium Capitularem* aut Episcopum translatum ad normam can. 430, § 3, 1°, in illa « vacante » *aliumve qui dioecesim regat*, scilicet: *a*) ad Administratorem Apostolicum aut dioecesanum pro diversitate casuum Sedis vacantis, et quoad litteram *b*) ad « Vicarium generalem vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum » § 1, vel ad delegatos « plures, qui sibi invicem in munere succedant » § 2, vel ad eum « qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis » § 3, *pertinet*: - 1° *Vicarios paroeciales constituere ad normam can. 472-476*, illos etiam qui parochi nomine iure venirent ex can. 451, § 2° n. 2°, exceptis vicariis personarum moralium de quibus est can. 471, hi tamen comprehenduntur sub n. seq. - 2° *Confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem*, queis actibus personae designatio completur, *et institutionem* consequentem *electo aut praesentato concedere*. Sic ad normam iuris praec^s. derivantis ex cap. 1 de Institutionibus (III, 6) in 6°: « Etsi Capitulum sede vacante beneficia, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit: Praesentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis ad quae fuerunt praesentati: licet ad Episcopum (si superesset) admissio et institutio huiusmodi pertineret ». - Prosequitur can. 3° *Paroecias liberae collationis* explicatae in can. 152-159 *conferre, si sedes*

ab anno saltem vacaverit computando ad normam can. 34, § 3°, n. 1° et 3°.

§ 3. *Horum nihil Vicario generali* (supple: « sede non impedita » propter finalem § huius clausulam) *competit sine mandato speciali*, hoc est, ius nominandi, et ius instituendi parochos, quae omnia dispescuntur in illos tres praecedentes numeros, *salvo praescripto cit. can. 429*, § 1, quando nempe dioecesim regit Sede impedita, indeque Vicarius generalis recidit sub § 2° praecedenti, ut monuimus.

504. **Quoad paroecias religiosis concreditas.** — Ius de quo in § 1° praecedenti sic dispescit pro casu peculiari *can. 456. Ad paroecias religiosis*, etiam alumnis congregationum votorum simplicium, *concreditas* sive ad tempus sive indefinite forsitan ob unionem pleno iure, v. gr. iuxta can^s. 452, § 1^m, a) *Superior, cui ex constitutionibus* religionis *id competit, sacerdotem* (pro validitate iuxta can. 453, § 1) *suae religionis*, non alterius, nec saecularem, *praesentat Ordinario loci* competenti iuxta can. praec.; b) *qui eidem*, id est: Sacerdoti canonice praesentato, *servato praescripto can. 459*, § 2, per quod loci Ordinario competit iudicium « non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum, quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur », quae si desint in praesentato, non urget pro eodem iste canon; praedito tamen iisdem *institutionem* explicatam in can. 148, § 1 *concedit* Ordinarius loci competens. Ius Superioris ex hoc canone attributum non videtur (ad normam can. 20 iuxta « religiosorum » significationem ex can. 488, 7°) extendendum ad Superiores societatum virorum in communi viventium sine votis. Verumtamen idipsum obtinere potuerunt ob legitimam consuetudinem, aut privilegium apostolicum, si huiusmodi societatibus alterutrum obvenerit. Imo posset Superior ob subiectionis rationem in sodali, quidquam simile praetendere, etiamsi non vi huius canonis.

505. **Quoad quasi-paroecias.** — *Can. 457. Quasi-parochos e clero saeculari*, nam si e clero religiosorum fuerint, vigent tantum can. 455, 456, *proprius loci Ordinarius* secundum caput VIII Tit. praec. *nominat, audito consilio* constituto « ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis » *de quo in can. 302.*

506. **Tempus providendi utile.** — Sequuntur canones de provisionis actu, et primo circa tempus positus est *can. 458. Vacanti* de iure *paroeciae*, et ad normam can. 151 si « forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur », *curet loci Ordinarius providere ad normam can. 155*, scilicet: non ultra terminum speciali lege praescriptum, vel hac deficiente « non ultra sex menses utiles ab habita notitia vacationis », cum exceptione: *nisi peculiaria locorum ac personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, collationem tituli paroecialis*, quo nempe proprius eiusdem fiat paroeciae rector, *differendam suadeant*. Sicut pro Statibus belligerantibus declaratum ac statutum fuit in S. C. C. « Dec°. de provisione officiorum et beneficiorum durante bello »[1], revocatum per aliud « Cum ob belli » eiusdem S. C.[2].

507. **Modus in providendo servandus.** — *Can. 459.* § 1. *Loci Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit*, quando inter plures designatio fieri queat ab eo, *sine ulla personarum acceptione*. Clausula explicata in canone 153. Praescriptio igitur haec de magis idoneo non urget, quando alteri nominatio clerici providendi est delata. - § 2. *In hoc iudicio* maioris idoneitatis *ratio haberi debet* scilicet: ponderatio et comparatio institui *non solum* a) *doctrinae, sed etiam* b) *earum omnium qualitatum*, quas in can. 453, § 2 relatas vidimus, *quae ad paroeciam vacantem* scilicet: illam providendam *rite regendam*, idest: cum laude ut in cit. §°, *requiruntur*. Omnia enim illa praeinserta idoneitatem conferunt.

Describitur etiam modus rite illud iudicium obtinendi, propterea subditur § 3. *Quare loci Ordinarius* (iubetur): 1° *Ne omittat* a) *documenta, si qua sint, ex Curiae tabulario*, de quo superius in cap. IV, art. II°, *desumere* examinanda, *quae clericum* probabiliter *nominandum*, et inde singulos, si plures sint, invicem conferendos *respiciunt*, ad quod iuvat specialiter custodiri positiones clericorum adhuc viventium; b) *et notitias, secretas quoque, si opportunum iudicaverit* tali secreti via etiam uti, « ne omittat » (ut initio dixit canonis paragraphus) *prudenter exquirere* c) *etiam ex locis extra dioecesim*, quando id quoque prudentia suadeat; - 2° *Prae oculis habeat*

[1] 14 Nov. 1916, CO. VIII-439. — [2] 26 Feb. 1919, CO. XI, 77.

praescriptum can. 130, § 2, scilicet: « ratio habeatur eorum, qui, ceteris paribus, in memoratis §° 1° periculis magis praestiterunt »; - 3° *Clericum* a) *examini super doctrina coram se et examinatoribus synodalibus*, horum enim munus est ut dicitur in can. 389, § 1, *subiiciat;* cum sequenti limitatione: b) *a quo* examine, *de consensu eorumdem examinatorum*, qui sic eum implicite approbant, *potest dispensare* loci Ordinarius, id autem *si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato*. Et omnino aequum iuxta Reg. iur. XXXI in 6°. « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet ».

De hoc examine loquuntur sequentia dubia soluta a Commiss. Pont. ad Cod. canones auth. interpretandos [1]. « Quaeritur: 1° Utrum huic examini subiici debeat clericus iam de una paroecia provisus, *toties quoties* de nova paroecia providendus erit; an vero sufficiat periculum semel factum pro prima paroecia. - 2° Utrum examini subiiciendus sit parochus remotus a paroecia qui, ad tramitem canonis 2154, transfertur ad aliam paroeciam. - 3° Utrum pariter examini subiiciendus sit parochus qui ex officio transfertur ad aliam paroeciam, ad tramitem tituli XXIX, libri IV, canonum 2162-2167. - 4° Quid agendum si clerici, quos Ordinarius idoneos reputat, nolint examini subiicere, quod forte non semel accidet pro minoribus paroeciis. - 5° Utrum periculum, de quo in canone 996, § 2 et 3, dummodo coram ipsomet Ordinario et examinatoribus synodalibus fiat, sufficere possit saltem ad provisionem pro prima paroecia. - 6° Utrum examen, de quo in canone 130, § 1, sufficiat ad provisionem paroeciarum toto tempore quo sacerdotes illud subire tenentur, dummodo coram Episcopo et examinatoribus synodalibus fiat.

Resp.: Ad 1um: Ad 1^{am} partem providebitur in 2^{a}. Ad 2^{am} partem, *affirmative* si translatio fiat *proponente ac suadente* Ordinario; *negative* si fiat *ad instantiam* parochi, nisi Ordinarius cum examinatoribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perdurare, eamque esse sufficientem ad novam parochiam. - Ad 2um: Negative. - Ad 3um: Negative. - Ad 4um: Quatenus non sit provisum per responsionem ad 1um dubium, Ordinarius recurrat ad S. Congr. Concilii. - Ad 5um: Negative; nisi examen versetur etiam circa ea omnia, de quibus interrogandus sit cle-

[1] 24 Nov. 1920, CO. XII, 574.

ricus de paroecia providendus. - Ad 6um: Negative, salvo tamen praescripto § 2 eiusdem canonis ».

Ultra doctrinam in alias qualitates extendit officium examinatorum synodalium sequens § 4. *In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit*, quamvis enim leges hac de re fuerunt universaliter latae, verumtamen praxis earum est peculiaris, nempe: *per concursum*, qui est peculiare ac praescriptum a Conc. Trid.[1] « examen de qualitatibus et doctrina eorum qui paroeciam vacantem consequi desiderant », a) *sive specialem* idest: *ad normam const. Benedicti XIV « Cum illud »*[2] relatae in Codice, IV inter Documenta, b) *sive generalem* scilicet: aut pluries in anno de doctrina opportuno tempore, ut quando eveniet vacatio, perpensis aliis qualitatibus cum periculi exitu, paroecia provideatur; aut vacantes differendo paroecias providendas, utque uno peracto plurimorum sacerdotum concursu, aequius illae inter digniores distribuantur; in illis ergo regionibus *haec forma* nempe: alterutra usitata *retineatur* ex praescripto canonis, c) *donec Sedes Apostolica aliud decreverit*, forsitan inducendo uniformitatem ac moderando accuratas circumstantias ex Const. Benedictina servandas in concursu, etsi necessarias pro fine illius de emittendo iudicio secundum veritatem in recursu, quem concurrentes porrigunt adversus sententiam examinatorum vel Ordinarii loci in parochiae adiudicatione.

507bis. **Unitas paroeciae et parochi.** — In paroeciae collatione item servari oportet *can. 460*. § 1. *Parochus ad normam canon. 156* de incompatibilitate officiorum *unam tantum titulo* idest: tamquam propriam *paroeciam habeat*, hinc sequitur parochiale officium esse incompatibile ex iure cum altero pari officio stricte ecclesiastico, cuiusmodi non est commendatio ad tempus alterius paroeciae, *nisi de paroeciis agatur aeque principaliter unitis*: quae nempe, distinctae quoad cetera earum elementa, veluti unicum officium sunt propter unionem conferendae. - Hic paragraphus « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°), ut invenitur in cap. 28 de praebendis et dignitatibus X (III, 5): « De multa providentia fuit in Lateranensi concilio prohibitum, ut nullus... plures ecclesias parochiales reciperet contra sacrorum canonum instituta: alioquin recipiens sic acceptum amitteret, et largiendi potestate conferens

[1] C. 18 sess. XXIV de Ref. — [2] 14 Dec. 1742.

privaretur. Quia vero propter praesumptiones et quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de praedicto statuto fructus provenit: Nos evidentius et expressius occurrere cupientes: Praesenti decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habeat, eo sit ipso iure privatus »: quod etiam nunc viget ad normam can. 188, 3°. Et hoc confirmatum fuerat in Conc. Tridentino (cap. 4, sess. VII) hanc afferente rationem in cap. 17 sess. XXIV de ref.: « Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum: sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quae bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt... etc. ».

Vicissim § 2. *In eadem paroecia unus tantum debet esse parochus*, sed propter moralem personam, quae habitualem animarum curam habens verus est parochus, ex una parte, atque ex altera propter quosdam vicarios paroeciales, qui nomine parochi designantur ad normam can. 451 §§ 1 et 2, addit canon: « parochus », *qui actualem animarum curam gerat;* idque tam absolute, quod subinfertur: a) *reprobata contraria consuetudine*, b) *et revocato quolibet contrario privilegio*. Casus exceptionis in can. 4 positae.

508. **Officii initium exercendi.** — *Can. 461. Curam animarum* a) *parochus obtinet* cum eiusdem igitur iuribus et obligationibus implendis *a momento captae possessionis ad normam can. 1443-1445*, scilicet: quae per loci Ordinarium, sive ecclesiasticum virum ad id delegatum « fiat secundum modum, iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis ». - Sequitur in canone obligatio hac de causa servanda: b) *et ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu fidei professionem edere debet, de qua in can. 1406, § 1, n. 7* [1] ibidem explicanda.

[1] Can. 1406. § 1. Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur: - ... 7° Coram loci Ordinario eiusve delegato, Vicarius generalis, et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus.

CAN. 462. - Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur:

1° Baptismum conferre sollemniter;

2° Sanctissimam Eucharistiam publice ad infirmos in propria paroecia deferre;

3° Sanctissimam Eucharistiam publice aut privatim tanquam Viaticum ad infirmos deferre atque in periculo mortis constitutos extrema unctione roborare, salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, 848, § 2, 938, § 2;

4° Sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri;

5° Iusta funebria persolvere ad normam can. 1216;

6° Domibus ad normam librorum liturgicorum benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine;

7° Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat.

CAN. 463. - § 1. Ius est parocho ad praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normam can. 1507, § 1.

§ 2. Potiores exigens, ad restitutionem tenetur.

§ 3. Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit.

§ 4. Gratuitum ministerium ne degenet parochus iis qui solvendo pares non sunt.

CAN. 464. - § 1. Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti.

§ 2. Potest Episcopus iusta et gravi de causa religiosas familias et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et a iure non exemptae, a parochi cura subducere.

CAN. 465. - § 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.

§ 2. Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat.

§ 3. Dies quibus parochus piis exercitiis vacat ad normam can. 126, non computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus, de quibus in § 2.

§ 4. Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.

§ 5. Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis.

§ 6. Etiam pro tempore brevioris absentiae parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent.

CAN. 466. - § 1. Applicandae Missae pro populo obligatione tenetur parochus ad normam can. 339, quasi-parochus ad normam can. 306.

§ 2. Parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare.

§ 3. Ordinarius loci iusta de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur.

§ 4. Parochus Missam pro populo

applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

§ 5. Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia.

CAN. 467. - § 1. Debet parochus officia divina celebrare, administrare Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna caritate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione.

§ 2. Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant.

CAN. 468. - § 1. Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando.

§ 2. Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.

CAN. 469. - Parochus diligenter advigilet ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur, et opera caritatis, fidei ac pietatis foveat aut instituat.

CAN. 470. - § 1. Habeat parochus libros paroeciales, idest librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curet; et omnes hos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum vel a proprio Ordinario praescriptum, conscribat ac diligenter asservet.

§ 2. In libro baptizatorum adnotetur quoque si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, salvo praescripto canonis 1107, aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. In fine cuiuslibet anni parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu animarum.

§ 4. Paroeciali utatur sigillo habeatque tabularium, seu archivum, in quo memorati libri custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa servandis; quae omnia, ab Ordinario vel eius delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, religiose caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

509. **Functiones parocho reservatae.** — Incipiunt parochorum iura. *Can. 462. Functiones parocho* et aliis, « qui parochis aequiparantur » (can. 451, § 2) *reservatae sunt, nisi aliud iure* equidem scripto, quia dicitur: eodem *caveatur*, quod exceptionem constitueret: - 1° *Baptismum conferre solemniter;* - 2° *Sanctissimam Eucharistiam* a) *publice* b) *ad infirmos* c) *in propria paroecia deferre*, scilicet: in ea decumbentes ad normam can. 848, § 1 [1]: - 3° *Sanctissimam Eucharistiam* a) *publice aut privatim* sed b) *tamquam Viaticum ad infirmos deferre* eosdem ac

[1] Can. 848, § 1. Ius et officium sacram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium.

supra vi can. 850 [1], hoc est primum, *atque* secundum a) *in periculo mortis constitutos* b) *extrema unctione roborare*, in paroeciae territorio praedictos existentes, quamvis parocho non subditos « ex domicilio vel quasi-domicilio » ad normam can. 94, § 1, quia functiones ipsae parocho reservantur: a) *salvo praescripto can. 397, n. 3* quoad Episcopum decumbentem iuxta ibidem datam explicationem, quae hinc roboratur, b) can. *514* ibidem explicandi quoad degentes in religiosa domo, c) can. *848*, § *2*, scilicet: « ceteri sacerdotes id possunt (h. e. viaticum ministrare) in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii »; d) can. *938*, § *2* videlicet: « in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum (scilicet: extremae unctionis) ministrare potest »; - 4° Primo *sacras ordinationes*, secundo *et ineundas nuptias denuntiare:* ut explicabitur in respectivis titulis; tertio *matrimoniis assistere;* quarto *nuptialem benedictionem impertiri:* quae commentanda sunt in Tit. VII De matrimonio Lib. III. - 5° *Iusta funebria persolvere* idest: in eis praecipuam personam gerere *ad normam can. 1216* quando nempe « ecclesia funeris est ecclesia paroeciae »: - 6° *Domibus ad normam librorum liturgicorum*, scilicet: eorum in quibus divinus cultus publicus describitur ab ecclesiastica iubente auctoritate quoad precum formulas ac ritus in his servandos, *benedicere Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine;* - 7° *Fontem baptismalem* a) *in Sabbato Sancto benedicere*, b) *publicam processionem extra ecclesiam ducere* quamcumque intra parochiae territorium, pariter quaslibet Episcopo non reservatas c) *benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri*, ergo non comprehenduntur quaecumque intra ecclesiam fiant benedictiones, nec privatim ubicumque impertiantur: pro singulis horum in n. 7° recensitis parochus habet ius, hac cum exceptione: *nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat.*

510. **Iura quoad temporalia.** — Iura hucusque recensita functiones respiciunt, circa temporalia statuit *can. 463*. § 1. *Ius*

[1] Can. 850. Sacram communionem per modum Viatici, sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam canon. 848.

est parocho cum significatione iuridica, (can. 451, § 2) *ad praestationes* idest: emolumenta, *quas ei tribuit vel probata* quocumque modo etiam tacite *consuetudo vel legitima taxatio* scilicet designata *ad normam can. 1507*, § *1*. Quae talis est: « praefinire taxas huiusmodi est Concilii provincialis aut Conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit », per S. Congregationem Concilii aut S. Congregationem de Prop. Fide secundum regiones ad normam can. 250, § 2, 252. - Illaque taxatio vel consuetudine inducta vel ad Codicis praescriptum vigens decernitur iusta, dicente § 2. *Potiores* praestationes *exigens* parochus (non iam si sponte ipsi tribuantur) *ad restitutionem tenetur*. - Propter ius parochi § 1° sancitum necessario exoritur relative in suscipientibus eius ministerium iustitiae debitum easdem praestationes illi elargiendi. Quod ius adeo nectitur parochi officio, ut dicat § 3. *Licet paroeciale* i. e. proprium parochi v. gr. ex can. 462 et alibi *aliquod officium* h. e. ministerium vel actus *ab alio fuerit expletum*, etsi positive volente parocho, *praestationes tamen* etiam ultroneae illius causa *parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate* non probabiliter sed a) *certo constet* ac intelligenda b) *circa summam quae taxam excedit:* quia contra canonem non debet praevalere privatorum voluntas.

Charitatis non oblitus legislator addit § 4. *Gratuitum ministerium* sui officii *ne deneget parochus* ob huius canonis praescriptum *iis qui solvendo pares non sunt*. Hoc enim in casu Domini dictum urget: « Gratis accepistis, gratis date ». Quae obligatio urget quoque illos « qui parochorum nomine veniunt » (can. 451, § 2).

511. **Generale principium.** — Incipiunt obligationes, et primo universaliter loquitur signans subiectos curae pastorali *can. 464*. § 1. *Parochus ex officio* consequenter ex iustitia ob quasi-contractum *tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos* determinatos vi can. 94, *qui non sint legitime exempti;* scilicet: vel per sacros canones alibi explicandos vel ratione seq^{s}. § 2. *Potest Episcopus* a) *iusta* seu proportionata solummodo *et gravi de causa* b) *religiosas familias* cum tribus nempe votis publicis *et pias domos*, vel eorum nempe qui in communi vivunt more religiosorum, vel destinatas in pietatis vel

charitatis exercitium, c) *quae in paroeciae territorio sint* d) *et a iure non exemptae, a parochi cura subducere*, alteri sacerdoti committendas. Et hinc eruitur nova distinctio exemptionis a parochorum cura, videlicet: personae exemptae a iure aut ab Ordinario, utraque autem exemptio non est confundenda cum ampliore exemptione a locorum Ordinariis, quam innuit exemptio simpliciter dicta seu exemptionis privilegium.

Putamus hic opportune referri ex Instructione S. Congr^s^. de Prop. Fide [1] num. «.8) Similiter ex quasi-paroeciae erectione sequitur ut omnes ecclesiae, capellae vel oratoria, intra fines territorii quasi-paroeciae sita, subsidiaria habeantur et in eius ditione et dependentia maneant donec quasi-paroecialitatem consequantur vel a quasi-parochi cura exempta fuerint, ad normam can. 464 ».

512. **Residentiae obligatio.** — Greg. X in Conc. Lugd. II [2] ait: « Is etiam, qui ad huiusmodi (paroecialis Ecclesiae) regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam gerere possit, in parochiali ecclesia, cuius rector extiterit, residere personaliter teneatur ». Iure igitur illa generalis obligatio ut conditio ad ceteras plene adimplendas exprimitur in *can. 465.* § 1. *Parochus obligatione tenetur* a) *residendi* in loco beneficii seu intra paroeciae fines, sic enim interpretata fuit in iure praec. haec residentia ab auctoribus probatis, imo b) *in domo paroeciali*, quia eidem parocho destinata, vel ab eo saltem conducta, quae sita sit *prope suam ecclesiam*, uti norma generalis; *loci tamen Ordinarius potest* a) *iusta de causa permittere ut alibi commoretur* quoad domum, sed intra paroeciae fines, scilicet: b) *dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat.* Quod detrimentum forsan eveniens aliunde quam ex domus distantia est etiam considerandum in causae iustitia ponderanda. Facultas in loci Ordinario admissa provenit ex cit. cap. Decretalium in fine: « Super residentia vero (ut praemittitur facienda) possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit ». - Immo haec verba cum Decretis Conc. Trid. [3] sunt fundamentum sequentium praescriptionum canonis,

[1] 25 Iul. 1920, CO. XII, 332.
[2] Cap. 14. de electione et electi potestate (I, 6) in 6°.
[3] C. 1 sess. XXIII et c. 2 cess. VI de Ref.

quamvis nova videatur vacationum concessio ex § 2. *Eidem* parocho *abesse permittitur* iure huius canonis *per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos*, computandos igitur ad normam can. 34, § 2, *nisi* a) *gravis causa*, b) *iudicio ipsius Ordinarii, vel* a) *diuturniorem absentiam requirat vel* b) *breviorem tantum permittat;* quia respective iuris permissio coarctatur vel ampliatur quoad temporis limites. Similiter Conc. Trid. statuerat in c. 1. cit. « Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant ».

Talis gravis causa videtur iure in casu admitti, dum ait § 3. *Diebus quibus parochus piis exercitiis vacat ad normam can. 126* ibidem declaratam, *non computantur*, *semel in anno*, (sicut de capitularibus dictum est in can. 420 n. 7°) *in duobus vacationum mensibus, de quibus in* § 2° praecedenti.

Immediate ante verba supra citata Conc[i]. Trid[i]. sunt haec alia: « quandocumque eos, (curatos inferiores, et beneficiarios curam animarum habentes), causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant ». Huic ergo decreto apprime concordat illud moderans § 4. *Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura*, quae « constat 7 diebus » ex can. 32. § 1, (nam pro tempore brevioris absentiae extat infra § 6), sequitur canon: *parochus praeter* a) *legitimam causam* et hoc primo, etsi non gravem, scilicet: ut ait Conc. Trid. [1] « ex veris et rationabilibus causis coram Ordinario legitime probandis », *habere debet* b) *Ordinarii scriptam licentiam et* c) *vicarium substitutum* (sic appellatur in Codice sacerdos parochum hac de causa substituens) *sui loco relinquere* d) *ab eodem Ordinario* qui dat licentiam *probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea* e) *consensu Superioris* propter obedientiae votum, auctaque insuper conditione sub littera d): *et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet.*

Exceptionem in casibus continet § 5. *Si parochus* a) *repentina et* b) *gravi de causa discedere atque* c) *ultra hebdomadam cogatur abesse*, quia supra enunciatas sub litteris b) et d) con-

[1] C. 2 sess. VI de Ref.

ditiones servare nequit, *quamprimum* a) *per litteras Ordinarium commonefaciat* idest: conscium reddat de absentia huiusmodi, b) *ei indicans causam discessus et* c) *sacerdotem supplentem*, supponitur enim quod « debet vicarium substitutum sui loco relinquere » (§ . 4); et iubetur parochus de quo agitur in hoc paragrapho:, *eiusque* scilicet Ordinarii commoniti *stet mandatis* per obedientiam. - Hucusque de absentia ultra hebdomadam.

§ 6. *Etiam pro tempore brevioris absentiae*, ad summum 7 dierum, *parochus debet fidelium necessitatibus providere* v. gr. viciniorem rogans pro casu subveniendo inopinato, vel curam proprio marte idoneo sacerdoti delegans; *maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent* v. gr. infirmus graviter decumbens, inimicitiae quae latent inter aliquos parochianos, etc.

513. **Applicatio missae pro populo.** — Quatuor canones sequentes memorantur ea quae, ut ait Conc. Trid. [1] « praecepto divino mandata sunt omnibus, quibus animarum cura commissa est », atque addunt praecepti huius circumstantias. Sed praecipua obligatio videtur « ut offerat dona et sacrificia pro peccatis », ad hoc enim « constituitur in his quae sunt ad Deum », quae optime priorem locum nanciscitur, sicut specialiter tertius idest can. 468 de aegrotis mortique proximis commendandis sollicitus est, ac subsequens can. 469 de peculiari vigilantia et de utilibus mediis admonet parochum, pro tutandis fide, moribus ac pietate fidelium.

Can. 466. § 1. *Applicandae Missae pro populo* sibi commisso ex iustitiae *obligatione tenetur parochus*, necnon « vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali praediti sint » (can. 451, § 2), *ad normam can. 339*, *quasi-parochus ad normam can. 306*. Hi canones ab invicem differunt solummodo quoad numerum dierum, quia quasi-parochi adiguntur applicare Missae sacrificium, diebus festis (etiam Paschatis et Pentecostes dominicis) in Codice recensitis can. 1247, § 1, [2] omissis tantum ceteris diebus dominicis ac festo Circumcisionis, parochi vero « omnibus domi-

[1] C. 1 sess. XXIII de Ref.

[2] Can. 1247. § 1. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum:

Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi; Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

nicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis », atque, ut in can. 339 § 1 probavimus, confirmante Commissione ad Codicis can^es. auth. interpretandos, secundum praecedens ius contentum in Pii IX ep. encycl. « Amantissimi Redemptoris » [1], videlicet : « quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur ». Id unum excipit quod in § 3 cit. can. 339 est positum. Urbanus VIII in const. « Universa » [2] decrevit : « infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur », ac eosdem sub « Indice festorum » relato ad can. 339, § 1 recenset S. Congr. Concilii per illiusmodi Decretum [3] tum quoad illos qui partialiter comprehenduntur sub can. 1247, § 1, tum quoad alia festa suppressa.

Circa 2^m ac 3^m §§ can. 339 nihil addendum ibi adnotatis. Infra de § 4.

Quamvis § 5 can. 339 sit idem cum seq. § 2 huius can. 466, hic non caret sua utilitate, eo quod per hunc praecedens ius mutatur. S. enim C. Conc. [4] in Cameracen. ad « I. An parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate? respondit : Affirmative ». - Et S. C. de prop. Fide idem decreverat [5] his verbis : « Non teneri parochos nisi unam Missam pro populo offerre, quando secundam pro commoditate eiusdem populi in eadem parochia celebrant, ne scilicet fideles auditione Sacri priventur; teneri autem secundam Missam applicare pro populo cum duabus vel etiam pluribus parochiis praesunt, et secundam Missam celebrant pro populo diversae paroeciae ». - E contra statuit can. 466 in § 2. *Parochus qui* a) *plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut*, b) *praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat*, quae subaudit non extare ibidem personam plena potestate paroeciali praeditam, et hoc rite fit per exceptionem, atque confirmat interpretationem datam in can. 460, § 1, illud

[1] 3 Maii 1858. — [2] 13 Sept. 1642, § 2. — [3] 28 Dec. 1919, CO. XII, 43. — [4] 25 Sept. 1858. — [5] C. G. 17 Februarii 1772.

vero fit omnino canonice, *unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare.*

Etsi § 4 can^s. 339 de applicationis obligatione primario reali simul tamen personali, uti monstratum est ibidem, sit servandus quoque a parochis et quasi-parochis, attamen moderationes sequentes subit: et primo quidem applicationem differendam in alium diem concedit § 3. *Ordinarius loci iusta de causa*, v. gr. propter lucrandam Missae eleemosynam, qua parochus pauper aliter fraudaretur, *permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur.* De loco celebrationis huiusmodi missae applicandae ex praecedenti disciplina determinato ait § 4. *Parochus Missam pro populo applicandam celebret in Ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant;* v. gr. propter maiorem populi frequentiam in casu extraordinariae festivitatis, propter primam puerorum communionem in aliquo sanctuario paroeciae. Parochi prudenti iudicio exceptio relicta est.

Demum in casu aliquo eius arbitrio defert § 5. *Legitime* tantum *absens parochus* (secus tenetur per se) *potest Missam pro populo applicare* a) *vel ipse per se in loco in quo degit*, b) *vel per sacerdotem*, dummodo hic celebratam illam missam non debeat eadem die pro alio populo applicare, *qui eius vices gerat in paroecia.* Non per alium, nisi ad normam § 4, can. 339. Nec obliviscendum parocho est gravioris momenti pro conscientia praescriptum cit^i. can^s. in § 6.

514. **Aliae obligationes erga diversos fideles.** — *Can. 467.* § 1. *Debet parochus* a) *officia divina celebrare*, quin designentur; proindeque necessaria secundum anni tempora et dies, b) *administrare Sacramenta* omnia, quae ipsi commendata sunt, praesertim confessionis ac communionis *fidelibus*, *quoties* ipsa *legitime petant*, iuxta dicenda in Tit^s. (praesertim de his duobus sacramentis III et IV) Lib. III, c) *suas oves cognoscere* quoad earum mores *et errantes prudenter corrigere* auctoritate paterna, d) *pauperes ac miseros paterna caritate complecti* affectu pariter et effectu, e) *maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione*, a qua multa bona in societatem et Ecclesiam derivari queunt. Et haec urgent eum ratione praecepti pastoribus iniuncti ex iure divino quoad substantiam.

A Conc. Trid. tum in sess. XXII de observandis et evitandis in celebratione missae, tum in c. 4, sess. XXIV de ref., « omnibus locorum Ordinariis proponitur » moderatus § 2. *Monendi sunt fideles*, quin obligatio edicatur, *ut frequenter, ubi commode id fieri possit*, tunc enim exsulat excusatio et fructus monitionis erit prudenter expectandus, a) *ad suas nempe*: uniuscuiusque ad normam can. 94 singulas *paroeciales ecclesias accedant* b) *ibique divinis officiis* seu functionibus quoque ultra missam *intersint et verbum Dei audiant*. Ad has enim convenire praedictis de causis non obligantur, dummodo praeceptum Ecclesiae de missa audienda adimpleant, necessariamque instructionem religiosam possideant; sed minime cunctandum quod facilius ac perfectius in paroeciali ecclesia invenient securiora pascua, utpote benedictione coelesti ac Ecclesiae ordinatione praeparata.

515. **Obligationes circa aegrotos et defunctos.** — Attente perlegens parochus Tit[i]. V Ritualis romani capita 2, 4, 5, 7, inveniet modum servandi canonem sequentem, ac etiam perpendet quanto cum fundamento gravioribus verbis incipiat *can. 468*. § 1. *Sedula cura* quoad mentis diligentiam *et effusa caritate* quoad voluntatem et cordis affectum *debet parochus* a) *aegrotos in sua paroecia*, etsi parochiani non sint ad normam can. 94, et hunc sensum ad clausulas singulas extendere oportet ob contextum, *maxime vero* ob instantiam salvationis aeternae *morti proximos, adiuvare*, b) *eos sollicite* scilicet: prompte, quantum in eo sit, *Sacramentis reficiendo*, c) *eorumque animas Deo commendando*, tum durante infirmitate tum egressa anima, sicut bonus pastor.

Hac occasione conceditur nova ex iure facultas in fidelium favorem (conformis hodiernae de indulgentiis disciplinae) quam refert § 2. *Parocho aliive sacerdoti qui* ex quolibet motivo *infirmis assistat*, etsi eorum confessarius non fuerit, ratione assistentiae spiritualis *facultas est eis* scilicet: infirmis *concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis*, quam « in vero tantum articulo accipi » non in praesumpto declaravit Dec. S. C. Indulg. [1] ad 1^{m}., atque semel tantum dandam « eadem permanente infirmitate etsi diuturne »,

[1] 23 April. 1675.

pluries « si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat ».

Huc pertinet maioris momenti pro praxi Dec. S. Congr. Indulgentiarum...[1] « Cum in una Valentinen. sub die 5 Febr. 1841 sequenti dubio: Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? resolutionem dedisset: Negative in eodem mortis articulo, exinde quaeritur.

1° Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit, infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo benedictio papalis dicitur?

2° Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis a multis sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati Sanctissimi Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, Sanctissimae Trinitatis, etc?

Sac. Congregatio.... respondendum censuit. Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen, sub die 5 Februarii 1841 ».

Illa benedictio apostolica est concedenda, ut sequitur in canone: *secundum formam a probatis liturgicis libris traditam* quibuscumque v. gr. a Rituali Romano in Tit. V, cap. 6, et quae fuit invecta per Const. « Pia mater » Bened. XIV[2], de qua scire opus est ex Dec. S. C. Rit.[3] duas sequentes particulas: « I. Pro absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta a Constitutione s. m. Benedicti Papae XIV « Pia mater » addito tantum ad Confiteor nomine sancti proprii Fundatoris » quando agitur de regularibus aut tertiariis; atque ad III erat decretum: « Formula benedictina est praescribenda sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim, facto verbo cum Sanctissimo ». Denique responsum fuit Ad VIII^{m}.: « Regulas a Benedicto XIV praescriptas esse adamussim observandas », quae in rubricis ad illam formulam adiungi solent. Quas resolutiones Sanctitas sua approbare dignata est, ut in eo Decreto dicitur. - Nec otiose illa facultas est possidenda, propter quod iniungit demum canon: *quam benedictionem impertiri ne omittat*. Et sic explicit can. 468.

516. **Vigilantia specialis et fomentum pietatis.** — Cum « sine fide impossibile sit placere Deo » et « fides sine operibus mortua sit », fides ac mores sunt praecipue in populo christiano tutandi, eo magis quod adeo gravia et frequentiora nostra aetate

[1] Decr. auth. n. 362. 12 Martii 1855. — [2] 5 Ap. 1747. — [3] 7 Maii 1882.

subeunt pericula praesertim ex pravis doctrinis. Porro id cognoscere parochis facilius est propter frequentem ac fere domesticam communicationem cum fidelibus, propterea convenientissimus est *can. 469. Parochus diligenter advigilet ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur*, atque id non solum ad hoc ut Episcopum opportune certiorem reddat, sed ut per exhortationes ac monita paterna forsan privata medelam afferre et damna praecavere satagat. - Cum his relationem habet quod in can. sequitur: *et opera caritatis, fidei ac pietatis foveat* ut augmentum obtineant, *aut instituat*, si desiderantur; eo quod fides his operibus alitur, ac crescit. « iustus enim ex fide vivit ».

517. **De libris paroecialibus.** — Rit. romanum in Tit. X, cap. II ait: « Liber baptizatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Baptisma ». - « Liber confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur Chrisma ». - De aliis libris in eodem capite scriptum est: « Hi tres habeantur a quolibet parocho ». - Nunc in Codice can. 774, § 1 decernit: « Quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat fontem ».... et ex can. 785. § 1 « Episcopus obligatione tenetur sacramentum hoc confirmationis subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi, praesertim tempore visitationis dioecesis ». Ergo facile id evenire potest in qualibet Ecclesia parochiali. - Concorditer praedictis statuit generaliter *can. 470. § 1. Habeat parochus libros paroeciales*, et quosnam ita nominet, statim explicat: *idest* 1^m^. *librum baptizatorum*, 2^m^. *confirmatorum*, 3^m^. *matrimoniorum*, 4^m^. *defunctorum*, 5^m^. *etiam librum de statu animarum*, i. e. qui censum continet fidelium per familias cum adnotationibus sacramentorum susceptorum, *accurate conficere pro viribus curet*: sic recte monet, quia propter faciles mutationes habitationis personarum praedictus liber in sua confectione difficultatibus non vacat. De modo vero tales libros redigendi prosequitur: *et omnes hos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum* scilicet: in capit^s^. 3° et seq^s^. Tit^i^. X, Rit. Romani, *vel a proprio Ordinario praescriptum* pro diversitate ingeniorum et locorum (qui tamen modus substantialia servet) *conscribat*: quod verbum, quamvis proprie significet manu vel machina exarare per extensum, eidem aequipollet

subscriptio considerata scripturae huiusmodi per alterum factae, vel complementum foliorum typis compositorum. Sic §[us] explicit: *ac diligenter asservet* praefatos libros, cum ex eis sint desumenda testimonia publicae fidei, et valde necessaria pro sacramentorum dispensatione ac status diversi susceptione.

§ 2. *In libro baptizatorum adnotetur quoque*, unde imposterum margo sufficiens vel vacuus proximior locus libri ad has notationes provideri debet, *si baptizatus* a) *confirmationem receperit*, b) *matrimonium contraxerit, salvo praescripto can. 1107* quoad « matrimonium conscientiae non adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo », c) *aut sacrum subdiaconatus ordinem receperit*, d) *vel professionem solemnem emiserit, eaeque adnotationes*, e) *in documenta accepti baptismatis semper referantur*. Atque hoc modo utilitates inde consequentes salvae erunt. Praescriptum adnotationis quoad confirmationem in libro de statu animarum extat in Rit. Romano, sed adnotationum praefatarum in libro baptizatorum prima iniunctio fuit lata in Dec°. « Ne temere » [1] textu nunc inserto in can. 1103 [2], atque in praesenti canone illa iussio fuit circa alias adnotationes ampliata. Quoad modum ac substantiam earum alibi erit dicendum.

§ 3. *In fine cuiuslibet anni parochus authenticum* (saltem propter subscriptionem ac sigillum) *exemplar librorum paroecialium* quoad partem atque adnotationes illi anno respondentes *ad Curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu animarum*. Quia forsitan hic liber paroeciae fere unice necessarius est.

Propter parochorum praedictum munus, et archivi paroecialis custodiam eisdem assertam in can. 384, plura decernit sequens § 4. *Paroeciali* I° *utatur sigillo* scilicet: parochus, II° *habeatque tabularium seu archivum*, III° *in quo memorati libri custodiantur* habitualiter *una cum Episcoporum epistolis, aliisque documentis*, sive ab Episcopo sive ab aliis Ordinariis vel

[1] 2 Aug. 1907. — [2] Can. 1103..., § 2. Praeterea, ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

a privatis personis provenientibus, *necessitatis vel utilitatis causa servandis*: tales sunt, v. gr. communicationes receptae denunciationum matrimonialium alibi factarum, vel matrimonii in aliena parochia contracti a fideli hac in parochia baptizato, etc. Quarto: *quae omnia, ab Ordinario vel eius delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda*, quinto *religiose caveat*, i. e. quantum religioni congruit, *ne ad extraneorum manus* sive privatarum sive publicarum personarum *perveniant*. Salvo quidem iure inspectionis ac obtinendi transcriptionem documentorum pro his quorum interesse possit, ut in can. 384 est declaratum.

CAPUT X.

De vicariis paroecialibus.

Can. 471. - § 1. Si paroecia pleno iure fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, debet constitui vicarius, qui actualem curam gerat animarum, assignata eidem congrua fructuum portione, arbitrio Episcopi.

§ 2. Excepto casu tum legitimi privilegii aut consuetudinis, tum dotationis vicariae ab Episcopo factae, reservata sibi libera nominatione, vicarium praesentat Superior religiosus, Capitulum aliave persona moralis; loci autem Ordinarius eundem, si idoneum, servato praescripto can. 459, repererit, instituat.

§ 3. Vicarius si sit religiosus, est amovibilis sicut parochus religiosus de quo in can. 454, § 5; ceteri omnes vicarii ex parte praesentantis sunt perpetui, sed ab Ordinario possunt, ad instar parochorum, removeri, monito eo qui praesentavit.

§ 4. Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines.

Can. 472. - Vacante paroecia:

1° Ordinarius loci in ea quamprimum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, si de religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat, assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione;

2° Ante oeconomi constitutionem, paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit, assumat interim vicarius cooperator; si plures vicarii sint, primus; si omnes aequales, munere antiquior; si vicarii desint, parochus vicinior; si tandem agatur de paroecia religiosis concredita, domus Superior; loci autem Ordinarius in Synodo vel extra Synodum tempestive determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit;

3° Qui paroeciae regimen ad normam n. 2 assumpsit, debet loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorem facere.

Can. 473. - § 1. Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur, ac parochus, in iis quae animarum curam spectant; nihil tamen ipsi agere in paroecia licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut beneficii paroecialis.

§ 2. Oeconomus novo parocho vel oeconomo successori coram vicario foraneo vel alio sacerdote ab Ordinario designato tradat clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent, et rationem reddat accepti et expensi tempore administrationis.

Can. 474. - Vicarius substitutus qui constituitur ad normam can. 465, §§ 4, 5 et can. 1923, § 2, locum parochi tenet in omnibus quae curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint.

Can. 475. - § 1. Si parochus ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore, si de paroecia agatur religiosis concredita, qui suppleat eius vicem, assignata eidem congrua fructuum portione, nisi aliter provisum sit.

§ 2. Adiutori, si in omnibus suppleat parochi vicem, iura omnia et officia competunt parochorum propria, excepta Missae applicatione pro populo quae parochum gravat; si vero suppleat ex parte dumtaxat, eius iura et obligationes desumantur ex litteris deputationis.

§ 3. Si parochus sit sui compos, adiutor operam suam praestare debet sub eiusdem auctoritate secundum Ordinarii litteras.

§ 4. Quod si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat, locus est parochi amotioni ad normam can. 2147-2161.

Can. 476. - § 1. Si parochus propter populi multitudinem aliasve causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem detur unus vel plures vicarii cooperatores, quibus congrua remuneratio assignetur.

§ 2. Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata paroeciae parte.

§ 3. Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.

§ 4. Vicarios cooperatores religiosos Superior cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare.

§ 5. Vicarius cooperator obligatione tenetur in paroecia residendi secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut Episcopi praescriptum; imo prudenter curet Ordinarius, ad normam canon 134, ut in eadem paroeciali domo commoretur.

§ 6. Eius iura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumantur; sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione Missae pro populo.

§ 7. Subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat in cura animarum, et invigilet et saltem quotannis ad Ordinarium de eodem referat.

§ 8. Si nec per vicarios cooperatores spirituali fidelium bono consuli rite queat, Episcopus provideat ad normam can. 1427.

Can. 477. - § 1. Vicarii paroeciales de quibus in can. 472-476, si religiosi sint, amoveri possunt ad normam can. 454, § 5: secus ad nutum Episcopi vel Vicarii Capitularis, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali.

§ 2. Quod si vicaria sit beneficialis, vicarius cooperator removeri potest processu ad normam iuris, non solum ob causas propter quas alii parochi removeri possunt, sed etiam si graviter subiectioni defecerit parocho debitae in exercitio suarum functionum.

Can. 478. - § 1. Sicut parochus ecclesiae cathedralis, ita vicarius paroecialis Capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis; oeconomi vero ius praecedentiae regitur normis in canon. 106 statutis.

§ 2. Vicarii substituti et adiutores praecedunt dum in munere manent, vicariis cooperatoribus; hi aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis.

518. **Inscriptio capitis.** — Consequenter post canones de parochis ordinariam iurisdictionem pro foro interno habentibus propriam, sequitur *Caput* X de his, qui hunc gradum iurisdic-

tionis quandoque ordinariae, semper autem vicariae, habent: quod est prorterea inscriptum *De vicariis paroecialibus*, melius quam « parochorum », quatenus ab iis non constituuntur, sed eorum vicem gerunt in paroeciali ministerio.

519. **Diversi paroeciales vicarii.** — Quinque classes eorum in capite hoc recensentur, qui diversimode sunt appellati; scilicet: 1° « vicarius » simpliciter vel sine addito, qui est vicarius personae moralis parochi, seu vicarius cum actuali solum animarum cura, 2° « vicarius oeconomus », seu paroeciae vacantis. 3° « Vicarius substitutus » idest: parochi absentis, 4° « vicarius adiutor » scilicet: impediti parochi, et 5° « vicarius cooperator », videlicet: parochi nimia cura gravati animarum.

520. **Ordo canonum.** — De his singulis vicariis paroecialibus singuli canones tractant successive, quamvis duo canones vicarium oeconomum respiciant, igitur sex sunt can. 471-476: sequuntur canones 477 de amotione horum vicariorum, excepto vicario personae moralis parochi, et can. 478 de iure praecedentiae. Quae de singulis paroecialibus vicariis desiderentur, in relativo canone sub distinctis paragraphis erunt reperienda.

521. **De vicario simpliciter dicto** est *can. 471* § 1. *Si paroecia pleno iure fuerit unita*, scilicet quoad ipsius bona temporalia et paroeciale officium, a) *domui religiosae*, quamvis religionis votorum simplicium, b) *ecclesiae capitulari*, c) *vel alii personae morali* v. gr. eidem Capitulo, loco pio, vel etiam dignitati capitulari, iuxta illud cap. 30 de praebendis et dignitatibus (III, 5) « nisi forte dignitati vel praebendae parochialis ecclesia sit adnexa: in quo casu concedimus (Innoc. III in Conc. Gen.) ut qui talem habet praebendam vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori ecclesia deservire, in ipsa parochiali ecclesia, idoneum et perpetuum habeat vicarium canonice institutum, qui (ut praedictum est) congruentem habeat de ipsius ecclesiae proventibus portionem ». - In quolibet igitur casu paroeciae pleno iure, ut praedictum est, unitae iubet canon: *debet constitui vicarius*, scilicet: « personae moralis habitualem tantum curam animarum retinentis » (can. 452, § 2), a) *qui actualem curam gerat animarum* hinc vocandus proprie vicarius paroecialis, b) *assignata eidem congrua fructuum*, v. gr. ex bonis paroeciae unitae, *portione*, *arbitrio Episcopi* quoad sufficientem quantitatem, sub cuius « nomine venit quoque Abbas vel Praela-

tus nullius », ex can. 215, § 2; minime autem Vicarius generalis aut Capitularis, eo quod sit mutata formula cap. VII, sess. VII Conc. Trid. « cum tertiae partis fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super re certa assignanda ». In suo arbitrio illustrando Episcopus consulere potest Const. Pii V « Ad exequendum » an. 1567 in qua declarat, qualiter sit portio assignanda. Huius vero assignationis rationem assumere possumus ex cit°. Decretalium cap. 30: « Cum igitur os bovis ligari non debeat triturantis, sed qui altari servit, de altari vivere debeat: statuimus, ut (consuetudine qualibet episcopi vel patroni, seu cuiuslibet alterius non obstante) portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur ».

De iure nominandi ac instituendi praefatum vicarium praescribit § 2. *Excepto casu* a) *tum legitimi privilegii aut consuetudinis* scilicet legitimae, adversus paragraphi normam servandorum, b) *tum dotationis vicariae ab Episcopo factae* aliunde, quam ex fructibus paroeciae unitae aut personae moralis parochi, et cum hoc *reservata sibi libera nominatione*, *vicarium praesentat* a se designatum a) *Superior religiosus* pro religiosa domo, b) *Capitulum* pro ecclesia capitulari, c) *aliave persona moralis*, cui unita est paroecia; *loci autem Ordinarius*, cui proinde facienda est praesentatio, *eundem*, scilicet praesentatum, *si idoneum*, *servato praescripto can. 459* (ad praesentatum proinde extenso) *repererit*, *instituat*. Sub illa ergo conditione repertae idoneitatis obligatur Episcopus praesentatum instituere in vicarium.

De iure amovendi vicarium istum est § 3. *Vicarius* a) *si sit religiosus*, v. gr. quando paroecia sit domui religiosae unita, *est amovibilis* ratione personae *sicut parochus religiosus de quo in can. 454*, § 5: scilicet: « ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; etc. », quae omnia sunt in cit. can. declarata; b) *ceteri omnes vicarii ex parte praesentantis sunt perpetui*, quatenus eorum remotio nequaquam pendet a praesentante persona morali, *sed ab Ordinario possunt, ad instar parochorum*, scilicet: ad normam canonum de horum remotione, *removeri, monito eo qui praesentavit*, ut queat uti iure suo ad novum instituendum vicarium.

Cum autem remotio illa sit facienda ex can. 454, §1 « ad normam iuris », quae diversa est pro diversa inscriptione Titulorum Lib. IV. « De modo procedendi in remotione parochorum » (tituli XXVII) « inamovibilium », (tit. XXVII) « amovibilium »: exurgit dubium ad cuius tituli normam sunt amovendi vicarii paroeciales canonis 471? - Ad dubii solutionem iuvat referre cap. 7, sess. VII, Conc. Trid.: « Beneficia ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, et annexa reperiuntur » (brevius comprehensa initio canonis praesentis) « ab Ordinariis locorum singulis annis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos », nunc dicendum ad Codicis normam: inamovibiles, « nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur », scilicet: constituendo ipsos vicarios amovibiles, « ab eis... ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur »... Dubium ergo propositum rite videtur eluendum, si ad normam can. 20 quando « certa de re desit expressum praescriptum legis, sive generalis, sive particularis » sicut impraesentiarum; dicamus verba can. 471 « ad instar parochorum » implicite innuere praescriptum can. 454 de inamovibilitate et amovibilitate paroeciarum ampliandum esse ad vicarios curatos personarum moralium, eo magis quod est omnino consonum capiti citato Conc. Trid. ac iuri praecedenti.

Statuit ultimus § 4. *Ad vicarium exclusive*, scilicet: quin aliquis, etiam Superior personae moralis se immisceat, *pertinet tota animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam* a) *iuris communis et* b) *secundum probata statuta dioecesana* de parochis c) *vel laudabiles consuetudines*. Videlicet: praedicti « parochorum nomine in iure veniunt » ad normam canonis 451, § 2, 2°. Praeterea, hi vicarii munus habent stabiliter constitutum, quia vi § 1[1], uno deficiente alius subrogandus est vicarius; eorum munus ad normam § 2 est conferendum, et secum fert participationem ecclesiasticae potestatis ordinis ac iurisdictionis. Ergo huiusmodi munus est officium ecclesiasticum stricto sensu ad normam can. 145. - Immo quia potestas iurisdictionis parochorum est huius vicarii officio adnexa ipso iure § 4., sequitur eam esse ordinariam pro foro interno, quamvis non propriam ut in parochis, sed vicariam.

522. **De vicario oeconomo.** — Conc. Trid. in cap. 18 sessionis XXIV de Ref. decrevit: « debeat epicopus statim, habita notitia vacationis Ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere; qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur ». - Haec aliquatenus verbis moderata refert de vicario, quem oeconomum nominat, *can. 472*. *Vacante paroecia*: tria peragenda sunt a diversis personis:

1° *Ordinarius* loci ad normam can. 455 *in ea quamprimum, constituat* a) *idoneum*, nempe: qui talis iudicetur, salva proportione cum parocho, ad normam can. 453, § 2., *vicarium oeconomum*, b) *de consensu Superioris* constituendi, *si de religioso agatur* etsi votorum simplicium: et vicarii oeconomi munus describitur prosequente canone: *qui eam* paroeciam a) *tempore vacationis regat*, scilicet: potestate paroeciali, b) *assignata eidem parte fructuum* paroeciae vacantis *pro congrua sustentatione;* consideratis proinde circumstantiis loci, personae, etc.

Cum huius vicarii constitutio praehabitam vacationis paroeciae notitiam exigat, et adverbio « quamprimum » satisfiat etiam intra triduum, additur in canone: 2° *Ante oeconomi constitutionem* vicarii, *paroeciae regimen*, a) *nisi aliter provisum fuerit*, v. gr. in casu ab Episcopo removente parochum vel generaliter ex iure particulari scripto aut consuetudinario, quae provisio servanda foret utpote salva per illam canonis clausulam, convenienter autem mutaretur ad sequentem normam: b) *assumat interim* a momento vacationis paroeciae, ac per seipsum huius praescripti auctoritate *vicarius cooperator* cognoscendus ex can. 476; c) *si plures* huiusmodi *vicarii sint* equidem ordinati ad invicem, *primus;* d) *si omnes aequales*, *munere* cooperatoris illius paroeciae *antiquior*, munus autem cooperatoris, ut patebit in can. 476, est accidentale determinatae paroeciae; proinde *si vicarii desint* supple: cooperatores, e) *parochus vicinior;* et quia haec maior proximitas inter duos alios parochos posset dubia esse, providet legislator: *loci autem Ordinarius in Synodo vel extra Synodum tempestive* (praeveniens controversias et dubium regimen) *determinet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit*, determinatio inutilis quando certa est de facto, servanda e contra dum sit quomodocumque dubia, eo quod determinationis episcopalis obiectum non est quae revera sit vicinior, sed quae talis iure habenda sit ad effectum praescripti sub hoc numero.

3° *Qui paroeciae regimen ad normam n. 2 assumpsit*, etiam vi clausulae « nisi aliter provisum fuerit », *debet loci Ordinarium de paroeciae vacatione statim certiorem facere* fortassis nescientem, atque hoc ut n[i]. 1[i] praescriptum servari possit. Quando igitur assumens illud regimen certus est de notitia praedicta per Epicopum qualitercumque habita, sine culpa omittere

notitiam dandam posset vi regulae iuris XXXI in 6° « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet ».

523. **Munus vicarii oeconomi.** — Notandum ex n. 1° vicarium oeconomum constitui, ut paroeciam tempore vacationis regat, propter quod illius munus non est iure stabiliter constitutum, et consequenter nec constituit officium ecclesiasticum stricto sensu sumptum ad normam can. 145. - Imo eiusdem potestas de qua statim, non videtur ordinaria utpote non adnexa officio quod deest, quamvis iure ipso can^s. sequentis determinata. Contrarium vero asseritur quoad facultatem ad confessiones excipiendas de his qui loco parochi sunt in can. 873, § 1, quem locum habet vicarius oeconomus.

Sed in praxi parum refert an credatur ordinaria vel delegata ad universitatem negotiorum, eo quod hi vicarii oeconomi ad normam can. 451, § 2, n. 2, « parochorum nomine in iure veniunt » quia « plena potestate paroeciali sunt praediti », sicut statuit *can. 473*. § 1. *Vicarius oeconomus* a) *iisdem iuribus gaudet iisdemque officiis adstringitur, ac parochus, in iis quae animarum curam spectant*: extenso autem iuris principio can^s. 436 « sede vacante nihil innovetur », est hoc in loco additum: b) *nihil tamen ipsi* scilicet: vicario oeconomo *agere in paroecia licet, quod praeiudicium afferre possit* scilicet diminutionem, impedimentum, *iuribus parochi*, nempe: ab ipso ratione officii habendis, *aut beneficii* paroecialis ab eo possidendi, quatenus hoc sua dotatione seu bonis praeter officium constat.

Provisione autem paroeciae facta, vel alioquin cessante vicarii huius munere, cavet § 2. *Oeconomus novo parocho vel oeconomo successori* a) *coram vicario foraneo*, quem Episcopus pro his et similibus in usu ad manum habet, b) *vel alio sacerdote ab Ordinario designato*, atque ab illis distincto, *tradat* I° *clavem archivi et* II° *inventarium librorum* (praesertim parochialium) *ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent*, atque ordinarie in archivo repositum, quod igitur cum archivi clave inveniri supponitur apud vicarium oeconomum, qui prudenter initio sui muneris ea exquirat apud seipsum possidenda; *et* denique III° *rationem reddat*, illi et coram eo de quibus supra, *accepti et expensi tempore administrationis* paroeciae vacantis a seipso habitae.

524. **Vicarius substitutus.** — *Can. 474. Vicarius substitutus*, nempe: sacerdoti paroeciam legitime possidenti ac bene valenti per se administrare illam, verumtamen *qui constituitur ad normam can. 465, §§ 4, 5* propter parochi absentiam ultra hebdomadam, et sunt casus commissionis paroecialis curae a parocho factae, sub qua comprehenditur « a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii dispensare » (can. 1245, § 1), *et can. 1923* § 2 [1] occasione parochi privati sua paroecia per sententiam et contra illam adeuntis Sanctam Sedem, quo casu ab Ordinario ille substitutus est designandus; qui tamen uterque vi huius canonis 474 *locum parochi tenet* (bene notandum respectu habito ad can. 873, § 1) [2] *in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi* a) *Ordinarius loci* in quolibet casu, b) vel parochus solummodo in designatione ad normam can. 465, §§ 4, 5 *aliquid exceperint*. Qua exceptione non posita, Vicarius substitutus etiam parochorum nomine in iure veniret ad normam can. 451 § 2 n. 2°.

525. **Vicarius adiutor.** — *Can. 475.* § 1. *Si parochus* a) *ob senectutem*, cum nempe vires deficiunt, b) *mentis vitium* v. gr. debilitatem, vel amentiam, c) *imperitiam* scilicet: prudentiae aut scientiae defectum, « quia illiterati, et imperiti parochialium ecclesiarum rectores » ut ait Conc. Trid. [3] « sacris minus apti sunt officiis », d) *coecitatem*, quamvis non completam e) *aliamve permanentem causam* in persona eius, non transitoriam infirmitatem, qua durante sufficeret vicarius substitutus; quando ob quamlibet ex his causis parochus *suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem* proprie sic appellatum utpote praebentem auxilium debiliori, *praesentatum a Superiore*, ad instar Vicarii can. 471, § 2, *si de paroecia agatur religiosis concredita*, etsi domui religiosae non unita pleno iure, propter religiosorum dependentiam ex voto, *qui vicarius adiutor* a) *suppleat eius* deficientis parochi *vicem*, b) *assignata eidem* vicario *congrua fructuum* paroeciae *portione*,

[1] Can. 1923... § 2. Ad executionem privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit; sed si agatur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti.

[2] 1 Can. 873. § 1. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas... potiuntur... pro suo quisque teritorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt.

[3] Cap. 6 sess. XXI de Ref.

nisi aliter provisum sit casui praedicto. Idque conformiter sive capiti Conc. Trid. citato, sive capiti 3 de clerico aegrotante vel debilitato (III, 6). Etiam iste vicarius officium stricto sensu non habet, cum desideretur stabilitas constitutionis, ideoque nec potestate ordinaria gaudet.

Quoad eiusdem munus caute animadvertenda distinctio, quam affert § 2. *Adiutori*, I° *si in omnibus suppleat parochi* impotentis *vicem, iura omnia et officia competunt parochorum propria, excepta Missae applicatione pro populo quae parochum gravat*, hinc si celebrare parochus nequeat, sequatur normam § 4 can. 339, nec obliviscatur § 6 eiusdem can.; sed hac nor obstante limitatione officiorum vicarii adiutoris, cum iste « plena potestate paroeciali sit praeditus, parochorum nomine in iure venit » vi can. 451 § 2, 2°, et « parochi loco est » ad normam can. 873, § 1. Aliter dicendum in sequenti hypothesi: II° *si vero suppleat ex parte dumtaxat*, eo quod parochus adiutus non adeo sit impeditus, *eius* vicarii praedicti *iura et obligationes desumantur ex litteris deputationis* ab Episcopo eiusve iussu exaratae.

Pro utroque autem membro distinctionis servandus § 3. *Si parochus sit sui compos, adiutor operam suam praestare debet sub eiusdem* parochi *auctoritate secundum Ordinarii litteras*, quae designabunt normas relationis mutuae. Atque obligatio haec vicarii adiutoris est bene notanda, ut patebit in can. 477, § 2.

§ 4. *Quod si per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat*, hac igitur solum conditione, *locus est parochi* huiusmodi sive amovibilis sive inamovibilis *amotioni ad normam can. 2147-2161.*

526. **Vicarius cooperator.** — Praecedens canon subiectivas parochi conditiones, quae ipsum officio imparem reddunt, consideravit; sed quandoque ipsius vires quamvis magis vel minus completas superat paroeciae onus, et his casibus providet *canon 476*. § 1. *Si parochus propter populi multitudinem* ait Conc. Trid. [1] « unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo », sequitur in canone: *aliasve causas* v. gr. ex cap. 3 de ecclesiis aedificandis vel reparandis (III, 48): « pars populi tantum ab ecclesia parochiali distet, ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non pos-

[1] Cap. 4 sess. XXI de Ref,

sint parochiani sine magna difficultate ipsam adire; unde non valent congruo tempore ecclesiasticis interesse officiis ». Generaliter igitur causas innuens canon statuit: « si parochus » *nequeat, iudicio Ordinarii*, cui principaliter cura ovium dioecesis est iniuncta, *solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem* a) *detur unus vel plures vicarii cooperatores*, scilicet: simul cum eo vineam Domini paroecialem excolentes, b) *quibus congrua remuneratio* assignetur, vel fortassis « ex fructibus ad paroeciam quomodocumque pertinentibus, vel si necesse fuerit, compellendo populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam », prout suggerit Conc. Trid. loc. cit°., vel aliter iuxta prudens Episcopi arbitrium. Imo extare possunt beneficia in hoc munus erecta et cum eo providenda.

§ 2. *Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia*, quam regit parochus, *sive pro determinata paroeciae parte*, non sublata vero parochi regimini.

§ 3. *Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium*, solummodo *audito parocho, competit ius nominandi*, scilicet: personas designandi necessario a parocho recipiendas in *vicarios cooperatores e clero saeculari*.

§ 4. *Vicarios cooperatores religiosos*, et ob hanc rationem a) *Superior cui id ex constitutionibus* religionis *competit, audito* tamen *parocho, praesentat Ordinario*, b) *cuius est eosdem approbare*, si eosdem idoneos repererit, atque tali approbatione vicarios cooperatores constituit.

§ 5. *Vicarius cooperator* quilibet ratione sui muneris a) *obligatione tenetur in paroecia residendi*, non praecise ad normam canonis 465 de parochi residentia, sed *secundum statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines aut Episcopi praescriptum* forsitan eis derogans; b) *imo prudenter curet Ordinarius, ad normam can. 134* de consuetudine vitae communis suadenda, et ubi viget servanda, *ut in eadem paroeciali domo commoretur*. Obligatio tamen huius commorationis non decernitur.

§ 6. *Eius*, scilicet: vicarii cooperatoris *iura et obligationes* a) *ex statutis dioecesanis*, b) *ex litteris Ordinarii* qui potest illis derogare, c) *et ex ipsius parochi commissione desumantur*, et en alius delegationis casus quoad potestatem paroecialem; gegeneraliter ergo hi vicarii 1° non gaudent plena paroeciali potestate, nec parochorum nomine in iure veniunt (can. 451, § 2

n. 2°), II° potestatem paroecialem obtinent ex commissione parochi, non iure ipso, ac proinde delegatam (can. 197); III° nec officium stricto sensu habent, quia non est ordinatione ecclesiastica stabiliter sed ab homine constitutum, nisi agatur de beneficio cum hoc cooperatoris vicarii munere adnexo. Aliqua obligatio generalis edicitur in canone, videlicet: *sed, nisi aliud expresse caveatur*, supple in statutis vel in Episcopi litteris vel in parochi commissione, quod servandum esset in casu illo; alias vicarius cooperator *ipse debet ratione officii* cooperatoris a) *parochi vicem supplere*, servatis servandis quoad licentiam vel potestatem requisitam obtinendam, b) *eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio* saltem rogatus, a) *excepta applicatione Missae pro populo:* quae tamen eidem deferri posset sicut alii sacerdoti.

Immo ex § 7. *Subest parocho, qui eum*, scilicet: quemlibet vicarium cooperatorem a) *paterne instruat ac dirigat in cura animarum*, b) *ei invigilet* etiam quoad alia c) *et saltem quotannis*, idest: semel in anno ad minus *ad Ordinarium de eodem referat.* His servatis, unitas in regimine mutuaque benevolentia foveri possunt. Iste ac praecedens paragraphus suadent Episcopum ac Superiorem in designandis vicariis cooperatoribus prudenter acturos, si deferant parochi audito consilio ad normam §§ 3, 4.

Denique § 8. *Si nec per vicarios cooperatores spirituali fidelium bono consuli rite queat*, nam e contrario si possit, abstinendum esset a sequenti servando praecripto, *Episcopus provideat ad normam can. 1427* [1] scilicet: per paroeciae divisionem aut dismembrationem.

527. **Vicariorum paroecialium remotio.** — Cum tantummodo de vicarii personae moralis amotione in huius capitis can^{e}. primo dictum sit, de ceteris vicariis decernit *can. 477*. § 1. *Vicarii paroeciales de quibus in can. 472-476*. a) *si religiosi sint, amoveri possunt ad normam can. 454*, § 5 de parochi religiosi amotione

[1] Can. 1427. § 1. Possunt etiam Ordinarii ex iusta et canonica causa paroecias quaslibet, invitis quoque earum rectoribus et sine populi consensu, dividere, vicariam perpetuam vel novam paroeciam erigentes, aut earum territorium dismembrare.

§ 2. Causa canonica ut divisio aut dismembratio paroeciae fieri possit, ea tantum est, si aut magna sit difficultas accedendi ed ecclesiam paroecialem, aut nimia sit paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequeat ad normam can. 476, § 1.

ibidem explicatam; b) *secus* nempe: si religiosi non sint, amoveri possunt *ad nutum Episcopi vel Vicarii capitularis*, scilicet; ad beneplacitum uniuscuiusque prudenter directum, quamvis causa non sit in iure expressa, nec processus requiritur, *non autem* ad nutum *Vicarii generalis sine mandato speciali*. Qui casus limitationis quoad Vicarii generalis iurisdictionem mente retineatur.

Monitio necessaria sequitur in § 2. *Quod si vicaria sit beneficialis, scilicet*: in beneficium proprie dictum erecta iuxta canon. 1409 [1] de natura beneficii ecclesiastici, *vicarius cooperator removeri potest* a) *processu ad normam iuris*, non ad nutum praedictum in § 1°, sed b) *non solum ob causas propter quas alii parochi removeri possunt* recensitas in can. 2147, § 2, qui est primus in Titulo XXVII, lib. IV de modo procedendi vi huius §i. servando, c) *sed etiam si graviter subiectioni defecerit parocho debitae* ad normam §§ 6, et 7 cans. praecedentis *in exercitio suarum functionum*, et circa hoc tantum.

528. **Praecedentia inter eos.** — *Can. 478.* § 1. *Sicut parochus ecclesiae cathedralis*, ac proinde is quoque, *ita vicarius paroecialis Capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis*, scilicet: alteruter primum locum obtinet inter hos omnes de quorum praecedentia mutua nihil cautum est in Cap. IX de parochis; *oeconomi vero*, scilicet: Capituli cathedralis propter numerum verbi singularem atque ob adversativam particulam «vero»: illius ergo *ius praecedentiae regitur normis in can. 106 statutis*. Quae cum sint generales, non erant memorandae utiliter, nisi vellet legislator quidquam innuere per hanc citationem. Et ni fallor, quia oeconomus quilibet magis quam substitutus locum parochi teneat, eidem est applicanda norma ex n. 1° cans. 106: « Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam », eo amplius quod de praecedentia oeconomorum prae aliis vicariis paroecialibus quibuscumque, nihil aliud caveatur, et oeconomi vicarii potiori ratione quam substituti debeant praecedere vicariis cooperatoribus quod ultimum viget iuxta § 2. *Vicarii substituti et adiutores praecedunt, dum in munere manent, vicariis cooperatoribus*, velut constitutis in gradu

[1] Can. 1409. Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.

inferiori ratione muneris, dum illi ad invicem aequiparantur; *hi* supple vicarii cooperatores *aliis sacerdotibus* tantummodo *ecclesiae paroeciali addictis*.

CAPUT XI.

De ecclesiarum rectoribus.

Can. 479. - § 1. Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, confraternitatis vel alius legitimae associationis, serventur particularium canonum praescripta.

Can. 480. - § 1. Ecclesiarum rectores libere nominantur ab Ordinario loci, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu Ordinarii est rectorem approbare.

§ 2. Licet ecclesia pertineat ad aliquam religionem exemptam, rector tamen a Superiore nominatus debet ab Ordinario loci approbari.

§ 3. Si ecclesia coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel collegii est simul ecclesiae rector, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.

Can. 481. - In ecclesia sibi commissa rector functiones paroeciales peragere nequit.

Can. 482. - Ecclesiae rector potest divina officia etiam sollemnia ibidem celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali: in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.

Can. 483. - Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire ibique divinis officiis interesse:

1º Loci Ordinarius gravibus quoque statutis poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat;

2º Parochus potest ex eadem sanctissimum Sacramentum, inibi ad normam can. 1265 forte asservatum, pro infirmis desumere.

Can. 484. - § 1. Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia, saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.

§ 2. Quod attinet ad conciones in ecclesia habendas, serventur praescripta can. 1337-1342.

Can. 485. - Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare seu advigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.

Can. 486. - Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, Ordinarius loci removere ad nutum potest ex qualibet iusta causa; quod si rector fuerit religiosus, servetur, circa eius remotionem, praescriptum can. 454, § 5.

529. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Ultimo perpendendum est *Caput* XI inscriptum *De ecclesiarum rectoribus*: de illis videlicet sacerdotibus, quibus demandata est cura solum

earum et rerum ad eas pertinentium, actuumque divini cultus atque ceterorum qui in eis fiunt, ad hoc ut participata Episcopi auctoritate omnia haec regant seu moderentur, quamvis revera iurisdictione non potiantur, carentes subditis.

Ordo canonum in hoc capite solitus est; videlicet: rectores ecclesiarum accurate discernit can. 479, et sequens canon agit de rectoris nominatione, ac praenuntiante quid non possit rector can^{e}. 481, ipsius potestas et obligationes enumerantur in can. 482-485, quibus additur ultimus de ipsorum amotione.

530. **Rectoris ecclesiae notio.** — *Can. 479.* § 1. *Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt*, scilicet: in hoc Capite ac ex consequenti praesumendum in Codice: *sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae*, ita scilicet determinatae: *quae* a) *nec paroecialis sit*, b) *nec capitularis*, nam de istarum cura provisum est in capitibus « de parochis » et « de capitulis canonicorum », c) *nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret*, scilicet: altaris ministeria, illius enim cura est propria Superioris, iuxta inferius dicenda in parte secunda.

Aliae adhuc ecclesiae vel oratoria sunt ex huius capitis consideratione eliminanda de quibus indirecte agit § 2. *De cappellano* a) *religiosarum*, scilicet: sacris deputato in earum ecclesia vel oratorio, b) *sodalium virorum religionis laicalis*, quamvis exemptae, c) *confraternitatis vel alius legitimae associationis* ad normam ss. canonum, ad earum sacras functiones explendas sive in propria cappella sive in aliena ecclesia: de his omnibus *serventur particularium canonum* Codicis *praescripta*, posita ut plurimum in secunda et tertia parte huius primi libri.

531. **Nominatio et approbatio.** — *Can. 480.* § 1. *Ecclesiarum rectores libere nominantur ab Ordinario loci, salvo iure eligendi aut praesentandi* sacerdotem, *si cui* personae physicae vel morali *legitime competat* praedictum ius: *quo in casu Ordinarii est rectorem* illum *approbare*: scilicet: potestate huius muneris donare.

§ 2. *Licet ecclesia pertineat ad aliquam religionem exemptam*, cuius domui tamen non sit adnexa iuxta § 2^{m}. praecedentem, *rector tamen a Superiore nominatus debet ab Ordinario loci approbari*; ut videtur, propter publicum eius ministerium erga Ordinarii loci subditos.

Deputatio fit a iure in casu § 3. *Si ecclesia coniuncta sit cum Seminario aliove collegio* instructionis vel educationis *quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel Collegii est simul ecclesiae* illius *rector, nisi aliter loci Ordinarius constituerit*, prout relinquitur eius potestati.

532. **Limites potestatis.** — *Can. 481. In ecclesia sibi commissa rector functiones paroeciales*, scilicet: parocho reservatas ad normam can. 462, *peragere nequit.*

533. **Potestas.** — *Can. 482. Ecclesiae rector potest* qua talis *divina officia*, scilicet sacerdotales functiones, *etiam sollemnia ibidem celebrare*, a) *salvis legitimis fundationis legibus, et* b) *dummodo non noceant ministerio paroeciali*, quamvis ea in ecclesia non exercendo; *in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne*, ad sopiendas controversias *Ordinarii loci est* a) *rem dirimere* b) *et opportunas normas praescribere ad illud evitandum* forsan existens vel probabiliter futurum.

534. **Obligationes sub conditione.** — Immo ex connexione materiae decernit *can. 483. Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint* a) *paroecialem ecclesiam adire* b) *ibique divinis officiis interesse*, dum alteri ecclesiae sunt viciniores:

1°. *Loci Ordinarius, gravibus quoque statutis poenis, potest rectori praecipere*, a) *ut horis populo commodioribus officia celebret*, non solum missae sacrificium, quamvis illud praecipue, b) *fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet*, c) *et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat:*

2°. *Parochus potest ex eadem* ecclesia *sanctissimum Sacramentum, inibi ad normam can. 1265* [1] tunc explicandam *forte asservatum, pro infirmis* praesertim morti proximis *desumere* iure proprio.

[1] Can. 1265. § 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret:

...2° Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.

§ 2. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus.

535. **Licentia necessaria.** — Econtra statuit *can. 484.* § 1. *Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia:* scilicet vel Ordinarii loci, si Ecclesia sit eidem subiecta, vel illius qui locum rectoris tenet in aliis ecclesiis ad normam can. 479. a) *nemini* etiam parocho *licet* a) *in ecclesia Missam celebrare*, b) *Sacramenta ministrare*, v. gr. audiendo confessiones, c) *aliasve functiones peragere* v. gr. benerictiones cum Ssmo. Sacramento; - *haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris:* scilicet: servatis tum ecclesiasticis legibus sive communibus sive particularibus, tum consuetudinibus quoad earum applicationem.

Specialiter memoratur in § 2. *Quod attinet ad conciones in Ecclesia habendas, serventur praescripta can. 1337-1342* posita in Tit. XX « de divini verbi praedicatione » Lib. III.

536. **Cura et vigilantia.** — *Can. 485. Rector Ecclesiae*, primo ac semper a) *sub auctoritate Ordinarii loci, servatisque* data opportunitate b) *legitimis statutis ac* c) *quaesitis iuribus* aliarum personarum, *debet curare seu advigilare* cum efficaci prudentia a) *ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in Ecclesia celebrentur*, b) *onera fideliter adimpleantur* v. gr. missarum celebrandarum, novendialium, etc., c) *bona rite administrentur* quaecumque ad Ecclesiam pertineant, d) *sacrae supellectilis* scilicet: rerum ad cultum divinum dicatarum *atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur*, et e) *ne quidquam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet*, v. gr. confabulationes, deambulationes, concentus profani et alia quae meminit Conc. Trid. in Decreto « de observandis et evitandis in celebratione missae » sess. XXII.

537. **Remotio rectoris Ecclesiae.** — *Can. 486. Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum*, a) *Ordinarius loci removere ad nutum potest ex qualibet iusta*, idest, proportionata *causa;* b) *quod si rector fuerit religiosus* etsi votorum simplicium, *servetur, circa eius remotionem, praescriptum can. 454.* § 5, quod loquitur de remotione parochi religiosi.

PARS SECUNDA.

De religiosis.

CAN. 487. - Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.

CAN. 488. - In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine.

1° *Religionis*, societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt;

2° *Ordinis*, religio in qua vota sollemnia nuncupantur; *Congregationis monasticae*, plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore; *religionis exemptae*, religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta; *Congregationis religiosae* vel *Congregationis* simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;

3° *Religionis iuris pontificii*, religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *iuris dioecesani*, religio quae ab Ordinario erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;

4° *Religionis clericalis*, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis;*

5° *Domus religiosae*, domus alicuius religionis in genere; *domus regularis*, domus Ordinis; *domus formatae*, domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes;

6° *Provinciae*, plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens;

7° *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *regularium*, qui in Ordine; *sororum*, religiosae votorum simplicium; *monialium*, religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quorum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;

8° *Superiorum maiorum*, Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.

CAN. 489. - Regulae et particulares constitutiones singularum religionum, canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt.

CAN. 490. - Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

CAN. 491. - § 1. Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pon-

tificii, Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie servetur praescriptum can. 106, n. 5.

§ 2. At clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias atque etiam in eorum ecclesiis, si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum.

Religio est societas —[1]

- — 1° a legitima ecclesiastica auctoritate approbata; nempe: —
  - — ab Apostolica Sede, vel saltem laudis decretum est consecuta — *Religio iuris pontificii*
  - — ab Ordinariis erecta, illudque laudis decretum nondum obtinuit — *Religio iuris dioecesani*
- — 2° in qua sodales —
  - — plerique sacerdotio augentur — *Religio clericalis*
  - — sacerdotio non augentur — *Religio laicalis*
- — 3° secundum ipsius societatis leges —
  - — a iurisdictione Ordinarii loci subducta ex Apostolico privilegio — *Religio exempta*
  - — Ordinarii loci iurisdictioni subiecta — *Religio non exempta*
- — 4° vota publica nuncupant —
  - — quandoque solemnia, vel saltem ita essent ex instituto — *Ordo*
  - — dumtaxat simplicia, sive perpetua sive temporaria, elapso tamen tempore renovanda —
    - — *Congregatio* vel
    - — *Congr. religiosa*
- — 5° constans saltem complete —
  - — *Congregationibus monasticis*, seu —
    - — coniunctione inter se (sub eodem *Superiore maiore, Abbate Congregationis monasticae*) —
      - — *Monasteriorum sui iuris* cum *Abbate*, *Superiore maiore* virorum
      - — *regularium*
  - — *Provinciis*, seu —
    - — coniunctione inter se *domuum* (sub eodem *Superiore maiore*) partem eiusdem religionis constituente —
      - — vel *regularium* —
        - — *virorum regularium* —
        - — *monialium*
      - —
        - — *formatarum* et
        - — *non formatarum*
      - — vel *religiosarum* —
        - — *religiosorum votorum simplicium*
        - — *sororum*

538. **Inscriptio partis secundae.** — Postquam in parte prima Libri secundi Codicis iuris canonici tractatum est ac dispositum de clericis tum in genere, tum in specie circa singulos gradus et officia a Summo Pontificatu usque ad Ecclesiarum simplices rectores, ac de his personis physicis seu de constitutis per eas

[1] Vide can. 488.

moralibus personis statuta sunt iura et obligationes; oportet iam inspicere canonum praescripta, quae continet *Pars secunda* eiusdem libri inscripta: *De religiosis*, circa quod verbum adnotat D. Th. [1]: « quod quamvis religiosi dici possint communiter omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes; sicut etiam contemplativi dicuntur, non qui contemplantur; sed qui contemplationi totam vitam suam deputant. Huiusmodi autem (scilicet religiosi) non se subiiciunt homini propter hominen, sed propter Deum, secundum illud Apostoli [2]: " Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum " ». - In iure autem hoc vocabulum designat « illas personas in Ecclesia, quae statum religiosum, prout hic est in eius foro externo ac legislatione admissus, amplexae sunt ». - Sed inscriptio illa partis secundae « De religiosis » est interpretanda de illis personis physicis in Ecclesia (ac de personis moralibus quae ex illis constant), quae praeter primam saltem tonsuram quam receperunt et qua clerici sunt, vel absque illa praeter cooptationem in Ecclesiam ob baptisma susceptum proindeque laici, statum religiosum coram Ecclesia sunt amplexae, hisque accensentur aliae personae se disponentes ad illum statum assumendum, veluti postulantes ac novitii, atque ceterae quae ad instar religiosorum sine statu eorum vitam in communitate ducunt. Propter hanc nempe similitudinem sortitae sunt similem legislationem optime positam in Titulo XVII huius Partis ultimo, sicut etiam canones de postulantibus et novitiis locum sibi iure vindicant in hac Parte ob tractatus perfectionem.

539. **Status religiosus.** — Huc pertinet utiliter consulendus art. I q. CLXXXIII, II-II Summae D. Th., ubi S. Doctor concludit: « solum id videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personae hominis, prout scilicet aliquis est sui iuris vel alieni, et hoc non ex aliqua causa levi, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente; et hoc est quod pertinet ad rationem libertatis vel servitutis ». Optime igitur status religiosus vocatur, et prout accipitur in iure ecclesiastico definitur in *canone 487. Status religiosus seu* 1° *stabilis* quatenus proprio tantum arbitrio relinqui nequit, quamvis auctoritate interveniente

[1] II-II quaest. LXXXI art. I ad quintum. — [2] Galat. IV, 14.

Ecclesiae possit gravi ex motivo causa stabilitatis, nempe: votum dispensari, 2° *in communi vivendi modus*, scilicet: uniformis tenor actionum humanarum servandus, idque non singulariter (quamvis posset absolute ita servari) sed cum aliis seu in communitate: unde implicite regula seu statuta erunt necessaria, ut uniformitas servanda omnibus innotescat: 3° *quo fideles*, equidem solum hi, nam « sine fide impossibile est tum placere Deo », tum status eiusdem adimplere obligationes illi beneplacito collimantes, videlicet: *praeter communia praecepta*, nempe: aliis etiam fidelibus imposita per quodcumque ius, sive naturale sive divinum-positivum sive ecclesiasticum: in quorum praeceptorum observantia principaliter consistit perfectio christianae vitae, sicut idipsum demonstrat (et modum quoque) D. Th. in art. III q. CLXXXIV, II-II: ubi etiam ostenditur: « secundario et instrumentaliter perfectionem illam consistere in consiliis »; hinc optime in canone dicitur: praeter illa praecepta, 4°. *evangelica quoque consilia servanda* non omnia, quia « status religionis est quaedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi: ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diversis, sicut etiam medicus ad sanandum uti potest diversis medicamentis. Manifestum est autem quod illi qui operatur ad finem, non ex necessitate convenit quod iam assecutus sit finem, sed requiritur quod per aliquam viam tendat in finem. Et ideo ille qui statum religionis assumit, non tenetur.... ad hoc quod illa impleat quae ad perfectionem charitatis consequuntur (puta quod aliquis maledicenti benedicat, et alia huiusmodi); tenetur autem ut ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnens, unde non peccat, si ea pratermittat, sed si ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quae determinate sunt ei taxata secundum regulam quam professus est ». - De his habet S. Doctor in eadem quaest. CLXXXVI, II-II, non autem in eodem art. II, sed in VII « ad secundum dicendum, quod omnes aliae religionum observantiae ordinantur ad praedicta tria principalia vota, nam si qua sunt instituta in religionibus ad procurandum victum, puta labor, mendicitas et alia huiusmodi, referuntur ad paupertatem; ad cuius conservationem religiosi per hos modos victum suum procurant. Alia vero quibus corpus maceratur,

sicut vigiliae, ieiunia, et si qua sunt huiusmodi, directe ordinantur ad votum continentiae observandum. Si qua vero in religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei et proximi (puta lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud huiusmodi), comprehenduntur sub voto obedientiae quod pertinet ad voluntatem, quae secundum dispositionem alterius suos actus ordinat ad finem. Determinatio autem habitus pertinet ad omnia tria vota, tamquam signum obligationis. Unde habitus regularis simul datur vel benedicitur cum professione ». - Unde in canone optime asseritur: consilia servanda 5° *per vota obedientiae*, quod « est praecipuum inter tria vota religionis » (ib. art. VIII corp.), *castitatis et paupertatis suscipiunt*, quia per illorum emissionem trium votorum, saltem implicitam in uno, fit initium status pro unoquoque religioso, atque « ex tribus illis votis status religionis integratur », ut probat D. Th. in art[i]. VII corp[e]. citatae quaestionis, postquam monstravit in praecedentibus art. III-VI: ex eo quod « status religionis est quoddam exercitium et disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis », et ad illum « requiritur subtractio eorum per quae homo impeditur ne feratur totaliter in Dei servitium »; 1°. « religiosis competit ut per voluntariam paupertatem cuncta exterius derelinquant », 2°. « perfectio religionis requirit continentiam », 3°. « obedientia requiritur ad perfectionem religionis », et 4°. « religionis status requirit, ut ad haec tria aliquis voto obligetur ».

Explicit canon ita praescribens: talis status religiosus *ab omnibus in honore habendus est*, non tantum sic abstracte ac in se consideratus, sed in quacumque legitima forma de facto extet. Atque iure prorsus omnino: illa enim consilia evangelica, praeceptis etiam servatis, fuerunt a divina incarnata Sapientia omnibus proposita, quicumque in suae libertatis laudabilem usum vellent ad perfectionem contendere; ac in sacris litteris invenitur: « Vovete, ac reddite Domino Deo vestro », et ex persona Christi dicitur in Psalmo XXI: « Vota mea reddam in conspectu timentium eum »: loquitur autem de corpore suo, quod est Ecclesia. Leo itaque XIII in ep. « Au milieu » [1] optime concludit: « C'est pourquoi partout où l'Eglise s'est trouvé en possession de sa liberté, partout où a été respecté le droit naturel

[1] 23 Déc. 1900.

session de sa liberté, partout où a été respecté le droit naturel de tout citoyen de choisir le genre de vie qu'il estime le plus conforme à ses goûts et à son perfectionnement moral, partout aussi les Ordres religieux ont surgi comme des auxiliaires précieux du saint ministère et de la charité chrétienne ». - Meritoque inter interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas connumeratur « 30. Item, utrum credat, religiones ab Ecclesia approbatas a sanctis Patribus rite et rationabiliter introductas ».

Transit legislator ad considerandum statum religiosum in concreto, hoc est: sub diversis conditionibus illius legitimae existentiae coram Ecclesia, unde multiplicatur ille status in accidentalibus sibi; contenditque Codex ad quasdam classes illas varietates redigere, ac verborum significationes iuridicas pro illis, illarum portionibus et membris fixas statuere, ut sic vitentur confusiones, quas pati hac in re apud Auctores atque diversa documenta usque nunc quicumque facile potest.

540. **Verborum significatio.** — *Can. 488. In canonibus qui sequuntur*, atque his verbis certo exprimit Codex illos in hac parte secunda intextos: posset quidem illa referri loquutio ad ceteros canones usque in finem, de his autem sicut de praecedentibus hanc secundam partem recte admittemus easdem verborum significationes ad normam can. 18 [1], nisi ratio evidens ex rei natura vel contextu canonis petita suaderet contrarium: quam exceptionem non admitterem in quoquam huius secundae partis canone, quia in huius 488 initio dicitur absolute: *veniunt nomine*:

1°. *Religionis*, *societas*, imperfecta quidem utpote pars Ecclesiae et huius participans universaliorem finem, *a legitima* iuxta ss. canones *ecclesiastica auctoritate approbata*, et sic personae moralis rationem sortita iuxta can. 100, § 1, *in qua sodales* i. e. membra seu socii, *secundum proprias ipsius societatis leges*, scilicet: scriptas normas cum obligatione in conscientia saltem ad poenam, ut in pluribus, et quae in can. 489 regulae et constitutiones, sicut solitum est, appellantur, *vota publica* nempe: « nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ec-

[1] Can. 18. Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam: quae si dubia et obscura manserit ad locos Codicis parallelos, si qui sint . . . . . est recurrendum.

clesiastico acceptata » ut declaratur in can. 1308, § 1, *perpetua vel temporaria*, haec *elapso tamen tempore renovanda*, sive adhuc temporaria, sive perpetua, *nuncupant*, *atque ita*, scilicet: per horum votorum illarumque normarum observantiam *ad evangelicam perfectionem* scilicet: charitatis *tendunt*. Nam ut probat D. Thomas [1], « secundum charitatem specialiter attenditur perfectio chistianae vitae ».

Ut discernamus evangelicam de qua in canone ab alia perfectione de necessitate salutis, considerare oportet cum D. Thoma quod [2]: « importat perfectio quamdam universalitatem, quia... perfectum est cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari . . . - Tertia autem perfectio est quae neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis (prout scilicet Deus tantum diligitur, quantum diligibilis est), neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc quod semper actu feratur in Deum (quae perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria), sed quantum ad hoc quod excludantur ea, quae repugnant motui dilectionis in Deum; sicut Augustinus dicit: quod « venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas ». Et talis perfectio potest in hac vita haberi; et hoc dupliciter: uno modo inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale; et sine tali perfectione charitas esse non potest, unde est de necessitate salutis; alio modo in quantum ab affectu hominis excluditur non solum illud quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum; sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus et proficientibus ». Et ad hanc secundam tendunt religiosi, quae in canone dicitur evangelica, eo quod Iesus Christus ad eam invitat dicens: *Si vis perfectus esse*.

Definitio data generalis est omnibus personis moralibus, quae naturam status religiosi prae se ferunt, et in qua definitione praeter communia elementa: societas, perfectio evangelica ad quam tendunt, tria vota determinata nuncupanda, sunt alia quae distinctionem patiuntur salva status religiosi essentia, videlicet: vota quatenus publica, regimen societatis, approbatio legitima, et sodalium qualitas clericalis vel laicalis; hinc profluunt sequentes divisiones religionum.

Igitur veniunt nomine 2° *Ordinis*, *religio in qua vota solemnia nuncupantur* quandocumque, etsi nuncupatio simplicium votorum praecedat; propter regimen venit nomine *Congregationis monasticae*, *plurium monasteriorum sui iuris*, seu ex natura eorum ad invicem independentium, *inter se coniunctio sub eodem Superiore;* item ratione regiminis, venit nomine *re-*

[1] II-II q. CLXXXIV art. 1. — [2] Ib. art. 2 cit. quaest.

ligionis exemptae, *religio sive votorum solemnium* de qua in initio numeri, *sive simplicium* (et de hoc altero divisionis membro in fine dabitur denominatio) *a iurisdictione Ordinarii loci* cuiuscumque *subducta*, cui iurisdictioni subdita religio recte diceretur « non exempta »; demum nomine *Congregationis religiosae vel Congregationis simpliciter*, hoc est: sine addito, *religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur*.

Sequitur distinctio ac denominatio ratione approbationis: 3°. *Religionis iuris pontificii*, *religio quae vel approbationem* sicut Ordines iam existentes *vel saltem laudis decretum* iuxta normas S. C. EE. et RR. [1] « de novis Institutis votorum simplicium » *ab Apostolica Sede est consecuta; iuris dioecesani*, *religio quae ab Ordinariis erecta* legitime per ipsorum auctoritatem, *hoc laudis decretum* S. Sedis *nondum obtinuit*.

Denique propter sodalium qualitatem sortiuntur nomina 4° *Religionis clericalis*, *religio cuius plerique sodales*, scilicet: ut plurimum et concorditer ad instituti naturam *sacerdotio augentur* (non aliqui tantum et ex instituti derogatione): in hac vero etiam hypothesi, scilicet: *secus* ac declaratum fuit, *est laicalis*. Sequuntur appellationes diversarum partium religionis in genere huiusque sodalium; videlicet: 5°. *Domus religiosae* nomine venit *domus alicuius religionis in genere; appellatione domus regularis* venit *domus Ordinis; et* denominatione *domus formatae*, venit *domus religiosa*, cuiuscumque igitur religionis, etiam Ordinis, sub hac conditione: *in qua* domo *sex saltem religiosi professi degunt* quamvis votorum simplicium, *quorum, si agatur de religione clericali*, alia est necessaria conditio: *quatuor saltem sint sacerdotes*; - 6° *Provinciae* nomine intelligenda est *plurium religiosarum domorum* (etsi non monachorum) *coniunctio sub eodem Superiore*, quae differt a Congregatione monastica, quia ista non est sicut illa *partem eiusdem religionis constituens*, scilicet: societatis cum pleno regimine sub eodem supremo Moderatore. Veniunt 7°. *Religiosorum* nomine *qui vota nuncuparunt* simplicia vel solemnia *in alivotorum simplicium, qui in Congregatione religiosa*, horum

[1] 28 Iun. 1901.

ergo tantummodo votorum; tum *regularium qui in Ordine* vota quamvis simplicia nuncuparunt, in quo tamen vota etiam solemnia emittuntur; respective audiunt denominatione *sororum, religiosae votorum simplicium* in huiusmodi Congregatione; *monialium* appellatione, *religiosae votorum solemnium*, comprehensis quidem et aliis religiosis, quae ibidem nuncuparunt vota simplicia, prout haec debent ante solemnia emitti ex iure, ac potiore ratione secundum id quod sequitur in canone: *aut, nisi ex natura rei*, v. gr. quia de solemni voto in ss. canonibus agatur, *vel ex contextu sermonis* forsan illud praesupponentis *aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto* quod profitentur *sunt solemnia*, v. gr. religiosae non tertiariae Ordinis S. Dominici, *sed pro aliquibus locis* v. gr. in Gallia et in Belgio *ex Apostolicae Sedis praescripto* earum vota *sunt simplicia*. Designantur 8° *Superiorum maiorum* appellatione, a) *Abbas Primas* Benedictinorum ad S. Anselmum in Urbe, b) *Abbas Superior Congregationis monasticae*, c) *Abbas monasterii sui iuris, licet ad Congregationem monasticam pertinentis*, qua in hypothesi duos habet illud Superiores maiores, imo tres praedictos, si ordinis fuerit S. Benedicti; d) *supremus religionis* cuiuscumque *Moderator*, e) *Superior provincialis;* f) *eorundem* quinque singulorum *vicarii aliique* (postremi) quocumque nomine appellentur v. gr. commissarii, visitatoris, dummodo sint *ad instar provincialium potestatem habentes*, scilicet: saltem erga plures domos religiosas quae constituant partem religionis.

541. **Regulae et constitutiones ante Codicem.** — *Can. 489. Regulae et particulares constitutiones singularum religionum*, qua tales, videlicet: normae uno vel altero vocabulo appellatae, quas can. 488 n. 1° in religionis definitione « proprias ipsius societatis leges » vocavit, siquidem *canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant* obligandi ad culpam vel ad poenam, sicut antea; *quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt*. Praevalent ergo canones, non secus ac statuit can. 6 n°. 1° [1] de veris legibus particularibus.

[1] Can. 6. Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque: — 1° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur.

Notare oportet regulas et constitutiones particulares considerari qua tales in canone, accidere namque posset, ut in eis exprimerentur privilegia Religioni alicui concessa per documentum S. Sedis ab eis distinctum, et tunc eis applicandus esset non hic canon 489, sed generalis norma can. 4 [1], vel specialis pro religiosis can. 613. - Regulae, tum praecipuae S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, tum aliae attinguntur etiam a canone, si qua parte ipsarum forent Codicis canonibus contrariae. Demum quae ab Apostolica Sede etsi per particularem legem decreta fuerant dupliciter Constitutionibus recenter approbatis aut revisis inserta sunt. Primo in calce Constitutionum, praesertim quae legenda erant singulis annis vel scitu magis necessaria. Secundo velut pars integrans Constitutiones simul interiecta aliis regulis. In prima hypothesi nulla est dubitandi ratio, quia utpote leges tantum ecclesiasticae, si non fuerunt in Codicem relatae, vim obligandi amiserunt vi can. 6, n. 6. « Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est ». - Idem repetendum, si Constitutionibus inserta fuerint cum adnotatione legis ecclesiasticae, propter quam in illis hoc statuatur. - Si autem talis constitutio cum lege ecclesiastica solum concordans esset, attamen, quamvis uti lex ecclesiastica omissa in Codice desinat certe obligare, debet ut constitutio propria considerari, ac vim huiusmodi normae servare, nisi verificetur de ipsa quod sit alicui ex ss. canonibus opposita.

Huc referri debet Dec. S. Congr. de Religiosis [2]: « Haec igitur S. Congregatio vi praesentis Decreti mandat ut omnia et singula Instituta seu Congregationes Religiosarum Iuris Pontificii, seu etiam Piae Societates mulierum sine votis ad modum Religiosarum in communi viventium a S. Sede approbatae, libros quosvis ut supra, recensitos, videlicet continentes consuetudines, usus aut similes, quocumque nomine veniant, *Direttorio*, *Coutumier* etc., apud eas in usu, nec non preces proprias Instituti, in communi recitari solitas, intra terminum unius anni ad eamdem S. Congregationem transmittant.

Curent autem Revmi. Ordinarii locorum, in quibus Supremae Moderatrices alicuius Instituti et Congregationis mulierum, de quibus agitur in praesenti Decreto, commorantur, ut illas quamprimum de imposita obligatione certiores faciant: easque admoneant non prohiberi in Institutis et Congregationibus respectivis dictorum librorum usum, quousque ab hac S. C. aliter, si casus ferat, statuatur ».

Et antea Emni. Patres « opportunum indicarunt praescribendum... ut idem exigatur in novis Institutis approbandis ».

[1] Can. 4. Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expressé revocentur.

[2] 29-31 Martii 1919, CO. XI, 239.

542. **Significatio generis vocabulorum.** — *Can. 490. Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus*, scilicet: has significant iuridice, *nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet;* nec dubium sufficit ad exceptionem.

543. **Ius praecedentiae.** — Cognita religionum distinctione, de iure praecedentiae, tum inter eas, tum religiosos inter ac alias personas primae ac secundae partis huius Libri praescribit *can. 491*: § 1. *Religiosi* ob consecrationem divino servitio per vota, proindeque etiam singuli, *praecedunt laicis* qua talibus; *religiones* quaelibet v. gr. Congregationes iuris dioecesani, eo quod sint *clericales*, « praecedunt » etiam Ordinibus exemptis, qua *laicalibus;* scilicet, ut personae morales considerantur, idemque dicatur de sequentibus: *canonici regulares* v. gr. Ssmi. Salvatoris *monachis* v. gr. Ordini Camaldulensium; *monachi* ex. gr. ordo S. Benedicti *ceteris regularibus* v. gr. ordini S. Dominici; *regulares* v. gr. ordo Carmelitanorum *Congregationibus religiosis;* ubi relatio praecedentiae statuitur inter « regulares », quod verbum posset significare personas physicas, et « Congregationes religiosas » designantes personam moralem, sed diluitur ex data interpretatione haec dissonantia; *Congregationes iuris pontificii* praecedunt *Congregationibus iuris dioecesani; in eadem specie* iuxta recensionem diversarum *servetur praescriptum can. 106, n. 5* agens de personis moralibus, atque sic confirmatur interpretatio supraposita. - Quia personae morales, simul convenientes collegialiter ac invicem ordinandae, erunt communitates domuum religiosarum, non ipsae religiones, scriptum illud erit semper servandum, non obstante praecedentia forsan diversimode declarata inter quosdam ordines per Bullas Pontificias; nec derogatae sunt dispositiones a Pio X pro familiis fratrum Minorum editae per litt. ap. « Seraphici Patriarchae »[1]. Animadvertatur qualitatem iuridicam exemptionis praetermitti ad ius praecedentiae quod attinet. Similiter recte arguitur ex canone clericos regulares hac de causa tantum Ordinibus Fratrum non praecedere.

§ 2. *At clerus secularis* collegialiter incedens (non singuli clerici, de quorum praecedentia cum aliis personis ecclesiae physicis dictum est in can. 119 et can. 106, 1° - 4°.) *praecedit*

[1] 15 Aug. 1910, n. I-VII; CO. II, 713.

tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias v. gr. in processionibus quae ex alienis ecclesiis procedunt, vel in actibus quae in huiusmodi ecclesiis peraguntur, *atque etiam in eorum ecclesiis*, quoad actus intra eas perficiendos, vel processiones ab ipsis egressuras, *si agatur de religione laicali; Capitulum vero cathedrale vel collegiale eisdem* religiosis quibuslibet *praecedit ubique locorum.*

544. **Divisio huius partis in titulos.** — Postquam normae generales huic secundae parti praemissae sunt, canones de religiosis proponuntur per novem Titulos logico distributos ordine. Religió est societas, et in qualibet societate opus est considerare initium ipsius societatis partiumque praecipuarum eius quae ipsam proximius integrant, cui initio correlativus finis optime in rebus humanis simul consideratur, maxime si utilitas inde consequatur v. gr. in praesenti re cognitio exceptionum primae regulae iuris. Primum ergo locum sibi exposcit: « Titulus IX. De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus ». - Postea in societate distinguantur oportet pars formalis, nempe: auctoritas regens illam in finem suum, et sodales illius qui veluti materia et vere membra societatis sunt. Hinc sequuntur canones: sub « Tit°. X. De religionum regimine », atque sub aliis referuntur diversa, quae statuere necesse est circa subditos; scilicet: primo qualiter in societatem hi addicantur canonice, de quo agit « Tit. XI. De admissione in religionem », et quia completae admissioni in quibusdam religionibus, studia scientiarum sacrarum immediate subsequuntur, consequens est « Tit. XII. De ratione studiorum in religionibus clericalibus ». Ex his cognita ordinataque intima religionum societate, sponte sequitur edicere ius in « Tit. XIII. De obligationibus et privilegiis religiosorum », quae posteriora significant iura sive communia cum clericis sive propria eorum. - Religiones sunt quidem societates veluti necessario in Ecclesia pullulantes propter eius fecunditatem sanctitatis; sed voluntariae quoad ingredientes in eas, eo quod ad salutem ipsorum non sunt necessariae, utpote ad consiliorum exercitium destinatae, atque adhuc remanent post earumdem amplexum hypothetice voluntariae, quia interventu saltem Ecclesiasticae auctoritatis, cui a Iesu Christo est concredita status religiosi moderatio, salva ipsius ex iure divino substantia, possunt membra illarum ex quacumque religione

ac quolibet in stadio egredi, immo etiam a votis per dispensationem in Dei nomine concessam liberari. Proinde gradatim haec omnia statuuntur, quibus nempe modis canonice sit dispensatio perficienda: in « Tit°. XIV. De transitu ad aliam religionem », per quem status religiosus qua talis non deseritur, in « Tit°. XV. De egressu e religione », qui voluntarie fiat et licite, quamvis prudentiae legis positivae non effugiat egressus illicitus legibus compescendus, ac denique sub « Tit°. XVI. De dimissione religiosorum », ne ipsae religiones peioris sint conditionis quam religiosi ex titulo praecedenti. Hunc Titulum XVI excipit alius XVII propter connexionem similitudinis cum statu religioso: nempe: « De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis ».

TITULUS IX.

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

CAN. 492. - § 1. Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis, condere possunt Congregationes religiosas: sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur.

§ 2. Congregatio iuris dioecesani, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, remanet dioecesana, Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane subiecta.

§ 3. Nec nomen nec habitus religionis iam constitutae assumi potest ab iis qui ad illam legitime non pertinent aut a nova religione.

CAN. 493. - Quaelibet religio etiam iuris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate.

CAN. 494. - § 1. Religionem pontificii iuris in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire, ad unam pertinet Sedem Apostolicam.

§ 2. Exstincta provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatorem generalem cum suo Consilio.

CAN. 495. - § 1. Congregatio religiosa iuris dioecesani in alia dioecesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare; Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa ne deneget.

§ 2. Si ad dioeceses alias eam propagari accidat, nihil de ipsius legibus mutari licet, nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus aedes habeat salvis iis quae, ad normam can. 492, § 1, Sedi Apostolicae fuere subiecta.

CAN. 496. - Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel

ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri.

CAN. 497. - § 1. Ad erigendam domum religiosam exemptam, sive formatam sive non formatam aut monasterium monialium, aut in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis quamlibet religiosam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus; secus, satis est Ordinarii venia.

§ 2. Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis; pro omnibus religionibus, pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis.

§ 3. Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.

§ 4. Ut constituta domus in alios usus convertatur, eaedem sollemnitates requiruntur de quibus in § 1, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur.

CAN. 498. - Domus religiosa sive formata, sive non formata, si ad religionem exemptam pertineat, supprimi nequit sine beneplacito apostolico; si ad Congregationem iuris pontificii non exemptam, supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci; si ad Congregationem iuris dioecesani, sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis Moderatore, salvo praescripto can. 493, si de unica domo agatur, salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam.

545. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — Est igitur primo considerandus *Titulus IX* inscriptus *De erectione* scilicet: de diversis actibus iure explendis ad canonicam existentiam, *et suppressione* rite decernenda *religionis* cuiuscumque in 488 canone, n. 1° definitae, *provinciae* nobis notae ex n. 6° eiusdem canonis, *et domus*, quae diversae fuerunt propositae in n. 5° ibidem. Inscriptio non memorat Congregationem monasticam, sed hanc moderatam inveniemus per tituli canones, quorum est sequens ordinata distributio.

Postquam de erectione, vel simul cum ea, statim decernitur de relativa suppressione, primo quidem circa religiones in can. 492, 493, secundo quoad provincias et Congregationes monasticas in can. 494; de diversis autem constituendis domibus tres canones proponuntur 495-497, quibus nectitur ultimus de ipsarum suppressione sub n. 498.

546. **Erectio novae religionis.** — Quia in praesenti disciplina, secus ac tempore transacto, ordines non primo conduntur, sed per diversos canonicos gradus ad hoc stadium ascendere possunt, de religionum erectione est solus *can. 492.* § 1. *Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius generalis*, nisi ex delegatione, mandatum enim speciale hoc in canone omis-

sum non sufficeret, *condere possunt* scilicet: auctoritatem interponere ad erigendas *Congregationes religiosas; sed eas ne condant*, si fundatores sint ipsi, *neve condi sinant* per alios fideles, *inconsulta Sede Apostolica;* prout fuit praescriptum et explicatum a Pio X motu proprio « Dei providentis » [1].

En tenor ipsius documenti scitu necessarii: « I. Nullus . . . loci Ordinarius, nisi habita Aplcae. Sedis per litteras licentia, novam . . . sodalitatem condat ; aut in sua dioecesi condi permittat. - II. Ordinarius, huius licentiae impetrandae gratia, nunc adeat S. Congr. de Religiosis, per libellum supplicem, quo haec docebit: quis qualisve sit . . . auctor, et qua causa . . . ad eam instituendam ducatur; . . . sodalitatis nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia, partes habitus . . . gestandi; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistat. - III. Accepta S. Congr. venia, nihil iam obstabit ad institutionem novae sodalitatis; et probatae conditiones antedictae, numquam deinceps, nisi S. Congregatione consentiente, immutare licebit ».

Sic vitari potest in Ecclesia omne id quod confusionem inducere potest. Nam, ut ait D. Th. [2]: « confusio opponitur distinctioni et ordini. Sic ergo ex multitudine religionum induceretur confusio, si ad idem et eodem modo diversae religiones essent absque necessitate et utilitate. Unde, ut hoc non fiat, salubriter institutum est ne nova religio, nisi auctoritate Summi Pontificis, instituatur ». Hoc aiebat secundum canonicum ius tunc temporis vigens de ordinibus, quod etiam in iure Codicem praec.e ac ipso in Codice de novis religionibus erigendis cautum est.

Praeter consultationem praelaudatam, requiritur quandoque alia conditio, sicut in canone exprimitur: *quod si agatur de tertiariis*, v. gr. S. Dominici, S. Francisci, B. M. V. de Monte Carmelo, *in communi viventibus*, qui tertiarii regulares vulgo dicuntur, *requiritur praeterea ut a Supremo Moderatore primi Ordinis* nempe: a Generali Superiore *suae religioni aggregentur*, uti futura illorum Congregatio.

§ 2. *Congregatio iuris dioecesani*, scilicet: ex praecedentis §[i] erectione, *quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa* ad normam can. 495, § 1, *usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio* saltem per decretum, *caruerit, remanet dioecesana*, quod ita explicatur: *Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris*, non pro eorum libitu, *plane subiecta.*

§ 3. *Nec nomen nec habitus religionis iam constitutae assumi potest* seu deferri *ab iis* a) *qui ad illam legitime non pertinent* a) *aut a nova religione*. Ita est ampliata praescriptio cap. 3 de

[1] 15 Iul. 1906, nn. I-III.
[2] II-II quaest. CLXXXVIII, art. 1 ad 4m.

regularibus et transeuntibus ad religionem (III, 31) « Ut clerici, qui se fingunt habitu et nomine monachos, et non sunt, corrigantur; ut veri monachi sint, vel veri clerici ». Aliter facientes mendacium facto incurrunt.

547. **Suppressio religionis.** — Regula prima iuris: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur » fallit ex *can. 493. Quaelibet religio* a) *etiam iuris dioecesani tantum*, b) *semel legitime condita*, c) *etiamsi unica domo constet*, a) *supprimi nequit nisi a Sancta Sede*, b) *cui etiam reservatur de bonis* temporalibus *in casu* suppressionis *statuere*, quibusnam personis illa bona cedere debeant, c) *semper tamen salva offerentium voluntate*, qui in determinatum usum ea donaverint, vel casui praedicto prospexerint. Hinc propter hunc canonem nemo erit rationabiliter a donationibus tribuendis retrahendus ob timorem frustrandae suae intentionis. — Ablata est Episcopis potestas supprimendi Congregationes dioecesanas obtenta ex n. VI° *motu pr.* « Providentis Dei », Pii X: « Praefataeque associationes semel approbatae nequeunt extingui nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis qui eas admiserunt in propriis diocesibus »..

548. **Distributio religionis in provincias.** — *Can. 494*, § 1. *Religionem pontificii iuris*, ergo etiam Ordinem, quia non ait Congregationem, a) *in provincias dividere*, quando has illa nondum habeat, b) *constitutas iam provincias coniungere*, quamvis tantum in persona unius Superioris, c) *vel aliter* quoad constitutos limites territorii *circumscribere*, d) *novas condere* v. gr. ex domibus nullius provinciae, e) *conditasve supprimere* sine coniunctione cum alia provincia, f) *monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire*, supponitur enim illa non posse inveniri extra monasticam Congregationem iuxta Decretum Conc. Trid. in cap. 8 sess. XXV de Regularibus et monialibus; atque ita explicit paragraphus: omnia praedicta facere *ad unam pertinet Sedem Apostolicam*.

Pro casu cavet § 2. *Extincta provincia, de eius bonis statuere* temporalibus, *salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat*, a) *nisi constitutiones aliud caveant*, quod esset prae canone servandum, b) *ad Capitulum generale*, si tunc eius immineat celebratio, c) *vel extra tempus Capituli, ad Moderatorem generalem cum suo Consilio* dante votum deliberativum ex Capituli Generalis substitutione ipsi a canone tributa.

549. **Erectio domus Congregationis iuris dioecesani** — Acturus Codex de domuum religiosarum erectione, praemittit ex motu pr. Pii X citato normas IV^{m} et V^{m} circa dioecesanas Congregationes. — *Can. 495.* § 1. *Congregatio religiosa iuris dioecesani in alia dioecesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario.* a) *tum loci ubi est domus princeps,* etsi ex domo alterius dioecesis proficiscantur religiosi ad incolendam novam domum, b) *tum loci quo velit commigrare;* et quia loquitur de Congregatione constituente « domos » in dioecesi diversa ab ea in cuius territorio « est domus princeps », sequitur ex « propria significatione verborum in textu et contextu considerata » vi can. 18. in hoc canone agi de primo ingressu « in aliam dioecesim » praefatam, non iam quando in ea multiplicandae sint domus, de quarum erectione loquitur can. 497. — Adiungit canon limitem voluntati Ordinarii loci domus principalis: c) *Ordinarius autem loci unde excedit,* ab eo dandum *consensum sine gravi causa ne deneget.* Consequenter Superiores Congregationis religiosae contra irrationabilem eius oppositionem recursum iure interponerent apud S. Congregationem de religiosis.

§ 2. *Si ad dioeceses alias* etiam unam praeter dioecesim originis, (sicut expressius in motu pr. « Providentis Dei » ex quo desumptus est integer hic canon), « Congregationem religiosam iuris dioecesani », hoc est: *eam propagari accidat, nihil de ipsius legibus* scilicet: regulis aut constitutionibus *mutari liceat, nisi de consensu singulorum Ordinariorum, quorum in dioecesibus aedes habeat,* scilicet: unanimi, quia econtra non esset consensus singulorum, idque conformiter ad iuris regulam XXIX in 6°. « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari »; *salvis iis* supple: legibus, ut supra, *quae, ad normam can. 492,* § 1, per consultationem ac iuxta n.^{m} III citatum motus pr. « Providentis Dei », *Sedi Apostolicae fuere subiecta.*

550. **Erectio domus religiosae.** — Sequitur de cuiuscumque domus religiosae erectione *can. 496. Nulla religiosa domus erigatur,* et cum prohibitione loquens legislator indigitat conditionem prius extituram; videlicet: *nisi iudicari prudenter possit* morali certitudine viri prudentis, a) *vel ex reditibus propriis* scilicet; Congregationis bonorum domui addictorum, b) *vel ex consuetis eleemosynis* iam praecedentibus concessioni novae

domus, c) *vel alio modo congruae* secundum conditionem religiosorum *sodalium habitationi et sustentationi* per victum et vestitum *provisum iri*.

551. **Licentia requirenda.** — Nunc de necessaria licentia pro diversarum domuum religiosarum erectione cavet *can. 497*. § 1. *Ad erigendam* I° *domum religiosam exemptam*, idest: religionis exemptae, quamvis haec sit tantum Congregatio, additur vero: *sive formatam sive non formatam*, II° *aut monasterium monialium*, « quarum nempe vota ex instituto sunt sollemnia » (can. 488, 7°), III° *aut in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis* ad normam can. 252, § 3 *quamlibet religiosam domum, requiritur* a) *beneplacitum Sedis Apostolicae* per S. C. de Prop. Fide in eius territoriis, in aliis per S. C. de Religiosis, simul *et* b) *Ordinarii loci consensus* non iam verbotenus, sed c) *in scriptis datus;* IV° *secus*, scilicet: ad alias domos erigendas *satis est Ordinarii venia* antedicta seu in scriptis data; iuxta can. 18 [1].

Beneplaciti ac veniae §ⁱ praecedentis interpretationem iuridicam, quae igitur non pendet ab Ordinario loci, dat § 2. *Constituendae novae domus permissio* canonica *facultatem secumfert* a) *pro religionibus clericalibus* a) *habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum* scilicet: coniunctum, saltem non distans, *salvo praescripto can. 1162*, § *4*, cuius tenor est: « Etiam sodales religiosi », quorum nomine veniunt ex can. 488, n. 7° « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » etiam clericali; hi ergo « licet consensum constituendae novae domus » (nota bene) « in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum », notandum etiam « in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam » ad hoc « obtinere debent ». Continet ergo casum exceptionis quoad implicitam facultatem, de qua loquitur § 2 canonis 497 quem commentamur, quae facultas sic extenditur b) *et sacra ministeria peragendi*, sed haec *servatis de iure servandis*, scilicet: obtenta licentia confessionum audiendarum, cum limitationibus quoad sacram eucharistiam per modum viatici ministrandi vel publice deferendi aegrotis, etc.: II° *pro omnibus religionibus* sive clericalibus, sive laicalibus, dum his

[1] Can. 18. Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam.

utraque facultas praedicta non competit ex sola constituendae domus permissione, facultas econtra implicita fit omnibus iure *pia opera exercendi religionis propria*, nam esset absonum permittere domum sublato eius scopo, *salvis conditionibus in ipsa permissione appositis*, quae debent iustitiam continere ex circumstantiis, nec difficile reddere illorum operum exercitium, aliter namque frustraretur domus concessae finis.

Cum vero haec opera fortassis aedificium praeter religiosorum aedes expostulant, quod ab illis separatum videretur nova fundatio, pro qua exempta necessarium est beneplacitum Apostolicae Sedis ex § 1, et etiam pro quibusdam aliis non exemptis ex eodem; huic obiectioni obviam venit edocens ac praescribens § 3. *Ut* a) *aedificentur* b) *et aperiantur*, quae particula *et* disiunctivae aequipollet, unde quamvis in aedibus iam constructis et ad hoc conductis, *schola*, uti aedificium pro instruenda iuventute, *hospitium* scilicet: domus ad excipiendos peregrinos, *vel similis rationis* cum scopo charitatis exercendae *aedes*, praedictarum unaquaeque *separata a domo etiam exempta*, non proinde si coniuncta sit et secundum religiosae domus finem, in casu praedicto ad illa duo quae exprimuntur initio §^i^ *necessaria est*, supposita etiam fundationis domus permissione canonica, *et sufficit* a) *specialis Ordinarii* supple loci, et b) *scripta licentia*. Igitur in hypothesi huius §^i^ numquam opus est beneplacito aplico.

§ 4. *Ut constituta* canonice *domus in alios usus convertatur*, ad quos ergo non erat destinata ex constitutione, *eaedem solemnitates requiruntur de quibus in* § *1*, iterandae pro domuum ac locorum diversitate cum sequenti exceptione: *nisi agatur de conversione* prius declarata *quae*, a) *salvis fundationis legibus*, b) *ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur*. - Cuius optima explicatio est, quam tradit Leo XIII in Const. «Romanos Pontifices»[1] secundum praecedens ius: « Fieri utique solet subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si non prorsus novum opus regularis familia moliatur; sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet, an ea quae pietatis religionisque causa insti-

[1] 8 Maii 1881.

tuta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? » Ac si dicat non licet, imo recideret mutatio in suppressionem domus religiosae, de qua in sequenti Codicis can. 498. Prosequitur Pontifex: « Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat dimovere de loco instituta alioque transferre: out immutare in usum consentaneum, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in domun pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim mutaretur; aut demum priore usu retento, novam causam sive usum inducere. Iam vero quominus duo illa prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit " ad habitandum domos vel loca quecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare „.[1] Rursus quid fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam " Monasteriorum, Collegiorum, domorum, conventuum et aliorum Regularium locorum huiusmodi? „. Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Constit. « Romanus Pontifex », nisi servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma ». Et nunc Codex in §§ 1, 4, can. 497 cum explicata distinctione domuum ac locorum. « Sic unum superest » prosequitur Leo XIII « de quo contendatur: num priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere, utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem, disciplinamque domesticam spectet, velut si tirocinium aut collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur: an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis. Plane si dictos fines excesserit res redit ad alterutram illarum, quae a Bonifacio VIII et Urbani VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur. Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur; nisi forte leges fundationis obsistant. Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: Religiosis sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci », nunc ad normam § 1 can 497, « nisi agatur de conversione, quae salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat

[1] Cap. « cum ex eo » un. de excessibus praelatorum et subditorum, (V, 6) in 6°.

ad internum regimen et disciplinam regularem ». Quae consequentia fere iisdem verbis transposita est in § 4 cit. can.

552. **Suppressio domus religiosae.** — De suppressione domuum religiosarum sub triplici religionis distincta classe liquet *can. 498. Domus religiosa sive formata sive non formata*, a) *si ad religionem exemptam pertineat*, etiam laicalem, *supprimi nequit sine beneplacito apostolico;* b) *si ad Congregationem iuris pontificii non exemptam*, quia si ad exemptam dispositioni praecedenti est obnoxia, *supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci* in quo est constituta, et qui dedit ad eius fundationem consensum; c) *si ad Congregationem iuris dioecesani, sola Ordinarii loci auctoritate*, pariter in quo invenitur domus supprimenda, *audito Congregationis* totius *Moderatore* quamvis non consentiente, ac servatis duabus aliis conditionibus accidentaliter; prima est *salvo praescripto can. 493, si de unica domo* Congregationis *agatur*, quia tunc esset ipsius Congregationis suppressio, iuxta illum cit. can. nunquam facienda nisi a Sancta Sede; atque secunda conditio est, *salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam*. Scilicet: si Moderator Congregationis consultus renuat suppressionem fieri et adversus eam ab Ordinario loci decretam recurrat, istud decretum exsequi nequit usque ad Sedis Apostolicae decisionem. Hae duae conditiones ad tertium canonis membrum sub littera c) referuntur, eo quod recursus locum non habet adversus Sedem Apostolicam, nec consentientibus Moderatore generali atque Ordinario loci quorum interest; atque domus unica religionis iuris pontificii exemptae vel non exemptae inverosimilis est, proinde nec curanda erat per hunc canonem alteriusutrius reminiscentia.

TITULUS X.

De religionum regimine.

CAPUT I.

De Superioribus et de Capitulis.

Can. 499. - § 1. Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae.

§ 2. Cardinalis Protector cuiuslibet religionis, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus, iurisdictione in religionem aut in singulos sodales non pollet,

nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere.

Can. 500. - § 1. Subduntur quoque religiosi Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt, salva semper potestate quam ius etiam in eos locorum Ordinariis concedit.

§ 2. Moniales quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus iure expressis.

§ 3. Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.

Caput I. De Superioribus et Capitulis[1]

- non religiosis
  - ex potestate suprema — Can. 499
  - Ordinariis locorum — » 500
- religiosis
  - potestas
    - quam habent — » 501
    - erga quos religiosos et quam ampla — » 502
    - constituendi notarios — » 503
  - qualitates
    - ut possint assumi ad officium — » 504
    - officii quoad tempus et iterationem — » 505
  - eligendis, sint
    - praevium iusiurandum, praeses et scrutatores — » 506
    - normae servandae — » 507
  - obligationes
    - communes
      - residentiae — » 508
      - curandi quaedam — » 509
    - maiorum
      - referendi de statu religionis — » 510
      - visitandi — » 511
- quoad visitationem
  - per loci Ordinarium permittendam — » 512
  - ius et officia — » 513
- quoad ultima Sacramenta ministranda et funus peragendum — » 514
- circa titulos mere honorificos — » 515
- quoad habendos
  - consiliarios et oeconomos — » 516
  - procuratorem generalem — » 517

[1] Vide canones in pagg. 543-545, 555-556.

CAN. 501. - § 1. Superiores et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo.

§ 2. Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant.

§ 3. Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eorum potestas et iurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis, firmo praescripto can. 655, 1594, § 4.

CAN. 502. - Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, exercendam secundum constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris.

CAN. 503. - Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis.

CAN. 504. - Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus quae provectiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant, ad munus Superioris maioris inhabiles sunt qui eandem religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de supremo religionis Moderatore aut de Antistita in monialium monasterio; annos triginta, si de aliis Superioribus maioribus.

CAN. 505. - Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores autem minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo.

CAN. 506. - § 1. Antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo iureiurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.

§ 2. In monasteriis monialium, comitiis eligendae Antistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subiectae sint; secus, Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, qui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse.

§ 3. In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii.

§ 4. In mulierum Congregationibus electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electio peragitur; cui, si agatur de Congregationibus iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio.

CAN. 507. - § 1. In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160-182, praeter cuiusque religionis constitutiones eidem non contrarias.

§ 2. Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

§ 3. Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur.

553. **Inscriptiones tituli et capitis.** — Deinde considerandus est *Titulus X. - De religionum regimine*, quod respicere potest subditos qua religionum sodales pro foro quidem externo, vel eorum conscientias moderandas in foro interno, praesertim sacramentali, attamen illi regimini connectitur munus

administrandi per auctoritatem bona spiritualia, necnon temporalia in utilitatem sodalium destinata vel Religionibus concredita. Hinc distinctio tituli huius in tria Capita, primum scilicet quoad fori externi regimen, secundum circa forum sacramentale atque spiritualium administrationem, tertium denique de bonorum temporalium administratione. - *Caput I* vero inscribitur *De Superioribus* personis physicis, *et de Capitulis* personas morales repraesentantibus, qui potestatem in religionibus exercent, et propter quam istorum nonnulla illique omnes caeteris religiosis Superiores sunt.

554. **Canonum coordinatio.** — Canones huius capitis sic coordinantur: de potestate ab iis exercenda in religiosos, cum illi professionem non emiserint, sunt duo canones pro duplici hierarchiae gradu ratione iurisdictionis, videlicet: can. 499, 500; Superiorum religiosorum et Capitulorum potestates definiuntur in can. 501-503, ac sequuntur canones: tum de qualitatibus in Superiores assumendorum can. 504, tum de officiorum ipsorum duratione can. 505, tum circa servanda in electionibus, quae a Capitulis vel comitiis religiosorum fiunt can. 506, 507, tum de Superiorum obligationibus, inter quas cum visitatio recenseatur, de hac, per Ordinarium loci quandoque facienda, inseruntur praescriptiones, atque canones de illis ab 508 usque ad can. 514 numerantur; quos duo alii excipiunt de titulorum mere honorificorum limitata prohibitione, atque de aliis muneribus quae in Superiorum adiutorium stabilia sunt in religionibus.

555. **Superiores ex potestate suprema.** — *Can. 499*, § 1. *Religiosi omnes*, etiam Superiores aut in digntate constituti, singuli atque in personas morales coadunati, *tanquam supremo Superiori* ex primatus vi dato, *subduntur Romani Pontifici*, quod liquet ex alias dictis initio secundae sectionis primae partis, *cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae;* quod nullibi asseritur erga Sacram de Religiosis Congregationem, etsi pateat quod tali organo ad hanc obedientiam exigendam uti possit Romanus Pontifex.

Ad evidentiam postremae §[i] clausulae considerandum est: quod votum obedientiae religiosorum uti publicum, « nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur » (can. 1301, § 1); huic autem Ecclesiae praeest propter divinam institutionem Romanus Pontifex, Christi in terris Vicarius. Ergo religiosi omnes « etiam praelati religionum,

obligantur ad obediendum Summo Pontifici, non solum in his quae sunt communia aliis, sed etiam in his quae specialiter pertinent ad disciplinam religionis »[1]. Nam « obedire in his quae pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune: sed obedire in his quae pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet proprie ad religiosos; et comparatur ista obedientia ad aliam, sicut universale ad particulare. Illi enim qui in saeculo vivunt, aliquid sibi retinent, et aliquid Deo largiuntur; et secundum hoc obedientiae praelatorum subduntur. Illi vero qui vivunt in religione, totaliter se et sua tribuunt Deo... Unde obedientia eorum est universalis »[2].

Videmus dari per Secretariam Status diversis religionibus Card^{m} Protectorem, cuius exponit munus § 2. *Cardinalis Protector cuiuslibet religionis* etiam exemptae, *nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus*, servandum tamquam exceptio canonis, et in dubio stricte interpretandum ad normam can. 50[3], quia iura aliis praelatis ac superioribus quaesita laeduntur: a) *iurisdictione in religionem* implicite quoad eius quoque partes *aut in singulos sodales non pollet* vi protectoratus, b) *nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere;* usque nunc pars negativa; c) *sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio* praesertim apud S. Sedem *promovere.* Quod bene nomini est conforme.

556. **Subiectio erga loci Ordinarios.** — Omissis, proindeque abrogatis (can. 6, 6°)[4], dispositionibus Conc. Trid. per quas Metropolitis quandoque iurisdictio exercenda in religiosos erat tributa, de Episcoporum in eos iurisdictione generaliter statuit *can. 500.* § 1. *Subduntur quoque religiosi Ordinario loci*, ubi sita est domus quam incolunt, *iis exceptis* religiosis *qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium*, de quo infra can. 615, 616, 618, *consecuti sunt*, ac etiam in hypothesi talis consecuti privilegii, *salva semper potestate* diversa *quam ius etiam in eos*, sub distinctione tamen an exempta religio sit clericalis vel laicalis, *locorum Ordinariis concedit*. Haec patebit ex pluribus Codicis ss. canonibus.

§ 2. *Moniales quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum* earum *sunt*, non derogato saltem

[1] D. Th. II-II, q. CLXXXVI, art. 5, ad. 3.

[2] Ib. ad 1m.

[3] Can. 50. In dubio, rescripta quae... iura aliis quaesita laedunt.... strictam interpretationem recipiunt,...

[4] Can. 6, 6°. Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est...

quoad praxim ex S. Sedis Decreto, *Ordinario loci* ubi situm est Monasterium *subduntur tantum in casibus iure expressis*. Quae clausula aequipollet postremae § 1.

Specialem prohibitionem quoad Congregationes sororum exhibet § 3. *Nulla virorum religio* etiam regularium aut exempta, *sine speciali Apostolico indulto*, cavente igitur id expresse, *potest* a) *sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut* b) *earum religiosarum* sub quarum numero non veniunt moniales, etsi vota earum nonnisi simplicia sint, *curam et directionem retinere* tamquam iure *sibi* qua religioni *specialiter* etsi ab homine v. gr. Episcopo *commendatam*. Sed indultum huiusmodi ante Codicem forsan obtentum manet vigens, hoc enim bene componitur cum §ⁱ textu.

557. **Potestas Superiorum et Capitolorum.** — *Can. 501.* § 1. *Superiores et Capitula* religionum, in diversa mensura pro eorum gradu et unaquaque religione *ad normam constitutionum et iuris communis*, servandam quoad limites atque pro exercitii validitate aut sola liceitate, *potestatem habent dominativam in subditos:* scilicet: quae fundamentum obtinet in quasi-contractu professionis religiosae per quam fidelis se tradit gubernandum societati religiosae per votum obedientiae Deo factum. Obedientia illi potestati relativa optime sic declaratur a D. Thoma [1]: « dicendum, quod religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis praelatis subduntur; ed ideo quantum ad illa sola obedire tenentur quae possunt ad regularem conversationem pertinere; et haec est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis: dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulae, quia talis obedientia esset illicita. Sic ergo potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his ad quae obligatur, alia perfecta quae obedit in omnibus licitis, alia indiscreta, quae etiam in illicitis obedit ». Prosequitur canon peculiariter: *in religione autem* a) *clericali* b) simul et *exempta*, quamvis Congregatio sit solum religiosa, *habent* Superiores et Capitula *iurisdictionem ecclesiasticam* scilicet: potestatem publicam perfectae societatis seu Ecclesiae *tam pro foro interno, quam pro externo* erga so-

[1] II-II q. CIV, art. 5 ad 3m.

dales, atque ad normam ss. canonum. - Cum sequenti autem limitatione ex § 2. *Superioribus quibuslibet*, hinc et religionis laicalis vel non exemptae, *districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant* qualitercumque. Possent autem eadem peragere, quae licent aut praescripta fuerunt his, qui Superiores non sunt.

De quibusdam Superioribus cavet § 3. *Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae* (vide can. 488 n. 8°) *non habent omnem potestatem dominativam et iurisdictionem* ecclesiasticam *quam ius commune tribuit Superioribus maioribus*, canones igitur de potestate hac duplici non designant illos verbo Superiorum maiorum, atque constituit notandam exceptionem n^{i} 8^{i} can. 488, *sed eorum potestas et iurisdictio* sensu declarato *desumenda est* a) *ex propriis constitutionibus* b) *et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis* extra Codicem, v. gr. quoad Abbatem Primatem Dec^{m}. S. Congr^{s}. EE. et RR. « Inestimabilis »[1], *firmo praescripto can. 655, 1594*, § *4*, expresse loquentium de supremo Congregationis monasticae Moderatore.

558. **Amplitudo potestatis.** — *Can. 502. Supremus religionis* cuiuscumque professus *Moderator*, scilicet: non habens alium superpositum in ea, hinc Vicarius quoque, deficiente Superiore generali, *potestatem obtinet* praedictam, scilicet: dominativam vel etiam iurisdictionis *in omnes* a) *provincias*, b) *domos*, c) *sodales religionis*, *exercendam secundum constitutiones* observandas sub respectiva singularum vi: *alii Superiores ea gaudent* declarata potestate *intra fines sui muneris* quoad loca et personas, eodemque modo ac supra exercenda; quia dictum est « ea » scilicet: quam prius statim canon expresserat.

559. **Potestas constituendi notarios.** — *Can. 503. Superiores maiores*, excluduntur implicite locales superiores non Abbates, *in religionibus* a) *clericalibus* simul ac b) *exemptis*, quia est potestas iurisdictioni ecclesiasticae adnexa, *possunt notarios constituere*, quorum cognoscimus officium ex can. 374, § 1, *sed tantum pro negotiis* etiam iudicialibus sed a) *ecclesiasticis* et quidem b) *suae religionis*.

560. **Qualitates Superiorum.** — *Can. 504. Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus quae provectiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant*, et circa qualitates in Supe-

[1] 16 Sept. 1894. A. S. S. XXVI, 745.

riores hic recensitos designandorum illis tantum regulis servatis et canonicis praescriptionibus, *ad munus*, etiam Vicarii qui veniat ad normam can. 488, n. 8 sub nomine *Superioris maioris*, non praecise localis, nisi agatur de Abbate monasterii sui iuris, *inhabiles sunt qui* a) *eandem religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis* continuis (can. 35)[1] et ad normam can. 34, § 3, nn. 1°, 3°, b) *non sunt ex legitimo matrimonio nati et*, sub distinctione secundum contextum applicanda solummodo sequenti aetatis qualitati, c) *annos quadraginta non expleverunt, si agatur de supremo religionis Moderatore*, in sensu declarato ad can. 502, hinc etiam de Vicario Ordinis vel Congregationis, non existente Superiore generali forsitan ob mortem vel aliam officii cessationem, *aut de Antistita in monialium monasterio*, nempe: ex can. 488 n. 7° in quibuscumque locis; d) *annos triginta* supple: non compleverunt, *si de aliis Superioribus maioribus*, etiam de Vicario Supremi Moderatoris existentis *agatur*.

561. **Tempus officii et successio in eodem.** — *Can. 505. Superiores* I° *maiores* omnes recensiti in can. 488, 8°, *sint temporarii*, « si qua » ergo similis provisio data est per Sedem Apostolicam, etiam « disciplinari lege, implicite in hoc Codicis loco continetur, nec vim amisisse dicenda est » (can. 6, 6°), v. gr. Dec. S. Congr. EE. et RR., quo « Pius IX constituit, ut Magister Generalis Praed. Ordinis ad annos duodecim eligatur », *nisi aliter ferant constitutiones* religionis vigentes, quo casu servandae, scilicet: ut sint vel perpetui vel ad nutum sine tempore determinato; quarum similes constitutiones sequenti praescripto oppositae abrogantur fere totaliter, videlicet: *Superiores autem* II° *minores locales*, sub quo censu non veniunt Abbates monasteriorum sui iuris, a) *ne constituantur ad tempus ultra triennium*, posset fieri constitutio brevior triennio: b) *quo exacto*, scilicet: primi officii tempore, *possunt ad idem munus iterum assumi* sub conditione tamen: *si constitutiones ita ferant*, etsi cum dispensatione a maiori Superiore forsan re-

[1] Can. 35. Tempus illud intelligitur, continuum, quod nullam patitur interruptionem. — Can. 34... § 3. Si... terminus a quo explicite vel implicite assignetur: — 1° Menses et anni summantur prout sunt in calendario;... 3° Si terminus a quo non coincidat cum initio diei, ex. gr. *decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis Episcopalis, decendium ad appellandum, etc.*, primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

quisita, *sed non* a) *tertio* b) *immediate*, scilicet: postquam bis successive fuit Superior localis minor c) *in eadem religiosa domo*. Bene autem statim potest idem constitui Superior alia in domo.

Forsitan obiicies:[1] « nimium insistendum non est materiali sensui verborum canonis, sed attendatur oportet mens legislatoris; nam si v. gr. in aliquo Instituto Superiores minores constituerentur solummodo ad biennium . . . quis tunc diceret non posse Superiores illos *tertio* immediate ad idem munus in eadem domo, post, duo exacta biennia assumi ? » Resp. canonem esse qui hoc dicit, nam de omninus Superioribus minoribus localibus, qui constituantur infra triennium, illud perspicue prohibet. Ratio vero adducta est contra can. 18, in quo est praescriptum: « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit (tunc solummodo) . . . ad mentem legislatoris est recurrendum ». Haec dicta sint cum pace et reverentia cl. Auctoris.

Cum can. 505 respectu localium Superiorum sit nova lex in Iure canonico, eidem applicare oportet can. 10: « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur », quae cautela non est edicta in canone illo. Hic ergo respicit casus evenientes post diem 19 Maii 1918. - Porro particula sub prima littera a) est applicanda illis Superioribus localibus qui officium incipiant, seu « constituantur » post praefatum diem, quia tunc cessant constitutiones religionum existentes circa officiorum eorum tempus, ad normam can. 489: « Regulae et constitutiones singularum religionum.... quae eisdem (Canonibus huius Codicis) opponuntur, abrogatae sunt ». Non ita dicendum quoad illos qui ante dictum diem nominati fuerunt.

Nec difficultas existit circa Superiores locales, qui finierint primum officii triennium post diem illum, quia, nisi « constitutiones aliter ferant », quo casu ut tales observandae essent, poterunt « ad idem munus iterum assumi », idest in eadem domo et potiori ratione in altera.

Postrema pars canonis: « sed non tertio... » supponit conditiones tres, quae possunt simul accidere, sive primum triennium finierit ante diem 19 Maii 1918, et secundum triennium post dictum diem, et en Ius. casus, sive utrumque triennium finem habuerit post datam praedictam, et ecce casus IIus., et multo magis IIIus. casus est si triennium primum et secundum habuerint postea initium. Actus ergo nominandi « tertio » ad officium ac sub illis conditionibus tribus prohibitus, erit semper respectu Codicis futurus, et consequenter canone moderandus in tribus praefatis casibus. - Perpendantur vero diligenter prohibitionis conditiones. Agitur enim 1° de nominatione eiusdem personae ad idem numero officium, ac 2° ut postquam bis successive illud exercuit, statim sit sequutura nominatio; econtra poterit optime alter religiosus fieri Superior, eoque decedente vel etiam renuntiante post aliquod tempus absque fraude, aut aliter officio vacante, ille poterit Superior fieri, qui bis tale officium obtinuit. Ac demum 3° quod designandus sit Superior localis in eadem domo religiosa, unde nihil obstat quominus tale officium obtineat successive, tota vita eius quoque durante, in diversis tamen domibus. Canon enim 505 intendit incommoda vitare, quae oriuntur in communitatibus propter diuturnitatem eiusdem Superioris ad summum ultra sexennium, quin velit impedire utilitates religioni cuilibet provenientes ab eis religiosis, quos Dominus dotibus ad tale onus opportunis ornavit.

[1] Commentarium pro religiosis. Anno II. pag. 68, n. VII.

Interpretatio data confirmatur authentice per sequens rescriptum. (25 Martii 1919. Commentarium pro religiosis An. II, pag. 65). « Emus. ac Rev.mus D.nus Card. Commissionis Praeses, ad dubium... propositum respondens, vult scias, in praedicto canone 505, prout iam, die 14 Julii 1918, ad simile dubium, significatum est Sacrae Congr. de Religiosis, etiam Superiores locales comprebendi, qui ante diem 19 Maii 1918 fuerant constituti; unde temporum in eodem canone praescriptorum observatio, ipsos quoque tenet; quae tempora a die nominationis ipsorum Superiorum computanda sunt ».

Ad huius canonis intelligentiam se refert Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos declaratio sequens [1]: « Utrum praescriptum canonis: " superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium, etc. ,, applicetur quoque superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium, aliarumque piarum domorum ». - Resp.: « Affirmative, si superiores isti seu directores sint simul superiores religiosorum, sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quoad religiosam disciplinam ». Ergo secus, seu his deficientibus conditionibus, illis non applicatur, atque id totum planum est.

562. **Circa Moderatricis generalis vel Monialium Antistitae successivam postulationem** viget mandatum ex Litteris encycl. S. C. de Religiosis. [2] « SSmus. D.N. Bened. XV... mandatum dedit monendi singulos Ordinarios locorum, quibus cura incumbit praesidendi electionibus sive Moderatricis generalis in Capitulis Congregationum, sive Antistitarum in monasteriis monialium suae dioecesis, ut de praefata inhabilitate (tertiae successive electionis) electrices doceant, et si quando certiores fiant capitulares in eamdem personam ultra tempus a Constitutionibus permissum suffragium esse laturas, inquirant de specialibus et gravibus causis, quae postulationem exigere videantur, et moneant vocales Sedem Apostolicam difficilem omnino se praebere ad huiusmodi gratiam concedendam. Insuper noverint opertet, postulationem nonnisi perpensis mature causis admitti, quae proinde per litteras ab Ordinario ipsi Sanctae Sedi exponi debent. Quod sane non modicum tempus requirit et certum incommodum affert capitularibus, quae responsum exspectare debent antequam ad ulteriora procedere possint.

Si quando tamen causae ita graves adsint, quae eiusdem personae electionem exigant ultra tempus in Constitutionibus permissum, Ordinarius, dispensationis obtinendae causa, petitionem ad S. Congr. mittat, in qua clare et distincte referat, quot scrutiniis fuerit postulatio completa, quotve suffragia ex numero capitularium electae faverint; praecipue rationes exponat, quae talem reelectionem exigere videantur, addita quoque sua sententia ». Intellige: in Italia, et extra Italiam ob Constitutiones. [3]

563. **Iuramentum, praeses ac scrutatores in electionibus.** — *Can. 506.* § 1. *Antequam ad Superiorum* solummodo *maiorum electionem deveniatur* per suffragiorum emissionem in *religionibus virorum*, quaecumque illae sint, *omnes et singuli e Capi-*

[1] 2-3 Iunii 1918, CO. X, 344.
[2] 9 Mart. 1920, CO. XII, 366. — [3] Comm. pro Religs. Anno II, p. 7.

tulo, proinde ad quos « ius eligendi pertinet » ad normam canonis 163, *iureiurando promittant* hoc tantum: *se electuros quos secundum Deum, scilicet*: iuxta eorum rectam conscientiam *eligendos esse existimaverint* prudenter.

Quoad mulierum religiosarum electionibus intervenientes, prosequitur canon in § 2. *In monasteriis monialium*, etiam pro quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°, *comitiis* scilicet: conventui *eligendae Antistitae* idest: Superiorissae vel Abbatissae a) *praesit, quin tamen clausuram ingrediatur*, intelligendum de clausura per ss. canones servanda, *Ordinarius loci aut eius delegatus* ad hoc. casus est igitur reg.ae LXVIII iur. in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum », b) *cum duobus* c) *sacerdotibus scrutatoribus*, non quibuscumque clericis, nec maiori aut minori numero, a) *si moniales* praemisso sensu *eidem subiectae sint* iure aut indulto; b) *secus*, scilicet: si exemptae sint quoque de facto, praesidet *Superior regularis earum*: *sed etiam in hoc casu Ordinarius* « loci », ut supra, *tempestive* seu cum convenienti anticipatione *moneri debet de die et hora electionis* peragendae statutis, *cui* electioni non tenetur, sed *potest una cum Superiore regulari*, ut antea dictum est: *per se ipse vel per alium* a) *assistere*, *et* b) sub conditione *si assistat* (eo quod non debeat), tunc *praeesse*. Nam dubio [1] « utrum verba huius §i « *secus... praeesse* », ita intelligenda sint, ut Ordinarius loci possit (sed non debeat) assistere per se ipse vel per alium electioni Antistitae in monasteriis monialium Superioribus regularibus (etiam exemptis) subiectis, et praeesse, idest gubernare actum electionis sive per se, sive per alium; an tantummodo per se ipse. Resp.: Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am, seu Ordinarium loci praeesse sive assistat per se ipse, sive per alium ».

Limitatio quoad particulam praecedentis paragraphi additur in § 3. *In scrutatores*, quandocumque adhibeantur illi, *ne assumantur ipsarum* sensu praemisso in § praec. *monialium confessarii ordinarii*, et hi praecise cognoscendi sunt ex capite sequenti.

§ 4. *In mulierum Congregationibus* idest: votorum simplicium etiamsi iuris pontificii, *electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium* iuxta reg. citatam iuris in 6° *Ordi-*

[1] Pont. Commiss. ad Cod. can. auth. int. 24 Nov. 1920, CO. XII, 574.

narius loci, in quo electio peragitur, etiamsi domus religiosa non sit princeps Congregationis: *cui* supple: Ordinario praedicto, sub limitatione: *si agatur de Congregationibus iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere* ut nova electio facienda sit, *integrum est*, non pro libitu, sed *pro conscientiae officio*, nec ad normam alicuius canonis, v. gr. canon. 177, § 2, sub quo Antistitae munus non est comprehensum, ut in seq. can. probabitur.

564. **Normae servandae.** — Quia secundum capitis inscriptionem in eo de Superioribus et Capitulis agendum fuit, et cum can. 506 nunc explicatus praescripserit de Superiorum electione, quae in Capitulis fit religiosorum, ad electiones ipsas ordinandas transit legislator, et quamvis ex connexione videretur canon sequens coarctandus ad illas, generaliter autem loquitur et sic est interpretandus.

Can. 507. § 1. *In electionibus* scilicet: designationibus personarum ad quodcumque religionis munus, quamvis non sit officium ecclesiasticum proprio sensu (can. 145, § 1), prout accidit in religionum laicalium Superioribus, imo etsi munus illud non sit superioris; v. gr. munus Procuratoris Generalis, Definitoris Capituli, Assistentis Superioris Generalis, Oeconomi Generalis, etc., dummodo illae designationes sint faciendae non ab uno Superiore, vel a pluribus religiosis in Consilio aliquo, sed ut ait canon: *quae a Capitulis fiunt* religiosorum, scilicet: a multis singulisque religiosis viris aut mulieribus, qui conveniunt saltem ad hoc secundum normas proprias uniuscuiusque religionis, et hi convenientes moralis personae vices gerunt domus religiosae, provinciae, Congregationis monasticae, aut Religionis; in praedictis ergo singulis electionibus quae « a Capitulis » sensu explicato, ergo etiam a Monialium comitiis, « fiunt »: *servetur ius commune de quo in can. 160-182* scilicet: in toto art. II° et III° iam interpretatis Capitis I « de provisione officiorum ecclesiasticorum » ad has extensum electiones, etiam eas sub illis art^{s} non comprehensas, qui articuli ex canone praesenti ampliantur, nullis exceptis praescriptionibus, non obstante natura status religiosi seu absolutae erga Superiores dependentiae a religiosis debitae. Etenim huius canonis praeceptum sic explicit: *praeter cuiusque religionis constitutiones eidem* iuri communi *non contrarias*. Quae proinde in proprio robore manent. Interpretatio haec est in praxi servanda.

De interprettatione data censeo admonendum: illam certam esse, si agatur de electionibus huiusmodi Superiorum cuiuscumque Religionis clericalis, etsi non exemptae, nam isti verum officium ecclesiasticum obtinent, atque ius commune citatum de his electionibus est conditum. Quoad eligendos tum alios officiales in eiusdem ac aliis religionibus, tum Superiores viros in religionibus laicalibus, tum Abbatissas et Superiorissas atque ad alia praedicta mulierum officia, moveor tum ex Dec°. cit. Clem. VIII in § 23, ubi ait: « In Superiorum et officialium omnium electionibus, forma praescripta a S. Conc. Trid. et Ordinis constitutionibus inviolabiliter serventur » etc., tum ex Conc.i Trid.i cap. 6° sess. XXV « de Regularibus et Monialibus » in quo dicitur: « In electione quorumcumque Superiorum, abbatum temporalium, et aliorum officialium, ac generalium, et Abbatissarum, atque aliarum praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, in primis S. Synodus districte praecipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur ».

Specialiter cautum est pro religiosis in § 2. *Caveant omnes*, quamvis electores non sint, *a directa vel indirecta* v. gr. per fraudes, obsequia indebita, promissiones, etc. *suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis*. Primum namque dedecet humilitatis virtuti et abnegationis, secundum obest rectae intentioni boni communis, quam sequi debent suffragium dantes iuxta suam conscientiam. Et quamvis vocabulum « caveant » sit positum, prohibitio est intelligenda, « ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur », sicut ait Clem. VIII in Dec. « Nullus omnino » 20 Mart. 1601 § 2, 2.

Peculiariter etiam de postulatione est § *3. Postulatio* concessa implicite in § 1° *admitti potest* scilicet: a competente Superiore a) *solum in casu extraordinario* tanquam per exceptionem, ita ut ordinarie officia provideantur per electionem, non per postulationem, et b) *dummodo in constitutionibus non prohibeatur* admitti, cum Superior constitutionum observantiam in se ostendere oporteat.

CAN. 508. - In sua quisque domo Superiores commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam constitutionum.

CAN. 509. - § 1. Omnis Superior debet notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

§ 2. Curent Superiores locales:

1° Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet;

2° Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565, § 2 Christianae catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus, audientium conditioni accommodata, et, praesertim in religionibus laicalibus, pia ad omnes de familia exhortatio.

CAN. 510. - Abbas Primas, Superior Congregationis monasticae et cuiusvis religionis iuris pontificii Moderator supremus debet quinto quoque anno vel saepius, si ita ferant constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem

per documentum mittere, subsignatum a se cum suo Consilio, et, si agatur de Congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

CAN. 511. - Maiores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti.

CAN. 512. - § 1. Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitare debet:

1° Singula monialium monasteria quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt;

2° Singulas domos sive virorum sive mulierum Congregationis iuris dioecesani.

§ 2. Visitare quoque eodem tempore debet:

1° Monasteria monialium, quae regularibus subduntur, circa ea quae ad clausurae legem spectant; imo etiam circa alia omnia, si Superior regularis ea a quinque annis non visitaverit;

2° Singulas domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae;

3° Singulas domos Congregationis laicalis iuris pontificii non solum in iis, de quibus in superiore numero, sed etiam in aliis, quae ad internam disciplinam spectant, ad normam tamen can. 618, § 2, n. 2.

§ 3. Quod ad bonorum administrationem attinet, serventur praescripta can. 532-535.

CAN. 513. - § 1. Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

§ 2. A decretis Visitatoris recursus datur in devolutivo tantum, nisi Visitator ordine iudiciario processerit.

CAN. 514. - § 1. In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi.

§ 2. In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.

§ 3. In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam canonis 464, § 2.

§ 4. In funeribus servetur praescriptum can. 1221, 1230, § 5.

CAN. 515. - Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; soli, si id permittat constitutiones, tolerantur tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sint.

CAN. 516. - § 1. Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis saltem formatae domus habeant suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum.

§ 2. Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi; generalis qui religionis universae bona administret, provincialis qui provinciae, localis qui singularum domorum; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris.

§ 3. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.

§ 4. Si de modo oeconomos eligendi constitutiones sileant, a Superiore maiore cum consensu sui Consilii eligantur.

CAN. 517. - § 1. Quaevis virorum religio iuris pontificii procuratorem generalem habeat, qui, secundum constitutiones designatur, negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet.

§ 2. Antequam praescriptum in constitutionibus tempus exspiret, ne amoveatur, inconsulta Sede Apostolica.

565. **Ordo sequentium canonum.** — Incipiunt a sequenti canone obligationes Superiorum sic mutuo coordinatae, ut prima sit generalis conditio officii bene adimplendi, nempe: residentia praescripta in can. 508; postea in can. 509 decernitur alia generalis Superiorum obligatio respectu habito ad S. Sedis decreta, deinde Superiorum maiorum exponuntur duae aliae obligationes: videlicet: circa « relationem de statu religionis ad S. Sedem » mittendam, et hanc obligationem can. 510 edicit, sequentes vero tres 511-513 de visitatione domuum religiosarum canonica decernunt. Denique adiudicatur ius et officium quoddam magni momenti Superioribus in omni religione clericali, quaecumque haec sit; ac determinatur cuinam id ipsum competat in monasteriis monialium atque in laicali religione.

566. **Residentia.** — *Can. 508. In sua quisque domo Superiores*, locales cui praesunt, maiores in determinata ab ipsorum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine, vel si haec determinatio deficiat, in ea quam initio officii elegerint, ubi nempe commorantur consiliarii eiusdem ex officio (ita secundum rationabilem decisionem in simili lege datam a Bened. XIV in const. « Firmandis » VIII Idus Nov. 1744). Inibi ergo Superiores praedicti *commorentur nec ab eadem discedant* alium locum petituri, *nisi ad normam constitutionum.*

567. **Cura circa decreta S. Sedis, et Constitutiones legendas.** — *Can. 509.* §. 1. *Omnis Superior* maior ac minor pro munere suo, immo loci Ordinarius seu monasteriorum deputatus *debet* a) *notitiam* b) *et executionem decretorum Sanctae Sedis*, scilicet: Sacrarum Romanarum Congregationum ac Romani Pontificis, quae *religiosos respiciunt* omnes vel propriae religionis, *suos inter subditos promovere;* modis utique sibi benevisis, sed efficaciter « ad abusus, si qui irrepserint tollendos, ad bonum largius diffundendum et uniformitatem in rerum canonicarum observantiam ubique obtinendam », ut ait S. C. de Religionis in Dec°. « Apostolica Sedes », 3 Iul. 1910.

§ 2. *Curent Superiores locales:* ipsis ergo incumbit obligatio; *1° Ut saltem* a) *semel* sed complete *in anno*, b) *statis diebus*, c) *publice* idest: in communi mensa vel communitatis adunatione *legantur* a) *constitutiones* propriae religionis, *itemque* b) *decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet* post

Codicis vigoris initium, propter verbum « praescribet » futuri temporis. Obligatio igitur legendi constitutiones dictas est vi ss. canonum, sicut lectionis Decretorum si haec praescribatur; sed quoad dierum determinationem obligationis vis est haurienda ex fonte id praescribente. - 2°. *Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565*, § 2, « de speciali collatione christianae doctrinae ad (eos) novitios habenda », proinde praeter ipsam, a) *christianae catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus* scilicet: diu noctuque degentibus in religiosa domo servitii causa, secus essent proprie servitores vel quid aliud; et instructionis qualitas exponitur: *audientium conditioni accommodata*, b) *et, praesertim in religionibus laicalibus*, scilicet: ad has non constringitur obligatio, etsi mitior toleretur in clericalibus, *pia ad omnes de familia* religiosos ac familiares *exhortatio*, cui breviore collatiuncula satisfieret. Notandum quod formula: « Ut saltem bis in mense » canonis contextu est applicanda unicuique eiusdem canonis parti, eo quod pars prima de personis determinatis et pro qualibet religione loquitur, secunda vero pro religionibus laicalibus praesertim, sed ad omnes de domo extenditur.

568. **Relatio de statu religionis.** — *Can. 510. Abbas Primas*, de quo dictum est ad can. 488, 8°., *Superior Congregationis monasticae et cuiusvis religionis iuris pontificii* (etiam Ordinis) *Moderator supremus* idest: generalis, quamvis forsitan sit Vicarius, deficiente Magistro, Ministro, Priore generali, *debet* a) *quinto quoque anno* vi huius canonis, *vel saepius, si ita ferant constitutiones*, vi autem earum, b) *relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem* scilicet: Congregationem de Religiosis, c) *per documentum mittere* idest: in scriptis, d) *subsignatum a se cum suo Consilio*, scilicet: et suis consiliariis, *et, si agatur de Congregatione mulierum*, scilicet: sororum, e) *etiam* subscriptum *ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet*. Cum monasteria monialium quamplurima Superioribus regularibus non subdantur, horum Moderator Supremus de illis referre nequit nec tenetur vi huius canonis, in quo nec earum fit mentio; de illis monasteriis Ordinarii loci referre debebunt in relativa de statu dioecesis relatione. Item tacet hic canon de norma servanda in relatione huiusmodi conscribenda, quae erit exspectanda a S. Congregatione de Religio-

sis. et in ea forsitan determinabitur annus quinquennii pro diversis religionibus. ad instar praescripti can. 340. § 2. - Interim Congregationes servent normam relationis huiusmodi editam per Decretum S. Congr. EE. et RR. [1] « In approbandis », praesentando eam in quinto anno ab ultima relatione, religiones autem de novo huic canoni subiectae satisfacient prima vice intra quinquennium a Codicis vigore.

569. **Visitatio canonica.** — De visitatione facienda per Superiores religiosos est *can. 511*:. *Maiores religionum Superiores*, his canon imponit obligationem. attamen a) *quos ad hoc munus constitutiones* uniuscuiusque religionis *designant*. nec legislator praescribit normam temporis fixam et generalem. sed b) *temporibus in eisdem* constitutionibus praefatis *definitis*, quae praetermittere ob canonis transgressionem non licet. c) *omnes domos sibi subiectas* quoad hoc d) *visitent per se*, e) *vel per alios*, sub conditione tamen id conceditur: *si fuerint legitime impediti* secundum scriptas normas seu leges. Ita limitatur regula 68 iuris in 6°. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum ».

570. **Ordinarii loci visitatio.** — De visitatione religiosorum per locorum Ordinarios disponit sub distinctione *can. 512*. § 1. *Ordinarius loci per se vel per alium* ad libitum, sed *quinto quoque anno*, quo universam dioecesim lustrare tenetur ad normam can. 343. § 1. *visitare debet*: - 1° *Singula monialium monasteria* in quibuscumque locis ad normam can. 488. 7°. in fine. *quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt* de facto; - 2°. *Singulas domos sive virorum sive mulierum Congregationis iuris dioecesani.*

Visitatio huius §[i]. est absoluta: in sequenti paragrapho cum limitatione iniungitur. scilicet: § 2. *Visitare quoque eodem tempore* ac supra *debet*:- 1°. *Monasteria monialium. quae regularibus subduntur* etiam actu. a) *circa ea quae ad clausurae legem spectant*, de qua infra. et regulariter haec solum; notetur tamen ampliatio: *imo etiam* b) *circa alia omnia*, propter Superioris negligentiam. videlicet: *si Superior regularis* earum aliquis saltem per alium monasteria *ea a quinque annis* tunc transactis ad normam can. 34, § 3. n°. 3°. a die termini visitationis, iterum *non visitaverit*; - 2°. *Singulas domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae*, non autem Or-

[1] 16 Iul. 1906.

dinis clericalis exempti, quod bene notandum, ac solummodo *in iis quae pertinent* a) *ad ecclesiam*, b) *sacrarium*, c) *oratorium publicum*, d) *sedem ad sacramentum poenitentiae*. - 3°. *Singulas domos Congregationis*, nota bene: non Ordinis, *laicalis iuris pontificii*, quae numquam est exempta, ideoque verbum hoc omittitur, secus ac in praecedenti n°.; quoad illas domos sive virorum sive mulierum extenditur visitatio, dicitur enim: *non solum* a) *in iis, de quibus in superiore numero, sed etiam* b) *in aliis, quae ad internam disciplinam spectant*, hac limitatione servanda, nempe: *ad normam tamen can. 618. § 2. n. 2.* Videlicet: « inquirere num: a) disciplina ad constitutionum normam vigeat, num b) quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num c) contra clausuram peccatum sit, num d) Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et, si Superiores de gravibus forte abusibus » non de levibus, et « admoniti opportune non providerint », tunc « ipse per se consulat; si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur », etsi non praecesserit Superiorum negligentia, « decernat statim; decretum vero » huiusmodi « ad Sanctam Sedem deferat »; scilicet: communicet S. Congr[i]. de Religiosis.

§ 3. *Quod ad bonorum administrationem attinet* visitandam, *serventur praescripta can. 532-535* ibi exponenda.

571. **Normae visitationis canonicae.** — De modo peragendi eam visitationem tum a Superioribus tum a loci Ordinario eorumve delegatis est *can. 513. Visitator ius et officium habet* a) *interrogandi religiosos*, non praecise omnes, sed *quos oportere iudicaverit et* b) *cognoscendi* etiam proprio visu aut rerum examine *de iis quae ad visitationem spectant*: intra terminos nempe in utroque praecedenti canone descriptos, atque in confirmationem datae interpretationis Pont. Commissio ad Codicis canones auth. int. ad Dubium « II. Utrum ad normam can. 512, § 2, 1°. et can. 513, § 1, officium Ordinarii loci sit visitare quinto quoque anno monasteria monialium, quae Regularibus (etiam exemptis) subduntur, circa ea quae clausurae legem spectant eo, qui in can. 513 exponitur modo ». - Resp: Affirmative ».

Oblivioni non est tradendum in canonis clausulae praxi cap. I. sess. XXV. De Regularibus in Conc. Trid. « Quoniam non ignorat S. Synodus quantum ex monasteriis pie institutis, et recte administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instau-

retur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulae quam professi sunt, praescriptum vitam instituant, et componant: atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis, et castitatis, ac si quae sunt alicuius regulae, et Ordinis peculiaria vota, et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum, et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus ac provincialibus, quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari; si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est».

Visitatorum iuri praemisso, sequitur in canone 513 correlativa obligatio: *omnes autem religiosi obligatione* canonica *tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus* quibuscumque, praecipue autem localibus *fas est*, a) *quoquo modo*, suasionibus, minis, directo vel indirecto, consiliis, *eos ab hac* praedicta *obligatione avertere* b) *aut visitationis scopum aliter* quam avertendo, ut supra, religiosos *impedire*.

Efficaciam visitationis tutatur § 2. *A decretis Visitatoris* i. e. dispositionibus, quocumque nomine hae dicantur, *recursus datur* ad competentem Superiorem eius *in devolutivo tantum*, interim ergo sunt illa exequenda, *nisi Visitator ordine iudiciario processerit*, quando sic agere possit: quia tunc erit locus appellationi vel recursui cum effectu quoque suspensivo. Hucusque de visitatione religiosorum.

572. **Peculiariis lex a religiosorum Superioribus servanda** lata est a S. Congr. Consistoriali per Dec. «Magni semper negotii, super cuius observantia superiorum conscientia graviter oneratur». Sic ibidem sub n. 9. «Religiosi, dum in sua religione perseverant (scilicet: non exclaustrati, nec saecularizati), trans Oceanum ad alias suae religionis domos (non aliter) mitti a suis superioribus valebunt; (sed praeindicata obligatio est) ut agatur de religiosis qui sint a) intemeratae vitae b) bonae explorataeque vocationis c) et studiis ecclesiasticis rite instructi; adeo ut retineri tuto possit, in bonum animarum et aedificationem fidelium eorum missionem (declaratam) esse cessuram».

573. **Ius et officium circa postrema sacramenta et funus.** — *Can. 514.* § 1. *In omni religione clericali* etiam non exempta, et quamvis Congregatio sit religiosa, imo et iuris dioecesani, quia hoc salvo canone limitantur sequentes functiones parocho reservatae in can. 462 n. 3°: igitur in sic declarata religione *ius et officium Superioribus est per se vel per alium* iuxta reg^s^. iuris in 6° LXVIII et LXXII *aegrotis* a) *professis*,

b) *novitiis*, c) *aliisve* infirmis, dummodo *in religiosa domo diu noctuque degentibus* una ex sequentibus *causa* a) *famulatus aut* b) *educationis aut* c) *hospitii* etsi ad tempus, velut peregrinis, *aut* d) *infirmae valetudinis* curandae, *Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi*. Nempe: non requisito nec certiorato parocho, cui forsitan domus religiosa subsit, et cui manerent proinde reservatae aliae functiones v. gr. sacras ordinationes denuntiare, domum Sabbato Sancto benedicere atque obligationes ex officio ad normam can. 464.

§ 2. *In monialium domo* scilicet: in quibuscumque locis ad normam can. 488, n. 7° *idem ius et officium habet* prae loci parocho *ordinarius confessarius* de quo in seq. capite, *vel qui eius vices gerit*, puto in munere substituendo, absentiae vel infirmitatis causa illius; unus tamen illorum, si plures fuerint.

§ 3. *In alia religione laicali*, virorum nempe, ac per canonem quamvis exemptorum, ac mulierum, *hoc ius et officium* a) *spectat ad parochum* b) *vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit*, atque tunc isto excluso, *ad normam can. 464, § 2*. - In his quae post mortem praedictorum aegrotantium consequuntur, scilicet: § 4. *In funeribus servetur praescriptum can. 1221, 1230, § 5* [1] his in locis exponendum.

574. **Prohibitio titulorum mere honorificorum.** — *Can. 515. Prohibentur* solummodo *tituli*, hoc est appellationes vel deno-

[1] Con. 1221, § 1. Professi religiosi ac novitii, defuncti cum sint, transferendi sunt, funeris causa, ad ecclesiam vel oratorium suae domus vel saltem suae religionis, nisi novitii aliam ecclesiam ad suum funus elegerint; ius autem levandi cadaver et illud deducendi ad ecclesiam funerantem pertinet semper ad Superiorem religiosum.

§ 2. Si longe moriantur a domo, ita ut in ecclesiam suae domus vel saltem suae religionis nequeant commode asportari, funerandi sunt in ecclesia paroeciae ubi decedunt, nisi novitius aliam ecclesiam ad funus elegerit, et salvo Superioribus iure de quo in can. 1218, § 3. Scilicet: Licet translatio ad ecclesiam funeris aut ad locum sepulturae incommoda sit, semper tamen integrum est familiae, heredibus, aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis.

§ 3. Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2, valent quoque de famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus; qui tamen, si extra religiosam domum decesserint, funerandi sunt ad normam can. 1216-1218. - Nempe: ex iure ordinario » quoad fideles.

Can. 1230. § 5. Religiosas et novitias, in religiosa domo defunctas, ad clausurae limen deferant aliae religiosae; indeque, si de religiosis agatur iurisdictioni parochi non obnoxiis, ad propriam religiosae domus ecclesiam vel oratorium deducit et exsequias peragit cappellanus; si de aliis religiosis, valet praescriptum § 1 (commune pro fidelibus); quod vero ad religiosas attinet extra domum defunctas, serventur generalia canonum praescripta.

minationes prae se honorem ferentes. non iam academici tituli habitae testimonium scientiae, v. g. Doctoris in iure, Magistri in S. Theologia, sed *dignitatum*, quae sensu absoluto ac proprio sunt honoris seu praeeminentiae ac iurisdictionis indicium, et Abbatiae seu Praelaturae nullius ad minus. et supra, inter ipsas recensentur: additurque *vel officiorum* sensu stricto ad normam can. 145, scilicet: « aliquam saltem secumferentium participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis »; dummodo tamen huiusmodi tituli sint *mere honorifici*, scilicet: eis non respondeat in subiecto dignitas vel officium actu possessum quod designant; v. gr. Abbas titularis, ex-Prior, ex-Provincialis, ex-Vicarius Generalis, ex-Commissarius Apostolicus, et similes: quae interpretatio confirmatur praeterquam ex adnotationibus ad hunc Cod. canonem, etiam ex sequentibus; *soli, si id permittant constitutiones*, alias non viget exceptio prohibitionis, *tolerantur tituli officiorum maiorum*, scilicet: quae recensentur in can. 488, n. 8°, *quibus religiosi* titulo utentes *in propria religione*. non iam forsitan in alia ex qua in propriam transierunt, *reapse functi sunt*.

Hinc posset quaeri: an socii Superioris generalis qui titulo Provincialium quarumdam provinciarum antiquitus existentium decorantur ex concessione Superioris generalis propter Apostolicum privilegium facta, prohibeantur imposterum tali decorari titulo. Respondendum negative, dum socii munere funguntur: quia etsi expressa revocatio titulorum praedictorum, qui sint mere honorifici, intelligatur ex prohibitione ipsa, ne inane videatur vetitum usus; tamen privilegium Superioris generalis non revocatur expresse, proinde « integrum manet » ex can. 4, quod ita est interpretandum « ut privilegio auctus aliquam ex indulgentia concedentis videatur gratiam consecutus », prout praescribit can. 68, atque id non haberetur. si socii praedicto titulo eis concesso uti nequirent saltem dum sunt in officio.

575. **De consiliariis et oeconomis.** — *Can. 516.* § 1. *Supremus* a) *religionis* cuiuslibet b) *aut monasticae Congregationis Moderator*, v. gr. in Ordine S. Benedicti Abbates singularum Congregationum, in ceteris monasticis Congregationibus harum uniuscuiusque Superior, c) *Superior provincialis et* d) *localis* itidem « religionis » ut antea, *saltem formatae domus*, non iniungitur Superiori locali domus non formatae, *habeant suos consiliarios*, atque exprimitur eorum munus: *quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum* cum obligatione diversa ex praedictis normis profluente.

§ 2. *Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi*, quorum nempe sit praefatum administrandi munus, etsi aliud nomen habeant forsitan minus proprium: a) *generalis qui religionis universae* propria *bona administret*, non iam temporalia cuiuscumque domus totius religionis, b) *provincialis* oeconomus *qui provinciae* ut talis propria bona, c) *localis qui singularum domorum; qui omnes officio suo* scilicet: praedicto *fungantur sub directione Superioris* singulorum, quam sequi teneantur.

De compatibilitate officiorum est § 3. *Oeconomi* a) *generalis et* b) *provincialis munus gerere Superior* ipse, cui subiacere debet oeconomus, non potest; *munus vero* c) *oeconomi localis, quamvis melius a munere* fortassis vero officio *Superioris distinguatur* ex personis, *componi tamen cum eo potest*, scilicet: compatibile censetur, sub conditione: *si necessitas id exigat.*

§ 4. *Si de modo oeconomos* singulos praedictos *eligendi constitutiones sileant*, secus enim constitutiones ut tales sunt servandae, *a Superiore maiore*, pro respectivo oeconomo et inferiorum, *cum consensu sui Consilii eligantur* illi.

576. **De procuratore generali.** — *Can. 517.* § 1. *Quaeris virorum religio iuris pontificii*, etiamsi Congregatio sit, aut non exempta, *procuratorem generalem habeat, qui, secundum constitutiones designatus* quoad designantem, qualitates ipsius designandi, ac modum designationis, *negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet*, « quique e gremio eiusdem religionis esse debet ».

« Ut autem commisso sibi munere fungi valeat, Procurator Generalis residentiam habitualem in Urbe, iuxta praxim, habeat oportet ». Haec monuit S. Congr. de Religiosis [1].

§ 2. *Antequam praescriptum in constitutionibus tempus*, dummodo in eis praescribatur, *exspiret, ne amoveatur, inconsulta Sede Apostolica.*

CAPUT II.

De Confessariis.

CAN. 518. - § 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis.

§ 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis,

[1] 4 Iun. 1920. CO. XII, 301.

confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

§ 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

CAN. 519. - Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis.

CAN. 520. - § 1. Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus.

§ 2. Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate.

CAN. 521. - § 1. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae.

§ 2. Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.

§ 3. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre.

CAN. 522. - Si, non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur.

CAN. 523. - Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere.

CAN. 524. - § 1. In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes.

§ 2. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest.

§ 3. Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant.

CAN. 525. - Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordina-

rios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere.

CAN. 526. - Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit: dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est.

CAN. 527. - Loci Ordinarius ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur.

CAN. 528. - Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans.

CAN. 529. - Si agatur de religionibus laicalibus non exemptis, Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare; si de exemptis, Superior regularis eosdem sacerdotes designat eiusque negligentiam supplet Ordinarius.

CAN. 530. - § 1. Omnes religiosi

Caput II. De confessariis et cappellanis —
- in religione clericali —
  - eiusdem religionis — Can. 518
  - non pertinentibus ad eam — » 519
- religiosarum —
  - cum peculiari iurisdictione —
    - ordinariis — » 520
    - extraordinariis — » 521
  - cum iurisdictione pro mulieribus —
    - extra domum illarum — » 522
    - aegrotantium — » 523
  - deputandis —
    - qualitates et designatio — » 524
    - a quonam eligendis — » 525
  - quoad officium —
    - perduratio et confirmatio — » 526
    - renovandis — » 527
- in laicali religione —
  - deputandis — » 528
  - designandis — » 529
- Quoad liberam conscientiae manifestationem in subditis — » 530

Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

§ 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.

577. **Inscriptio capitis et ordo canonum.** — Deinde *Caput II* considerandum est *De confessariis* religiosorum *et cappellanis*, scilicet: qui alia sacra officia in eorumdem utilitatem peragunt.

De virorum confessariis sunt can. 518, 519, si agatur de religione clericali, nam de laicali cavet can. 528, quia huius intelligentia connexa est cum interpositis can. 520-527 qui statuunt de religiosarum confessariis; de cappellanis habetur solus can. 529, cui subsequitur can. 530 ultimus circa conscientiae manifestationem ex parte subditorum in religionibus.

578. **Ius praecedens** de regularium confessariis erat contentum his praescriptionibus.

Clem. VIII in C. « Sanctissimus »[1] ait: « Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores, in singulis domibus, deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori, iique sint docti, prudentes ac caritate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit; in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit ».

« Urbanus vero VIII decreto S. C. C.[2] .... declaravit... ut si huiusmodi Regularium confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint tamen Confessarii illa vice poenitentes Regulares etiam non obtenta a Superiore facultate absolvere ».

Ex Const. Clem. « Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves, quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a Confessariis imponendas, quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint ».

Denique in Congr. super statu Regularium habita die 16 Augusti 1866 « E.mi PP. rescripserunt: Serventur Dec^a^. Clem. VIII et Urb. VIII (sc. de casuum reservat. et absol.) ita tamen, ut in parvis Communitatibus Superiores omnino debeant deputare habitualiter saltem unum Confessarium ex Religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis ».

Nunc simplicior et magis completa est legislatio, ut patebit.

579. **Confessarii domuum religiosorum clericorum.** — *Can. 518.* § 1. *In singulis religionis clericalis domibus deputentur* a) *plures*, scilicet: saltem duo iuxta reg. XL iuris in 6°. « Pluralis locutio, duorum numero est contenta » vel in numero

[1] 26 Maii 1593.
[2] 21 Sept. 1624.

maiori *pro sodalium* eiusdem domus *numero confessarii* b) *legitime approbati* secundum ss. canones in Titulo « de Poenitentia » IV Lib. III, c) *cum potestate*, sub conditione *si agatur de religione exempta*, quia in hac tantum reservari casus possunt ad normam can. 895, 896 [1], *absolvendi etiam a casibus in religione reservatis*.

§ 2. *Superiores religiosi*, a) *potestatem audiendi confessiones habentes*, vel ordinariam « in religione clericali exempta » iuxta can. 501, § 1, vel delegatam a loci Ordinario, tum in aliis religionibus clericalibus, tum in laicalibus etiam exemptis casu quo Superiores fuerint sacerdotes, *possunt*, b) *servatis de iure* communi vel particulari *servandis* praescriptionibus, c) *confessiones audire subditorum* etiam licite, d) *qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant*, deficit enim tunc ratio implicita prohibitionis audiendarum alias eorum confessionum; notanda vero limitatio praedictae concessionis sequens: *at sine gravi causa* e) *id per modum habitus*, velut ex consuetudine, *ne agant*. Quae gravis causa esset v. gr. in confessariorum defectu ad tempus.

Rationes huius §i ac similis praescriptionis in can. 891 [2] extendentium ad universam Ecclesiam Decretum Congr. S. Officii, pro alma Urbe diei 5 Iulii 1899, ita in eodem Dec°. exprimuntur: « relatum est quod in hac alma Urbe nonnulli religiosarum Communitatum necnon Seminariorum et Collegiorum Superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium Sacramentales excipiant confessiones. Ex quo quanta incommoda, imo quot gravia mala oboriri possint, nemo qui in sacris ministeriis vel mediocriter sit versatus pro comperto non habet. Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superiores minus liberi esse possunt in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum confessiones excipiunt ».

Hinc etiam patet prudentia seqs. § 3. *Caveant Superiores* maiores vel minores sicut supra, *ne quem subditum* proprium *aut* a) *ipsi per se aut* b) *per alium* a) *vi*, scilicet: violentia in scopum dicendum illata, b) *metu* videlicet: minis, c) *impor-*

[1] Can. 895. Locorum Ordinarii peccata ne reservent; nisi, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit.

Can. 896. Inter Superiores religionis clericalis exemptae unus Superior generalis, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiusque Consilio, peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1, 519.

[2] Can. 891. Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant.

tunis suasionibus, non iam simplici consilio aut suasione in casu aliquo, d) *aliave ratione* v. gr. praecepto, ordinatione, malevolentia secus subeunda *inducant ut peccata apud se confiteatur.* Quia tunc deficeret illud « sponte ac motu proprio » de quo in praecedenti paragrapho, econtra his omissis potest Superior tuta conscientia propositam subditi confessionem audire, ni aliunde constet conditionis praefatae in § 2° defectus.

580. **Alii confessarii religiosorum.** — *Can. 519. Firmis constitutionibus* religionis, proindeque servandis, *quae confessionem* 1° *statis temporibus praecipiunt* hoc est: obligationem imponentes *vel suadent*, atque ut consilia sequendae, 2° *apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus*, etiam votorum solemnium, quod sic canon exprimit: a) *etiam exemptus* de quo dubitari posset, b) *ad suae conscientiae quietem*, in quem finem motus est legislator, et cuius mentem expressam non sequeretur qui pro lubitu c) *confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum*, scilicet: iurisdictione praeditum ad normam can. 877, § 1, et 879, § 1 [1], *etsi inter designatos* quos prius vocavit « determinatos » *non recensitum, confessio, revocato quolibet*, ergo cuiuscumque religionis exemptae, etiam Societatis Iesu, ante Codicem etsi directe concesso, et quibuscumque clausulis munito *contrario privilegio* ad normam can. 4, a) *valida* ob iurisdictionem ut supra, b) *et licita est*, omnino quidem servata mente legislatoris, ut supra; *et confessarius* c) *potest* vi huius canonis praefatum *religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione* qua tali, sed a quocumque ac quomodocumque *reservatis*. Dicendum est non comprehendi censuras ab homine secundum can. 2253, n. 2° [2]. Atque illa quies conscientiae prosequenda in licitum huius libertatis usum non erit solum petenda ex quodam gravi peccato admisso, sed forsitan etiam ob difficultatem in casu quodam confessionem instituendi apud determinatos confessarios. - Canonis huius concessio desumpta est

[1] Can. 877, § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.

Can. 879, § 1. Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa.

[2] Can. 2253. Extra mortis periculum possunt absolvere:...

2° A censura ab homine, ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit.

ex iure integro praecedenti, videlicet: ex Dec°. S. C. de Religiosis (5 Aug. 1913) ubi legitur etiam: « quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur » confessarii, et ad normam can. 1 et 6, n.° 2° [1] valent adhuc declarationes eiusdem S. Congregationis (diei 3 Maii 1914) quoad « exorta dubia: 1 An Decretum praedictum comprehendat etiam confessiones quas Religiosi ritus latini faciunt apud Confessarios ritus orientalis, et vicissim? - 2. An idem decretum comprehendat etiam novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis? Emmi ac Revdmi. Patres Cardinales reposuerunt: Ad 1m et 2m Affirmative ». Quod remanet Codici conforme statuenti in can. 905: « Cuivis fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri ».

581. **Ordo canonum de confessariis religiosarum.** — Incipiendo interpretationem canonum de religiosarum quarumcumque confessariis, referre oportet can. 876, § 1. « Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari » scilicet: per concessionem ad hoc « iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239, § 1 » de S. R. E. Cardinalium privilegio; atque ait « § 2. Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est », hinc etiam exemptarum monialium, « ad normam canon. 525 » scilicet: quoad designationem confessariorum et horum approbationem. - Hi canones praesentes hanc servant mutuam dependentiam: 1° de constituendis confessariis tum ordinariis tum extra ordinem concessis agunt can. 520-523, 2° qualitates designandorum in confessarios praefatos exhibet can. 524, 3° circa eorum designationem praestituit normam can. 525, subsequentibus can. 526 et 527 de officii duratione pro unoquoque confessario eiusque amotione in casu.

582. **Ius praecedens.** — Disciplina de hac materia fundata in Conc[i]. Trid[i]. cap. 10 de Regularibus sess. XXV, explicationem

[1] Can. 1. Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiant.

Can. 6... 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi.

ac complementum rationibus fulcitum adepta est per Benedicti XIV constm. « Pastorali » 5 Aug. 1748, accedente Dec°. « Quemadmodum » Leonis XIII 17 Dec. 1890. sed ius Codicem praecedens invenitur in Dec°. S. C. de Religiosis « Cum de Sacramentalibus » 3 Feb. 1913 in seqs. canonibus insertum.

583. **Confessarius ordinarius et peculiaris.** — *Can. 520*, § 1. *Singulis religiosarum* monialium et sororum *domibus unus dumtaxat* a) *detur confessarius ordinarius* sic dictus, eo quod earum confessiones stata hebdomadaria vel alia frequentia audiat ex munere, et hoc sic exprimitur: *qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat*, et regula haec conservatur, quam Bened. XIV vocat « consultissimam et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem », b) *nisi*, ut prosequitur canon, *propter magnum ipsarum numerum*, et haec ratio sufficit, *vel aliam iustam causam* a loci Ordinario iudicandam *sit opus altero vel pluribus* etiam: qui omnes confessarii erunt ordinarii.

Propter frequentiam dictam, hunc confessarium repraesentat specialiter ille de quo statuit § 2. *Si qua religiosa, ad animi sui quietem*, etiam sine conscientiae necessitate, *et ad maiorem in via Dei progressum* perfectionis, *aliquem* a) *specialem confessarium vel* forsan sine confessione b) *moderatorem spiritualem*, quem directorem spiritus vocant, a) *postulet*, hac ergo praevia postulatione, *eum facile Ordinarius* ad quem id pertineat, b) *concedat*, ac monitio prae oculis habenda sequitur: c) *qui tamen* Ordinarius *invigilet ne ex hac concessione abusus* quicumque *irrepant, quod si irrepserint*, a) *eos caute et prudenter eliminet*, aliter quam revocando concessionem, si fieri queat, quod exprimit clausula: b) *salva conscientiae libertate*.

Quia hic paragraphus « ius vetus ex integro ad verbum refert », iuxta can. 6, n. 2° [1] utiles sunt eiusdem declarationes per S. C. de Religiosis editae [2]: « I. An confessarius specialis seu spiritualis moderator pro aliqua religiosa deputatus iuxta art. V Decreti "Cum de Sacramentalibus", valeat perpetuo in suo munere permanere, vel potius concedendus sit ad tempus praefixum?

II. An deputari valeat in confessarium specialem seu conscientiae moderatorem alicuius religiosae, qui in decurso trien-

[1] Vide hunc canonem in calce pag. praec. — [2] 22 Apr. 1917.

nio confessarii ordinarii communitatis munere functus sit, nondum a cessatione praedicti officii anno expleto. — Emmi Patres Card^{s}... responderunt: Ad primum: Specialem confessarium seu moderatorem spiritualem concedendum esse non ad tempus praefixum, sed donec perduret iusta causa necessitatis vel utilitatis spiritualis religiosae, quae postulaverit, ad normam Decreti '' Cum de sacramentalibus ,, sub 13 », statim transcribendam uti prudentis applicationis quoad expressam mentem canonis. — « Ad secundum: Affirmative ».

« 13. Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intelligant Religiosas nulla iusta causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa specialem petendi confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant ».

584. **Confessarii extraordinarii.** — Ratio sequentium canonum apta est, quam innuit Bened. XIV in cit. const.: « hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis huiusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sit opportunae dispensationis, et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere ». Et primo ampliando praescriptum Conc. Trid. statuit *can. 521.* § 1. *Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius* sic dictus respectu ordinarii, quatenus istius frequentia in adimplendo munere suo caret ille ceteroquin ordinario similis: munus autem eius ac relativa religiosarum obligatio sequuntur: *qui* a) *quater saltem in anno*, non tantum « bis aut ter » ut aiebat Conc. Trid., b) *ad domum religiosam accedat et cui* c) *omnes religiosae se sistere debent*, quibus datur communitatem constituentibus, hinc etiam novitiae ac postulantes, nec confiteri obligantur, sed *saltem benedictionem recepturae* ipsum adeant.

Aliter sunt extraordinari confessarii, eo quod nec statis temporibus accedunt ad domum, nec omnibus communitatis religiosis necessario deserviunt, sed pro casibus emergentibus unius alteriusve cuiuslibet de communitate membri confessio-

nem excipiunt ex munere proprio; et quia in can. 525 sub extraordinarii nomine venit talis confessarius, quamvis in subsequenti paragrapho ita non nominetur, sub tali appellatione dicendum est semper comprehendi.

Ecce § 2. *Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt*, illi solummodo, *aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent*, saltem duos iuxta reg. iuris XL in 6° « Pluralis locutio, duorum numero est contenta », et qui pro pluribus domibus iidem queunt designari, cauto quod munus eorum sufficienter expleant, scilicet: *ad quos*, a) *pro sacramento poenitentiae*, non ad directionem solum vel consilium, et b) *in casibus particularibus*, non habitualiter ad instar specialis confessarii de quo in § 2 praecedentis canonis, *recurrere eae facile possint*, c) *quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire*. Quod opus esset, si praedicti speciali approbatione requisita et iurisdictione indigerent, atque illud vergeret ob novam difficultatem in conscientiarum damnum.

Quia vero religiosae recursum praedictum exsequi debent per Superiorissam, ne illarum libertas obstaculum subeat, praecipit § 3. *Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat* pro iure quidem suo, *nulli Antistitae* minori vel maiori *liceat* a) *nec per se nec per alios, neque directe, neque indirecte*, tamquam aliud quaerens, *petitionis rationem inquirere* quolibet modo, b) *petitioni verbis* per denegationem aut oppositionem *aut factis refragari* v. gr. non vocando sacerdotem expetitum sed alium, vel omittens vocare, c) *aut quavis ratione* v. gr. gestu *ostendere se id aegre ferre*. Valde prudenter legislator medetur mulierum timiditati.

585. **Confessarius adeundus in casibus.** — *Can. 522. Si, non obstante praescripto can. 520, 521*, videlicet: praeter has salvas concessiones, *aliqua religiosa*, etiam novitia ad normam can. 566, § 1: « circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520-527 », *ad suam conscientiae tranquillitatem*, ut explicatum manet in canone 519, a) *confessarium adeat* in confessionali sedentem vel ad illam vocatum, *ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum*, etsi carentem speciali pro religiosis approbatione, *confessio* b) *in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta* consequenter itidem propriae domus, c) *valida et licita*

est, d) *revocato quolibet contrario privilegio*, et hucusque concordat cum aptatione can.[1] 519; peculiaris vero est sequens canonis pars: *neque Antistita* I° *id prohibere potest*, quia religiosa suo utitur iure, II° *aut de ea re inquirere*, an illud nempe eveniat, quave de causa, vel cum quo confiteatur, *ne indirecte quidem*, velut aliud quaerens; III° *et religiosae etiam aliae* forsan scientes *nihil Antistitae referre tenentur*, quamvis indiscrete interrogarentur. Interpretationem primae partis canonis perspicue confirmat et magis illustrat sequens Pont^ae^. Commiss^s^. authentica interpretatio: « Resp.: Canon 522 ita est intelligendus, ut confessiones, quas ad suae conscientiae tranquillitatem religiosae peragunt apud confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam publico, aut in loco ad audiendas mulierum confessiones *legitime* destinato ». Propter particulam rescripti huius « dummodo » sequitur responsio implicita ad dubium « III. Utrum (illa verba primae partis) canon 522... ita intelligenda sint, ut confessio extra ea loca peracta non tantum illicita, sed etiam invalida sit ». Affirmative, si confessarius careat « peculiari iurisdictione (qua) indigent » sacerdotes vi can. 876 [1].

586. **Confessarius graviter aegrotantium.** — Similem praecedenti libertatem elargitur pro quadam hypothesi *can. 523. Religiosae omnes*, a) *cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit*, quod bene notandum, *quemlibet sacerdotem* b) *ad mulierum confessiones excipiendas approbatum*, c) *etsi non destinatum religiosis*, ergo carentem speciali pro eis approbatione, *arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate*, non semel tantum, sed d) *quoties voluerint* ipsae, *confiteri, nec* e) *Antistita potest eas* in hoc proprii iuris usu *sive directe sive indirecte* impedimenta ponendo *prohibere*.

587. **Qualitates et designatio confessariorum.** — *Can. 524.* § 1. *In munus confessarii religiosarum et ordinarii* ad normam can. 520, § 1 tantum, *et extraordinarii* de quo in toto can. 521, *deputentur sacerdotes*, a) *sive e clero saeculari*, b) *sive religiosi* quicumque religionis eiusdem vel diversae, attamen *de Superiorum licentia*, et in hac parte fuit simplicior legislatio praece-

[1] Vide huius canonis interpretationem in Comm. Textus « de Sacramentis » pagg. 521-522.

dens retenta, a) *morum integritate*, b) *ac prudentia praestantes;* c) *sint insuper annos nati quadraginta*, concessa exceptione: *nisi iusta causa, iudicio Ordinarii* ponderanda, *aliud exigat*, d) *nullam potestatem* dominativam vel iurisdictionis *in easdem religiosas in foro externo habentes.*

De diverso munere successivo eiusdem personae agit § 2. *Confessarius ordinarius non potest* 1° *renuntiari extraordinarius*, 2° *nec*, a) *praeter casus in can. 526 recensitos* tunc expendendos, b) *rursus deputari ordinarius*, nec istud nec illud a) *in eadem communitate* (bene autem statim potest alterutrum munus in alia obtinere) b) *nisi post annum ab expleto munere*, scilicet: post diem eiusdem numeri mensis, qui fuit ultimus in munere expleto ad normam can. 34, § 3, n. 2; *extraordinarius vero* sive § 1, sive § 2, can[s]. 521 *immediate ut ordinarius* supple: eiusdem etiam communitatis *renuntiari potest.*

Obligationem peculiarem imponit § 3. *Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno*, scilicet: per Superiorissam *vel externo* per Ordinarium, regularem Superiorem aut alterutrius delegatum, *communitatis*, non iam singularis religiosae, *regimini nullo modo sese immisceant.*

588. **Confessariorum illorum nominatio.** — *Can. 525. Si religiosarum domus* a) *Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci* de facto, quamvis per indultum aut exceptionem, *hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios*, sub quo vocabulo veniunt certo qui ad utilitatem singularem religiosarum destinantur ad normam can. 521, § 2; *si* b) *Superiori regulari* domus immediate subiiciatur de facto, *hic confessarios* specialiter approbandos *Ordinario* loci *praesentat, cuius est* I° *eosdem pro audiendis illarum monialium*, hae namque solae Regularibus subiectae sunt, *confessionibus approbare et* II° *Superioris negligentiam* in praesentando, *si opus sit, supplere*, illos libere designando.

589. **Perduratio et confirmatio in munere.** — *Can. 526. Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius* loci *tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennium* immediate sucessivum *confirmare potest*, iuxta exceptionem sub littera a) in § 2, can. 524, *si* I° *vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat*, II° *vel maior religiosarum pars*, b) *earum*

quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, v. gr. religiosae conversae, aliae nondum habentes annos professionis ad votum requisitos, secundum can. 101, § 1. 2° « Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet », c) *in eiusdem confessarii confirmationem*, ad secundum, vel ad tertium triennium, d) *per secreta suffragia, convenerit;* regula vero praedicta satisfit sequenti modo: e) *dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est*, v. gr. per alium ordinarium conformiter can. 520, § 1.

590. **Amotio confessariorum.** — *Can. 527. Loci Ordinarius, ad normam can. 880* [1], *potest*, scilicet: « nonnisi » *gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere*, imo etiam alios quoscumque v. gr. « arcessitum » (can. 523) revocare vel suspendere ob can. 880 [1], *etiamsi* a) *monasterium regularibus subdatur et* in hoc vel in aliis domibus religiosarum b) *ipse sacerdos a confessionibus sit regularis*, a) *nec tenetur causam amotionis cuiquam significare* v. gr. monasterii praedicti Superiori, Antistitae, b) *excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur* fortassis ob recursum; c) *de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur*, ut regularis Superior praesentet alterum sacerdotem, et quia eius interest scire mutationem.

591. **Confessarii pro religionibus laicalibus.** — *Can. 528. Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874, § 1*, scilicet: cum iurisdictione delegata « ab Ordinario loci in quo confessiones excipiuntur », *875, § 2* videlicet: « In religione laicali exempta, Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur »; secundum hos ergo canones deputetur *confessarius ordinarius et extraordinarius* de quibus in can. 520 § 1 et 521 § 1, tantum; *et si religiosus aliquem specialem*, nempe: distinctum ab illis *confessarium*, proinde iurisdictione iam praeditum) *expostulet, illum Superior* b) *concedat venturum, nullo modo* 1° *petitionis rationem inquirens neque* 2°

[1] Can. 880. § 1. Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.

§ 2. At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut poenitentiario confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam.

id aegre se ferre demonstrans, omnino sicut dictum est in canon 521 § 3; et haec petitio fieri potest, dum est sanus religiosus veluti in can. 520, § 2, dum est aegrotans vel graviter sicut in can. 523 vel non. Quoad adeundum quemlibet confessarium his religiosis suffragatur praescriptum can. 519. Et sic applicatae sunt eis normae religiosarum ad eorum confessionum libertatem.

592. **Cappellani.** — *Can. 529. Si agatur de religionibus laicalibus* 1° *non exemptis*, *Ordinarii loci* in quo sit domus *est sacerdotem* apud earum ecclesias vel oratoria religiosorum sive virorum sive mulierum *a sacris* nempe: ad sacras peragendas functiones *designare* uti eis addictum ex officio *et a concionibus probare* iuxta canones de sacra praedicatione in Lib. III; 2° *si de exemptis*, a) *Superior regularis* religionis laicalis *eosdem sacerdotes* praedictos *designat* quoad personam probandam a loci Ordinario vel inter probatos ad illa munia, *eiusque* Superioris in designando b) *negligentiam supplet Ordinarius.*

593. **De conscientiae aut animi aperitione.** — In primo can. huius Capitis visum est quam severa prohibitio sit facta religionum clericalium Superioribus circa subditorum confessiones audiendas, inde consequens fuit ut illis etiam aptaretur sequens praescriptum vigens antea pro Superioribus religionum laicalium etsi mulierum; scilicet: *can. 530*, § 1. *Omnes religiosi Superiores*, scilicet: non sunt comprehensi locorum Ordinarii, sed intelliguntur qui potestatem equidem officio adnexam et saltem dominativam exercent ad minus in aliquam domum religiosam. Hi ergo tantum, sive viri religionis tum clericalis etiam exemptae tum laicalis, sive mulieres, *districte vetantur* a) *personas sibi subditas*, novitias quoque, ad normam can. 561, § 2, non alias etsi eiusdem religionis, b) *quoquo modo inducere*, scilicet: « directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis », ut exponitur in Dec°. « Quemadmodum » prius citato n. II, c) *ad conscientiae manifestationem* etiam extra confessionem, omissaque huius materia, d) *sibi* (aliis vero licet) *peragendam.*

Pro subditis autem, abrogata obligatione Superiores denuntiandi ex n. II praedicto, normam tradit § 2. *Non tamen prohibentur subditi* quilibet ex declaratis in §° praec. *quominus* a) *libere ac ultro*, sicut dictum est in can. 518 § 2 quoad confessio-

nem, b) *aperire animum suum Superioribus* eorum *valeant* « ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu » quemadmodum explicatur in n. III cit. Decreti: additurque in canone: c) *imo expedit* idest: consilium additur in canone: *ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant*, « aperientes animum suum » et ex hoc laudandi essent, ac notetur: d) *eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae*, quatenus obligationes ac peccata respiciunt, *exponentes*, eo quod si laici aut mulieres sint Superiores, indeque S. Theologiae doctrina expertes, de moralibus casibus ad eorum consilium aut decisionem confugere, nec prudens nec expediens reputandum esset ut plurimum, atque confessarii potius consulendi forent.

CAPUT III.

De bonis temporalibus eorumque administratione.

CAN. 531. - Non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur.

CAN. 532. - § 1. Bona tum religionis, tum provinciae domusque, administrentur ad normam constitutionum.

§ 2. Expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiores, faciunt, intra fines sui muneris, officiales quoque, qui in constitutionibus ad hoc designantur.

CAN. 533. - § 1. Pro pecuniae quoque collocatione servetur praescriptum can. 532, § 1; sed praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur:

1º Antistita monialium et religionis iuris dioecesani pro cuiusvis pecuniae collocatione; imo si monialium monasterium sit Superiori regulari subiectum, ipsius quoque consensus est necessarius;

2º Antistita in Congregatione religiosa iuris pontificii, si pecunia dotem professarum constituat ad normam canonis 549;

3º Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam;

4º Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.

§ 2. Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione.

CAN. 534. - § 1. Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit; secus, requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato; sed si agatur de monialibus aut sororibus iuris dioecesani, accedat necesse est consensus, in scriptis praestitus, Ordinarii loci, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subiectum sit.

§ 2. In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est.

CAN. 535. - § 1. In quolibet monialium monasterio etiam exempto:

1° Administrationis ratio, gratis exigenda, reddatur semel in anno, aut etiam saepius si id in constitutionibus praescribatur, ab Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium sit eidem subiectum;

2° Si ratio administrationis Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oeconomam aliosque administratores; quod si monasterium sit Superiori regulari subiectum, eum Ordinarius, uti prospiciat, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat.

§ 2. In aliis mulierum religionibus, ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci reddatur occasione visitationis et etiam saepius, si Ordinarius id necessarium duxerit.

§ 3. Loci Ordinario ius insuper esto cognoscendi:

1° De rationibus oeconomicis domus religiosae iuris dioecesani;

2° De administratione fundorum legatorumque de quibus in canone 533, § 1, nn. 3, 4.

CAN. 536. - § 1. Si persona moralis (sive religio, sive provincia, sive domus) debita et obligationes contraxerit etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de eisdem respondere.

§ 2. Si contraxerit regularis cum licentia Superiorum, respondere debet persona moralis, cuius Superior licentiam dedit; si religiosus votorum simplicium, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium religionis gesserit.

§ 3. Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus.

§ 4. Firmum tamen semper esto, contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu versum est, semper posse actionem institui.

§ 5. Caveant Superiores religiosi ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem.

CAN. 537. - Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur, nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris et ad normam constitutionum.

594. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — Restat perpendendum *Caput III. - De bonis temporalibus*, scilicet: quae ad vitam sustentandam temporalem sunt ex seipsis ordinata, et de iuribus erga ipsa, *eorumque administratione* scilicet: de actibus iuridicis circa praefata bona, eorum consumptione exclusa.

De acquisitione ac possessione loquitur can. 531, de administratione in genere statuit can. 532, de pecuniae collocatione can. 533, de alienandis rebus illis temporalibus can. 534, ut vero haec omnia rite procedant, rationes administrationis sunt ad normam can. 535 reddendae: can. 536 determinat cuinam incumbat contractus cuiusquam obligatio secundum casuum diversitatem, ac de largitionibus munerum ius praecedens Codicem in can. 537 constringitur.

595. **Ius acquirendi et possidendi.** — *Can. 531. Non modo religio* ut sic, *sed etiam provincia* ut talis, *et domus*, quia verae sunt morales personae collegiales in Ecclesia, edicitur: *sunt capaces acquirendi et possidendi*, per actus omnibus personis licitos, et ut domini, *bona temporalia* iuxta inscriptionem capitis *cum reditibus stabilibus seu fundatis* scilicet: etiam immobilia frugifera vel eis aequiparata syngrapha debiti publici aut diversarum societatum, servatis ss. canonibus et cum sequenti exceptione: *nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus* iam prius in can. 489 declaratis *excludatur* v. gr. apud Minores capuccinos *aut coarctetur* ex. gr. quoad bona immobilia, quoad domos determinatas, etc.

596. **Administratio.** — *Can. 532.* § 1. *Bona tum religionis, tum provinciae domusque, administrentur ad normam constitutionum.* Quae proinde opus est ut de huiusmodi administratione statuant, et servandae quidem in administrationis substantia ex conscientiae debito propter hunc canonem. - § 2. *Expensas et actus iuridicos* v. gr. locandi ceterorumque contractuum *ordinariae administrationis*, quae in dies urget peragenda exclusis circumstantiis supervenientibus, *valide*, quia ceteri agerent invalide, utpote de re non sua disponentes, a) *praeter Superiores*, quorum officio est adnexum administrandi munus, *faciunt, intra fines sui muneris* ex huius nomine ac in constitutionibus designato etiam fortassis quoad durationis tempus, b) *officiales quoque*, v. gr. bibliothecarius, sacrista, procurator, *qui in constitutionibus ad hoc* scilicet: « expensas et actus iuridicos administrationis » *designantur*. Non ergo faciunt valide per seipsos vi muneris, quae extraordinariam administrationem constituant.

597. **Pecuniae collocatio.** — *Can. 533.* § 1. *Pro pecuniae quoque collocatione* in societatibus, in syngraphis debiti publici, per mutuum, uno verbo: ad interesse percipiendum ex ea, tunc enim proprie dicitur « collocatio », in qua *servetur praescriptum can. 532, § 1* praecedentis, scilicet: « ad normam constitutionum » ut explicatum fuit, quae collocatio posset esse ordinaria iuxta mores regionis, semel inita legitime collocatione; atque hoc respicit tantum religiosos Superiores ac officiales etsi mulieres, *sed praevium consensum Ordinarii loci* non ubi collocetur pecunia, sed ubi est sita domus religiosa cuius pecunia sit colloeanda, vel quam incolit collocans illam, *obtinere tenentur* praeterea:

1° *Antistita* a) *monialium* in quibuscumque locis (can. 488, 7°). b) *et religionis iuris dioecesani* mulierum ob verbum « Antistita » *pro cuiusvis pecuniae collocatione*, ergo etiam sub seq^s. num^s. distinctae vel ad augendam collocationem; *imo, si monialium monasterium sit Superiori regulari subiectum* de facto, uti vocabulum innuit, *ipsius quoque consensus* praeter illum Ordinarii loci *est necessarius;* - 2° *Antistita in Congregatione religiosa* mulierum *iuris Pontificii*, tantummodo *si pecunia dotem professarum constituant ad normam can. 549*; scilicet: dos est collocanda, ut ibi dicitur: « post primam religiosae professionem » etiamsi de moniali agatur. - 3°. *Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae*, non ergo regularium virorum, *si qui fundi domui tributi legative sint* a) *ad Dei cultum beneficentiamve* b) *eo ipso loco impendendam.* Unde si vendantur fundi, pretium eorum aut si legata sit pecunia, collocanda esset, hoc praescripto servato. - 4°. *Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus*, dummodo professus ob verbum « religiosus » *si pecunia data sit* a) *paroeciae vel missioni, aut* b) *religiosis intuitu paroeciae vel missionis;* ergo propter pecuniae destinationem ex dantis voluntate.

Praescripta § 1 extendit § 2. *Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione*, vel quoad modum v. gr. in diversis debiti publici syngraphis, vel quoad locum aut societatem ubi extant collocationes huiusmodi. Notetur inter illa « servanda » esse « praescriptum can. 532, § 1. ».

598. **Alienationes, debita et obligationes.** — De alienatione horum bonorum temporalium, sicut pro aliis bonis ecclesiasticis, sunt canones de contractibus in Tit. XXIX, Libri III, et ibidem in can. 1530 dicitur: « ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur: 1°. Aestimatio rei a probis peritis scripto facta: - 2°. Iusta causa, idest urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas; - 3°. Licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est ». - Quaenam sit haec legitima licentia quoad diversa religiosorum bona temporalia, determinat *can. 534.* § 1. *Firmo praescripto can. 1531* [1], de modo aliena-

[1] Can. 1531, § 1. Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur. § 2. Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit. § 3. Pecunia ex alienatione percepta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur.

tionis peragendae respectu ad 1^m requisitum ex can. 1530, et de pecunia ex alienatione percepta collocanda, 1° *si agatur* a) *de alienandis rebus pretiosis* scilicet: ex arte, antiquitate, raritate etc, et his hac tantum de causa congruenter can. 1532, §. 1, 1°, et quae definiuntur in can. 1479, *aliisve bonis* sive mobilibus sive immobilibus *quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum*, in his ergo nummis vel aequipollentem summam, ac propter particulam « seu » disiunctivam, non considerato variabili cambii lucro in diversorum nummorum comparatione, etiam respectu materiae pecuniae, b) *vel de contrahendis debitis et obligationibus* v. gr. census, hyphotecae, *ultra indicatam summam*, a) *contractus vi caret*, conformiter ad n. 3. can. 1530, b) *nisi beneplacitum apostolicum antecesserit* scilicet: fuisset obtentum ante praefatam alienationem, vel contractum debiti obligationisve; 2°. *secus*, idest: infra dictam sumam a) *requiritur* b) *et sufficit* I° *licentia* II° *in scriptis data* III° *Superioris ad normam constitutionum* IV° *cum consensu sui Capituli seu Consilii* quando deest capitulum V° *per secreta suffragia manifestato*, atque deficiente aut « licentia » Superioris competentis, aut ex can. 105, 1°, consensu Capituli seu Consili, quia eiusdem manifestatio non fuit requisita, vel quia « Superior contra eiusdem votum invalide agit », in qualibet hypothesi praedicta, solummodo « alienatio invalida est » ad normam can. 1530, 3°, quia in hac praesentis canonis parte « actum esse nullum expresse vel aequivalenter (non) statuitur » (can. 11); *sed* 3° *si agatur* a) *de monialibus in* quibuscumque locis (can. 488, 7°. in fine) b) *aut sororibus iuris dioecesani* tantum, *accedat necesse est* praeter, seu melius ante beneplacitum apostolicum vel praeter licentiam in scriptis datam Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii, quatenus haec locum habeant intra monasterium vel Congregationem, « accedat necesse est » *I° consensus* ad alienationis validitatem ex can. 1530, 3°., II° *in scriptis praestitus* III° *Ordinarii loci*, IV° *necnon Superioris regularis* etiam ad alienationis validitatem ob cit. can.; hic autem consensus est dandus quoque in scriptis secundum canonis contextum, ast necessarius est solum sub conditione: *si monasterium monialium eidem* nempe: Superiori *subiectum sit*. - Notandum bene in commentario: beneplacitum apostolicum requiri ad contractus validitatem tum alienationis tum debiti obligationisve, dum ceterae

licentiae requisitae ad solius alienationis validitatem coarctantur, de qua tantum loquitur can. 1530, § 3., ubi est posita clausula irritans.

Ut valeat requisitorum consensuum quilibet propter generalem sequentem loquutionem, quaedam necessaria praevie conditio exprimitur in § 2. *In precibus pro obtinendo consensu*, ergo quandocumque requiritur ex § 1°., sed tantum *ad contrahenda debita vel obligationes*, non ad alienationes peragendas, *exprimi debent* a) *alia debita vel obligationes, quibus* b) *ipsa persona moralis*, quae multiplex designatur: *religio vel provincia vel domus*, c) *ad eum diem gravatur, secus*, nempe: si non exprimantur, vel melius si non adimpleatur illud praescriptum, *obtenta venia* pro novis debitis atque obbligationibus *invalida est*, scilicet: tamquam si non fuerit obtenta, imo consequenter ad normam §¹ praecedentis « contractus ex tali beneplacito apostolico vi caret ».

Ita ex ultimo canone simplicior mansit legislatio canonica de contrahendis per religiosos debitis et obligationibus inducta per instr.[1] datam a S. C. de Religiosis.

599. **Ratio administrationis reddenda.** — Cum in canone 532 relicta sit administratio rerum temporalium et consequens administrationis ratio regulanda secundum constitutionum normam uniuscuiusque religionis, de huiusmodi ratione reddenda quandoque loci Ordinario est sollicitus sub trimembri distinctione *can. 535*. § 1. *In quolibet monialium monasterio etiam exempto* et in quibuscumque locis (can. 488, 7°.): - 1°. *Administrationis ratio*, a) *gratis exigenda*, causa etiam laboris revisionis, b) *reddatur semel in anno* tantummodo, c) *aut etiam saepius* sub conditione: *si id in constitutionibus praescribatur* et ex harum sola obligatione, d) *ab Antistita* e) *Ordinario loci*, f) *itemque Superiori regulari*, utrique igitur Superiori administratio subditur examinanda *si monasterium sit eidem* regulari *subiectum;* [2] - 2° *Si ratio administrationis Ordinario* loci vel in secundo casu alterutri *non probetur, ipse potest*, a) *opportu-*

[1] 30 Jul. 1909.

[2] Pont. Commiss. sic auth. interpretata est hunc locum: « IV. Utrum vi canonis 535, § 1, 1° si monasterium monialium subiectum sit Superiori regulari (etiam exempto), administrationis ratio reddenda sit Superiori regulari et etiam Ordinario loci. Resp.: Affirmative ».

na remedia adhibere, minora si sufficere iudicentur, sed b) *etiam removendo, si res postulet*, hac igitur conditione, *oeconomam aliosque administratores*, uti Episcopo ius concesserat in Greg. XV const. « Inscrutabili » [1]; servanda est limitatio pro casu sequenti: a) *quod si monasterium sit Superiori regulari subiectum*, b) *eum* Superiorem *Ordinarius* loci, « cui ratio administrationis non probetur », *uti prospiciat* idest: ut provideat, c) *moneat* loco faciendi supra dicta, cum hac exceptione: d) *quod si ille* Superior regularis ita monitus *neglexerit morem* gerere loci Ordinario, tunc e) *ipse* nempe: hic *per se consulat*, sicut in monasteriis eidem soli subditis.

§ 2. *In aliis mulierum religionibus*, etsi iuris pontificii, *ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt*, illaque sola vi huius §[i], *Ordinario loci reddatur* I° *occasione visitationis* II° *et etiam saepius*, sub conditione: *si Ordinarius id necessarium duxerit* prudenti iudicio, non pro eius libito. Sed penes ipsum est necessitatem ponderare ac definire.

§ 3: *Loci Ordinario ius insuper esto cognoscendi: -* 1°. *De rationibus oeconomicis* absque distinctione ulla *domus religiosae* tum virorum tum mulierum *iuris dioecesani; -* 2° *De administratione fundorum legatorumque de quibus in can. 533, § 1, nn. 3, 4.* Scilicet: « si qui fundi domui Congregationis religiosae », quamvis clericalis et exemptae virorum vel mulierum, « tributi sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam » (ex n°. 3°.), et (ex n°. 4°.) « si fundi vel legata (sic interpretamur hic pro illius numeri verbo « pecunia ») data sint religioso cuilibet, etsi Ordinis regularis alumno, intuitu paroeciae vel missionis aut ipsi paroeciae vel missioni ».

600. **Obligatus ex contractibus.** — *Can. 536.* § 1. *Si persona moralis* ex religiosis constans, quae sic distribuitur: (*sive religio, sive provincia, sive domus*) *debita et obligationes contraxerit etiam cum Superiorum licentia* requisita ad normam can. 534, non Superiores consentientes sed *ipsa tenetur de eisdem respondere* in iudicio et extra ipsum per illius nempe legitimum procuratorem in casu.

§ 2. *Si contraxerit* a) *regularis*, scilicet: qui « in Ordine » (can. 488, n. 7°) professus est, *cum licentia Superiorum, respon-*

[1] 5 Febr. 1622, § 5.

dere debet persona moralis, *cuius Superior licentiam* expressam vel publice tacitam, ut evincunt rationes adductae in una Dioecesis seu Ordinis N., [1] *dedit* v. gr. religio, si Superior fuit generalis, provincia, si Superior licentiam tribuens fuit provincialis, domus religiosa, si Superior fuit localis, sic absdubio ob personam contrahentem; e contra: b) *si religiosus votorum simplicium* scilicet: qui ea emisit « in Congregatione religiosa » non in Ordine (can. 488, n. 7°), professus *ipse respondere debet*, cum exceptione: *nisi* a) *de Superioris licentia* b) *negotium religionis gesserit*. Tunc enim servandum §[i] praescriptum antea declaratum. Nec miranda praescripti diversitas pro his et professis Ordinis cum votis simplicibus, quia diversa est conditio utrorumque iuridica, ut patebit infra.

§ 3. Si *contraxerit religiosus* Ordinis vel Congregationis *sine ulla Superiorum licentia*, a) *ipsemet respondere debet*, de contractus obligatione coram iudice aut extra iudicium, b) *non autem religio vel provincia vel domus*.

His praescriptis non obstantibus edicit § 4. *Firmum tamen semper esto, contra eum, in cuius rem aliquid ex inito contractu* forsitan nullo *versum est, semper posse actionem institui* competentem fortassis etiam religioso.

Demum servanda monitio fit in § 5. *Caveant Superiores religiosi* competentes ad hoc, quia de aliis Superioribus adest simile praescriptum in can. 1538, *ne debita contrahenda permittant*, *nisi* a) *certo constet* tum b) *ex consuetis reditibus* aliunde obtinendis *posse debiti foenus solvi* videlicet: detractis expensis necessariis pro communitate, tum etiam c) *et intra tempus non nimis longum* (attenta debita summa) *per legitimam amortizationem* idest: validam iuxta leges civiles (canon 1529) [2] *reddi summam capitalem*.

601. **Largitiones munerum.** — *Can. 537. Largitiones* munerum *ex bonis domus*, *provinciae*, *religionis non permittuntur;* tamquam regula generalis, quae tacet de bonis forsan propriis religiosorum votorum simplicium; atque subsequuntur excep-

[1] S. C. de Religiosis, 18 Aug. 1914, CO. VII, 104-112.

[2] Can. 1529. Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

tiones: *nisi* a) *ratione eleemosynae vel alia iusta de causa* nempe: iuxta virtutem, b) *de venia Superioris*, pro bonorum praefata diversitate, localis, provincialis, generalis, c) *et ad normam constitutionum;* alias factae sunt illicitae ob legem Ecclesiae prohibitivam, quoad constitutionum autem observantiam iuxta earum obligationem.

TITULUS XI.

De admissione in religionem.

CAN. 538. - In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus.

602. **Inscriptio tituli.** — Postquam de religionum regimine actum est, sub consideratione transire debet *Titulus XI. De admissione in religionem* sic melius inscriptus quam de ingressu in eam. Enimvero Iesus Christus D. N. generaliter proposuit omnibus normam: « si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae possides, et da pauperibus et veni, sequere me », ac de continentia: « qui potest capere, capiat ». Unde videretur omnes fideles perfectionem desiderantes ac ingredi religionem fore admittendos, quia « religio est societas, in qua sodales ad evangelicam perfectionem tendunt » can. 488, 1°.; attamen « cum omni homini ad monasticam tendenti vitam, legaliter, sancte et iuste sit peragendum » [1], quodque examinare Superioris est ecclesiastici; et sicut dicitur in Const. « Cum de omnibus » Sixti V [2]: « quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur, et multi... quaerunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, unde sub habitu et nomine religiosorum animum Religioni inimicum et inveterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum », quae omnia cavere ne religioni obsint ad Superiores spectat, recte inscriptio posita Tituli fuit praeferenda.

[1] C. 2. C. XXXIII, q. V.
[2] 26 Nov. 1587, § 4.

603. **Norma generalis.** — Est unicus generalis *can. 538. In religionem admitti potest quilibet* a) *catholicus*, scilicet: baptizatus ac fidelis, quia religio est tum « societas », pars Ecclesiae catholicae, tum status religiosus in concreto, quo « fideles quaedam servanda suscipiunt », iuxta can. 487 explicatum. Quoad hoc recoli oportet decretum Alex. VII in Const. « Sacrosancti »[1] confirmatum et ampliatum quoad loca per Clem. IX Const. « In excelsa »[2]: « Neophytos Deo sub religionis iugo servire volentes sine rationabili causa regulares non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur et ad perfectionem anhelant, amplectantur ». — Praeterea canon addit: b) *qui nullo legitimo detineatur impedimento*, nam religio est societas singulis fidelibus voluntaria, et quaecumque huiusmodi societas iure statuit conditiones necessarias vel ad validitatem vel ad liceitatem admissionis membrorum in eam, quae constituunt impedimenta praedictae cooptationis; c) *rectaque intentione moveatur*, scilicet: « zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possit, non potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducatur »[3]; v. gr. « Nullus habitum Monachi suscipiat, spem, aut promissionem habens, ut Abbas fiat », sicut ait Alex. II[4]. - Explicit canon sic: d) *et ad religionis onera*, quae suscipere debet, *ferenda idoneus*, prout ratio dictat.

604. **Divisio tituli in capita.** — Praedicta admissio fit gradatim per quaedam stadia, videlicet: fidelis petit perseveranter admissionem, prudentia suadet experimentum de ipsius idoneitate ad statum religionis sumere, simulque expedit ei cognoscere obligationes suscipiendas et suas vires comparare ipsis; completurque admissio in religionis membrum, amplectendo per professionem religiosum statum. Hinc Titulus in tria Capita dispescitur: « De postulatu. - De novitiatu. - De professione religiosa ».

[1] 18 Ian. 1658, § 2, n. VI.
[2] 13 Sept. 1669, § 1, n. VI, § 3.
[3] Const. « Cum ad regularem » Clem. VIII, 19 Mart. 1603, § 5.
[4] C. 20, C. XVI, q. 7.

CAPUT I.

De postulatu.

Can. 539. - § 1. In religionibus a votis perpetuis mulieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a votis temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus.

§ 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre.

Can. 540. - § 1. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi.

§ 2. Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum.

§ 3. In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur.

Can. 541. - Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.

605. **Inscriptio capitis ac huius canones.** - *Caput I. De postulatu*, qui primo est iniunctus pro conversis ex Dec°. S. C. de Religiosis [1], et pro monialium monasteriis ex alio Dec°. eiusdem S. Congr.[2] Tres canones sub hoc Capite ordinant: de his qui postulatum servare debent atque de ipsius duratione (can. 539), de servandis in peragendo postulatu (can. 540), et de adimplendis in eiusdem fine (can. 541).

606. **Postulatus necessitas et perduratio.** — Extensionem praefatorum decretorum praescribit *can. 539*. § 1. *In religionibus* I° *a votis perpetuis* sive sollemnibus sive simplicibus a) *mulieres omnes*, scilicet: in congregationibus mulierum et in monasteriis monialium quorumcumque locorum (can. 488, 7°) *et si agatur de religione virorum* sive congregatione, sive Ordine, a) solummodo *conversi*, qui nempe recipiuntur in religionibus clericalibus « nulla Sacerdotii Christi participatione donandi » ex cit. Dec°., b) *antequam ad novitiatum admittantur* iuxta ss. canones cap. seq^{s}. et constitutiones religionum, c) *postulatum ad sex saltem integros menses*, videlicet « sumendos prout sunt in calendario » et ad normam can. 34, § 3, 3°, 4°, *peragant* vi huius canonis, verbo « saltem » innuente longiorem ex constitutionibus religionum forsitan statutum vigere, II° *in*

[1] 1 Ian. 1911, CO. III, 29. — [2] 15 Aug. 1912, n. 1, CO. IV, 565

religionibus vero a votis temporariis, quibus videlicet numquam sequuntur vota perpetua, a) *ad necesitatem et* b) *tempus postulatus quod attinet*, utrum, a quibus et quanto tempore servandus ille sit, *standum constitutionibus*, et implicite secundum earum vim.

§ 2. *Superior maior* (can. 488, 8°) *praescriptum postulatus tempus* ad canonis normam, *potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre*. Verbo « aliud » adiuncto firmatur interpretatio data, nempe: non loqui §m de postulato breviori vel longiori, ex constitutionum vi. Haec prorogatio intelligenda est quae ab homine fiat, quamvis per generalem dispositionem.

Ratio huius canonis sic expressa est in cits. Decs.: « Quo propositum vitae religiosae perpetuo profitendae melius exploretur, et dignitati status religiosi uberius consulatur, imminutis, in quantum fieri possit, defectionibus ». - « Quod praesertim de Conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem aut perpetuam professionem ad saecularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos ».

607. **Servanda in postulatu.** — *Can. 540.* § 1. *Postulatus peragi debet* a) disiunctive *vel in domo novitiatus* nempe: in qua hic positus est, *vel in alia religionis domo in qua* ad illius similitudinem *disciplina secundum constitutiones accurate servetur* b) *sub speciali cura probati religiosi*. Hoc iam edixerat Dec. cit. diei 1 Ian. 1911 aiens: « Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus religiosus totum pervadat ». Remanet altem abrogata nullitatis professionis secuturae clausula (quae hic est omissa) circa novitiatum, professionem ipsumque postulatum.

Praescriptum alterius Deci. citati extensum exhibet § 2. *Postulantes vestem induant* a) *modestam* quoad materiam, formam et colorem, b) *ac diversam a veste novitiorum*, « quam scilicet induent, quando Novitiatum de quo in Cap. seq. inchoaturi sunt ». - In eodem cit. Dec°. n. 1 dicitur: « Quaelibet postulans in monasteriis votorum solemnium et clausurae papalis poterit admitti, sine praevia S. Sedis venia » in singulis casibus, nam ex § 1 ingressus huiusmodi est implicite praescriptus, quod etiam supponit statuens § 3. *In monasteriis monialium*, nempe « religiosarum votorum sollemnium » (can. 488, 7°), *adspirantes*,

dum postulatum peragunt et proinde hac de causa *lege clausurae* expressa in can. 600, 601 *tenentur*, quin ad eas hinc extendatur excommunicatio ipso facto incurrenda ex praescripto canon. 2342 n°. 3°. ubi expressae sunt « moniales ». Quo posito, vigent quoque sequentes Declarationes S. C. de Religiosis [1]: « I. An puellae postulantes e monasteriis clausurae papali subiectis egredi possint, parentes vel notos invisendi gratia, aut alia de causa? Et quatenus negative. - II. Utrum ad huiusmodi egressum venia Aplcae. Sedis indigeant, an satis sit consensus Ordinarii... Eadem S. Congr... respondendum censuit: Ad I. Negative. - Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ».

608. **Agenda in postulatus fine.** — *Can. 541. Postulantes antequam novitiatum incipiant*, etiam postquam admissi fuerint ad illum, a) *exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies*, « qui constant 24 horis continuo supputandis a media nocte » ad normam can. 32, § 1; b) *et, iuxta prudens confessarii iudicium*, cui subiectum est sequens praescriptum, *praemittant generalem anteactae vitae confessionem.*

CAPUT II.

De novitiatu.

ART. I. — *De requisitis ut quis in novitiatum admittatur.*

CAN. 542. - Firmo praescripto can. 539-541, aliisque in propriis cuiusque religionis constitutionibus,

1° Invalide ad novitiatum admittuntur:

Qui sectae acatholicae adhaeserunt;

Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent;

Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

Coniux, durante matrimonio;

Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

2° Illicite, sed valide admittuntur:

Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;

Reddendae rationi obnoxii aut

[1] 7 Nov. 1916, CO. VIII, 446.

aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit.

Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Can. 543. - Ius admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet ad Superiores maiores cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones.

Can. 544. - § 1. In quavis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

§ 2. Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.

§ 3. Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore.

§ 4. Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3.

§ 5. Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.

§ 6. Praeter haec testimonia a iure requisita, possunt Superiores, quibus ius est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exi-

Art. I. De requisitis ut quis in novitiantum admittatur —

- ex parte —
  - postulantis valide ac licite — Can. 542
  - admittentis, circa ius etiam quoad professionem — » 543
- testimonialibus litteris —
  - diversis pro viris ac mulieribus — » 544
  - quoad earum circumstantias et de illis supplendis — » 545
  - cum qua secreti obligatione — » 546
- dotibus —
  - pro qua religione et in qua mensura — » 547
  - quando a religione acquirendis — » 548
  - collocandis et non impendendis — » 549
  - administrandis et conservandis — » 550
  - restituendis vel tradendis — » 551
- relate ad Ordinarium loci etiam quoad professiones — » 552

gere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

§ 7. Mulieres denique ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores, firmo praescripto § 3.

CAN. 545. - § 1. Qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore iuramento firmatas.

§ 2. Si ob graves rationes iudicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant.

§ 3. Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat.

§ 4. In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint.

CAN. 546. - Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias et personas quae illas tradiderunt.

CAN. 547. - § 1. In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam.

§ 2. Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma iure civili valida.

§ 3. In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosarum dotem pertinet, standum constitutionibus.

§ 4. Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine indulto Sanctae Sedis, si agatur de religione iuris pontificii; sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani.

CAN. 548. - Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit.

CAN. 549. - Post primam religiosae professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita sum suo Consilio, de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab hoc dependeat; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum.

CAN. 550. - § 1. Dotes caute et integre administrentur apud monasterium vel domum habitualis residentiae supremae Moderatricis aut Antistitae provincialis.

§ 2. Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent; et praesertim in sacra visitatione de eisdem rationem exigant.

CAN. 551. - § 1. Dos religiosae professae sive votorum sollemnium sive votorum simplicium quavis de causa discedenti integra restituenda est sine fructibus iam maturis.

§ 2. Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, salvo praescripto can. 570, § 1; emissa vero nova professione, dos ipsa huic religioni debentur; si ad aliud eiusdem Ordinis monasterium, huic debetur ipsa dos a die transitus.

CAN. 552. - § 1. Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem.

§ 2. Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat: et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti.

609. **Inscriptiones tum capitis cum eius divisione, tum art. primi.** — Consequenter *Caput II* considerandum est, quod inscribitur: *De novitiatu* scilicet: de tyrocinio, seu tenore vitae ducendae ab his, qui religiosum statum experiuntur, antequam illum amplectantur, et quo perdurante tempore ipsos religio examinat de indole ac ceteris qualitatibus, priusquam eos plene admittat, ut sic prudenter se gerat.

Sed pro hac vitae conditione inchoanda plura existunt ss. canonum statuta, quae in art. I coadunantur, in altero vero de instructione ipsis novitiis impertienda agitur.

Sit igitur *Art. I. De requisitis* omni ex parte, *ut quis in novitiatum* idest: in illud tyrocinium, sive in novitiorum conventum, sive in eorum commorationis locum *admittatur* legitime, tum valide, tum licite pro legum diversitate.

Haec requisita respiciunt: vel candidati qualitates, vel admittentem Superiorem, et traduntur in can. 542, 543, vel testimonia afferenda unde tres canones 544-546, ubi etiam de dantibus et recipientibus ea; deinde agitur de dote quam mulieres religionem intrantes secum ferre debent idque a can. 547 usque ad can. 551, cui subnectitur ultimus de Ordinarii loci interventu ad earum libertatem in religionis admissione tutandam.

610. **Quinam invalide aut illicite ad novitiatum admittantur.** — *Can. 542. Firmo* a) *praescripto can. 539-541*, scilicet: postulatum praevium statuentium, ibidem explicato quoad diversam obligationem, b) *aliisque in propriis cuiusque religionis constitutionibus*, quae omnes normae vigentes iuxta vim earum servandae sunt, eo quod firmae dicuntur inter requisita pro candidatorum ad novitiatum admissione:

1° *Invalide ad novitiatum admittuntur*, et consequenter iuta reg. iur. XVIII in 6° « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit »:

Qui sectae acatholicae adhaeserunt, sive frequentantes ipsam, sive doctrinas ipsius qua talis profitentes, sive quod magis

est dantes ipsi nomen. Secta proprie acatholica est hominum coadunatio cum doctrina speculativa vel practica publice aut secreto sequenda, quae cum doctrina catholica pugnet. Quia verbum « adhaeserunt » proprie dicitur de illis, qui cum essent extranei, ad illam sectam accedunt, non est mirum quod Pont. Commissio ad Cod. canones auth. interpretandos ad Dubium. « 7. Utrum verbo *qui sectae acatholicae adhaeserunt* can. 542 sint intelligenda de iis, qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismatae, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint; an potius de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt... Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Ubi nota, quod non sufficiat «a fide deficere », sed requiritur insuper « sectae » acatholicae adhaerere.

Praeterea « secta acatholica » non est idem proprie ac falsa religio v. gr. Judaismus vel Mahumedismus, sed est « secta haeretica vel schismatica », ut patet ex parallelismo canon. 167, § 1, 4° cum can. 2314, § 1, 3°. atque can. 1060 cum can. 1065, § 1; attamen in praesenti canone admittenda est a fortiori lata illa interpretatio, quia « ubi eadem et legis ratio, eadem esse debet iuris dispositio ».

Qui aetatem ad novitiatum inchoandum *requisitam non habent*, quae ad normam can. 555, § 1, 1° est « post completum decimum quintum saltem annum ».

Qui religionem ingrediuntur a) *vi*, v. gr. habitu novitiorum coacte induuntur, b) *metu gravi* c) *aut dolo inducti*, prout explicatum est in can. 103, d) *vel quos* licet omnino libere ac scienter ingredientes competens *Superior eodem modo* scilicet uno ex praedictis adversus libertatem *recipit*. Prima praescripti huius pars est iuxta cap. 1. De regularibus et transeuntibus ad religionem (III, 31) « Nullus tondeatur, nisi in legitima aetate, et spontanea voluntate ».

Iam prius aiebat Nicolaus papa [1]: « Quapropter consulte Psalmografi verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat, et voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat: praesentem, ut dictum est, Clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit, nec optat, profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum quippe bonum, nisi voluntarium ». Quoad secundam praescripti partem religio in Superiore non est circumvenienda, ut recipiat quem inutilem vel nocivum iudicat futurum; vel parata recipere indemnis facienda erat ab iniuriis in huiusmodi admissione.

[1] In cap. 4, C. XX, q. 3.

Coniux alteruter *durante matrimonio*. Ita conformiter Apost. verbis [1]: « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier ». Matrimonio autem soluto, etiamsi per dispensationem a rato tantum, aut non existente matrimonio propter nullitatem eius, in quocumque ex his casibus non impeditur, quia nec coniux est.

De hoc praescripto iam extat cap. IV de conversione coniugatorum (III, 32), ubi Innoc. III respondit: « Cum sis praeditus scientia litterarum, ignorare non debes sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium ut vir uxore sua, aut uxor viro eius non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire ». Quae limitatio nostris temporibus valde rara, fuit iuridice omissa. Similiter silentio premitur licentia ex Decretalibus coniugi ante matrimonii consummationem concessa religionem ingrediendi, propter dilationem solemnis professionis usque ad quartum saltem annum post novitiatus inceptionem, per quod tempus alter coniux ad continentiam servandam cogendus esset.

Qui a) *obstringuntur* vel manentes in religione, sive fugitivi aut apostatae a religione, b) *vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae* a quo liberati fuerunt, eo quod vel dimissi fuerint, vel dispensationem votorum obtinuerint, vel post temporariam professionem recesserint; idque extendendum ad viros et mulieres tum Congregationum iuris quoque dioecesani tum Ordinum, imo et idem viget quoad novitiatum professione completum, forsitan post egressum in eadem religione iterandum, sicut patebit in can. 640, § 2 ad normam Dec.^{m}. S. C. de Religiosis [2].

His quibus a) *imminet*, veluti probabiliter ex prudenti iudicio ob circumstantias delicti ac noscentium illud infligenda *poena* b) *ob grave delictum* « qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia aut graviora » [3] revera *commissum* c) *de que accusati sunt*, in qua hypothesi certo perdurat inhabilitas, quousque absoluti fuerint a iudicio, vel poena inflicta, hanc luerint, *vel accusari possunt*, tum quia ob delationem, famam delicti, fuerit inquisitio acusationi praevia incepta, tum ante illam delationem, dum haec probabiliter eventura sit cum effectu. Quae intelligenda sunt sive iuxta civiles patrias leges, sive secumdum ius canonicum, ast in hoc saltem quando « obligatio denunciationis urget » (Can. 1935, § 2). Atque nihil refert de

[1] I ad Corinth, VII, 4. — [2] 7 Sept. 1909 et 4 Ian. 1910. CO. I, 700 et II, 63. — [3] Const. Sixti V « Cum de omnibus » § 4, 5. 26 Nov. 1587.

ipso accusandos non fore de facto. Statutum hoc const[s]. Sixti V. « Cum de omnibus » restitutum est unice sub clausula nullitatis, non ideo « ut his quoque subterfugii et impunitatis spes omnis tollatur », quod nostro tempore non esset illis profuturum, sed propter ipsius religionis bonum nomen ac praesidium.

Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus saltem per alicuius Rom. Congr[s]. decretum vel per Secretariam Status; id autem ob reverentiam erga iudicium supremae auctoritatis ecclesiasticae illum ad perfectionis exercendae statum assumentis.

Clerici qui a) *ex instituto S. Sedis* b) *iureiurando* nempe: ab eadem S. Sede iniuncto, sive occasione cooptationis in Pontificium collegium ex Alexandri VII const. « Cum circa »[1], quod iuramentum « conservandum esse in iis collegiis et pro iis alumnis qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum iuxta adnexam formulam » declaravit S. C. Consistorialis, in Romana [2], atque « non esse praestandum ab eisdem alumnis ante completum decimum quartum aetatis annum, et si antea praestitum fuerit, iterum esse ab eis praestandum anno decimoquarto completo »[3] decrevit S. C. de Prop. Fide; sive occasione cooptationis titulo missionis inter sacros ministros iuxta instruct. S. C. de Prop. Fide [4], quae S. Congr. declaraverat 7 Aug. 1645: « Praedictum iuramentum ex vi huius formulae alumnos ad titulum Missionis promotos in perpetuum obligare », quod edicitur in praefata Instructione. Clerici ergo qui iuxta praedicta vel alias (ex instituto autem S. Sedis) « iureiurando » *tenentur* c) *operam suam navare in bonum dioecesis vel missionum*, d) *pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat*. Hac ergo iurisiurandi obligatione sublata v. gr. per validam dispensationem, cessat praedictum impedimentum ad novitiatus inchoationem. Huc pertinet declaratio circa iusiurandum ab Alexandro VII iniunctum, de quo supra, data sub die 8 Apr. 1661: « Ad III. Dictum est Breve (seu Const. cit) non vetare Alumnis quominus Regulares fiant, sed Sedis Apostolicae iudicio reservare rationes ac momenta expendere, quando congruere censendum sit, nec ne, inter quas ea profecto potissima est, an scilicet publicum bonum peculiari bono alumni, iis in circums-

[1] 20 Iunii 1660, § 3. — [2] 29 Iulii 1909, ad XIII: CO. I, 686.
[3] 21 Mart. 1639. — [4] 27 Apr. 1871, nn. 8 et 10.

tantiis praeferri debeat; ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis etiam ad arctiorem transire libeat sine propriorum Superiorum licentia ».

2° *Illicite, sed valide admittuntur*: ac consequenter illicite solum ingrediuntur, si sciant. - *Clerici*, non iidem minores, qui sicut « ad statum laicalem regredi queunt, etiam sua ipsorum voluntate » ad normam can. 211, § 2, sic a fortiori motivo non prohibentur ad statum religiosum libere ascendere, sed a) *in sacris constituti* prohibentur, b) *inconsulto loci Ordinario* conformiter ad can. 143 « licet beneficium aut officium residentiale non habeant »; eo quod per sacram ordinationem susceptam coadiuvare tenentur Episcopum in sacro ministerio ad quod illa deputantur: imo c) *aut eodem contradicente*, non quocumque ex motivo, sed solum *ex eo quod* a) *eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod* b) *aliter vitari minime possit*. Hoc enim supposito « charitas urget eos » graviter manere in dioecesis servitium, quosque circumstantiae illae mutentur. - Canon ergo limites expressit regulae in contrarium servandae, a Bened. XIV expositae ac firmatae in ep. « Ex quo » [1], ubi affertur sequens ratio ex cap. « Duae sunt » [2]: « si quis horum in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, *si afflatus Spiritu Sancto*, in aliquo Monasterio vel Regulari canonica », et ratio eadem est pro approbata Congregatione religiosa, « quia lege privata ducitur », nempe: « quae instinctu Sancti Spiritus in corde inscribitur, nulla ratio exigit, ut Lege publica obstringatur; dignior est enim Lex privata, quam publica », scilicet: « quae a sanctis Patribus, scriptis est confirmata, ut est lex canonum, quae quidem propter transgressiones est tradita. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate ». Idemque aliis verbis confirmatur a S. C. EE. et RR. in Pinerolien [3]: « 2. An dictis Oblatis extendi debeat Const. Bened. XIV incipien. « Ex quo dilectus » circa liberum ingressum Clericorum Saecularium in regularia Instituta, licet Episcopus opponatur, et Oblati emittant tantum vota simplicia? - Ad 2 Affirmative, ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem ».

Sequuntur canonis 542 prohibitiones: « *Aere alieno* a) *gra-*

[1] 14 Ian. 1747. — [2] 2, C. XIX, q. 2.
[3] 28 Iul. 1837.

rati qui b) *solvendo pares non sint*. Si ergo habeant unde solvant, eoque magis si a debitis liberi fiant, prohibitio pariter cessat. - *Reddendae rationi obnoxii* ratione administrationis publicae aut privatae temporalium bonorum, usquequo reddiderint eam rationem et liberati fuerint, *aut aliis* a) *saecularibus negotiis* quibuscumque b) *implicati*, sub limitatione: *ex quibus* c) *lites et molestias religio timere possit*. Sed potius haec clausula exponit illorum saecularium negotiorum naturam, quia ex timore prudenti magis ea dignoscuntur. Atque sunt hae duae prohibitiones a Sixto V statutae, clausula vero nullitatis non est restituta.

Prohibitio iuris naturae in canone firmatur hoc modo: *Filii qui* a) *parentibus*, et hi designantur: *idest patri vel matri, avo vel aviae*, b) *in gravi necessitate constitutis* de facto, c) *opitulari debent*, quia deficiunt alii subvenientes; pari modo: *et parentes* a) *quorum opera sit* b) *ad liberos alendos vel educandos* c) *necessaria* propter gravem indigentiam sola eorum opera relevandam.

Cum prohibito fine aliquo, consequens sit ut a via versus illum quis removeatur, expresse nunc cavet canon: *Ad sacerdotium* a) *in religione destinati*, unde non comprehenduntur admittendi in conversos quamvis religionis clericalis, *a quo tamen* sacerdotio b) *removeantur irregularitate aliove canonico impedimento* de quibus ss. canones positi sunt in Art°. II Cap^s. II Tituli VI « De ordine » sub Lib. III. - Potest autem dispensatio huius canonis peti, quin removeatur ordinationis impedimentum, si hoc expedire videatur Sacrae Congregationi.

Denique secundum praecedens ius summarie contentum in ep. S. Congr. de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis 15 Iun. 1912: illicite admittuntur *Orientales* ratione cuiusvis huiusmodi ritus a) *in latinis* quoad ritum *religionibus* cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, b) *sine venia* c) *scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali* « ad quam nunc pertinet facultatem tribuere ritum mutandi vel ad tempus vel in perpetuum », quod in casu necessarium erit. Memorari oportet citatae ep. ultimam partem: « Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adiunctis; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti

postulet in Institutum votorum solemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali; nam Pontificium rescriptum, si favorabile sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum ». Quia hoc fuit motivum, convenit erga novam Congregationem servare eandem supplicis libelli formam, quousque de praxi eius diversa constet.

611. **Ius admittendi ad novitiatum et professionem.** — Sixtus V in const. cit. « Cum de omnibus » attribuit potestatem novitios recipiendi Provincialibus vel Generalibus una cum respectivis capitulis. Sed postea in const. « Ad Romanum » [1] debuit casibus diversis providere personas designans, quae loco Capitulorum inquisitiones de novitiis admittendis et horum admissiones perficerent; imo Greg. XIV in const. » Circumspecta » [2] quoad Monasteria sui iuris et alios Ordines in quibus numquam vel raro praedicta celebrantur Capitula, remisit praedictam facultatem Superiori Domus cum suo Capitulo. Unde exorta est diversitas, quae adaucta est propter Monialium monasteria et Congregationes religiosas, quae illis Constitutionibus non subiiciebantur in exercitio iuris circa novitiorum admissionem, quoad novitiatus incoeptionem et illorum professionem. - Servata igitur praeexistentis iuris uniformi substantia cum varietatibus per constitutiones religionum legitime inductis, statuit *can. 543. Ius admittendi* a) *ad novitiatum* inchoandum legitime *et subsequentem* illum immediate vel mediate *professionem religiosam* b) *tum temporariam* quamvis iteratam, c) *quam perpetuam* votorum simplicium vel solemnium, quod ius per alium religiosum exerceri potest, a) *pertinet ad Superiores maiores* ad normam can. 488, 8° nempe: ad eorum singulos b) *cum suffragio Consilii seu Capituli*, c) *secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones* non abrogatas ad normam can. 489, primo tum circa Superiorem ad illius iuris exercitium designatum, 2° tum de Consilio potius quam Capitulo, aut viceversa, vel de utroque daturo suffragium, 3° tum de Consilio vel Capitulo designando, atque 4° de suffragii natura, utrum vim habeat consensus vel consilii, praecipue quoad professiones temporarias ultra primam emittendas.

612. **Testimonia requisita.** — Quaenam testimonia exhibere debeant adspirantes tum omnes, tum viri peculiariter ac mu-

[1] 21 Oct. 1588. §§ 12. 17. — [2] Idibus Martii 1591.

lieres, nobis tradit *can. 544.* § 1. *In quavis religione* absque ulla distinctione, a) *omnes adspirantes*, mulieres ac viri, etiam conversi, b) *antequam admittantur* ad inchoandum novitiatum, c) *exhibere debent* d) *testimonium recepti baptismatis et confirmationis* sub legitima forma iuxta can. 384, § 1 tradendum a parocho in cuius parochia alterutrum sacramentum fuit susceptum. Atque recolere oportet S. C. super statu Regularium declarationem seq.[1]: « Siccome la maggior parte dei postulanti laici sono irlandesi, o tedeschi, per ottenere l'attestato del battesimo fa duopo scrivere in Europa (dalla diocesi di Louisville in America), e le risposte tardano molti mesi, e qualche volta non si ricevono affatto, così quando evvi una certezza morale che siano battezzati, se possono ammettersi almeno provvisoriamente alla vestizione dopo due mesi circa di prova. - Ad 2. Documentum recepti Baptismatis exhibendum esse ante admissionem ad habitum ». Quod nunc valet de canonis sensu etiam circa confirmationem. Baptismatis receptio necessaria est ad novitiatus legitimam validitatem, quia religiosi status definitio secumfert, ut viventes in eo « fideles » sint, praevia ergo est haec conditio ut aliquis contendat in illum statum legitime amplectendum; non sic oportet dicere de confirmationis receptione, quae indirecte iubetur praemittenda concorditer ad can. 787, 788[2].

Cum sequentes litterae testimoniales inductae sint ex Dec°. « Romani Pontifices »[3] istiusque ius refertur ex integro in seq^s. can^s., valent praecedentes illius dec^i. Declarationes ad normam can. 6, 2°. § 2. *Adspirantes viri* tantum, sed omnes, *debent praeterea testimoniales litteras* saltem privatas, quae sufficiunt ex Declar. S. C. super statu Regularium[4], *exhibere* a) *Ordinarii originis*, hasque semper, b) *ac cuiusque loci* alius sub conditione: *in quo, 1° post expletum decimum quartum*

[1] 29 Maii 1857 ad 2. Collect. S. C. de P. F. n. 1141.

[2] Can. 787. Quamquam hoc sacramentum (Confirmationis) non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant.

Can. 788. Licet sacramenti Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur

[3] 25 Ian. 1848.

[4] I Maii 1851 ad 1.

aetatis annum, 2° *morati sint ultra annum moraliter continuum* scilicet: quamvis aliquibus diebus interruptis vel per mensem abfuerint e loco; et quod in Dec.° « Romani Pontifices » cautum erat hic adiungitur ad hoc, ut tempus post Decreti promulgationem sit inclusum in clausula: c) *sublato quolibet contrario privilegio.* Canonis §^us desumptus est ex Cit^i. Dec^i. n. 1, mutata aetate 15 annorum in 14 annos. Praedicta praescriptio servanda est quoque « quoad novitios alterius Ordinis et professos saecularizatos admittendos », ut responsum fuit ad 3 in dec. supra cit°. diei 29 Maii 1857. Si autem fuerint professi saecularizati eiusdem Ordinis vel Congregationis sufficerent testimoniales « Ordinarii loci » commorationis ut supra post saecularizationem, quod eruitur ex analogia §^i seq^s.

Declarationes ad II-IV S. C^s. de Religiosis [1] relatae sunt partialiter in § 3. *Si agatur de admittendis* ad novitiatum *illis qui* a) *in Seminario*, b) *collegio* quocumque, a quo tamen laico prudenter expostulari queant, *vel* c) *alius religionis*, non « alius » monasterii seu provinciae « religionis » eiusdem, *postulatu* solum d) *aut novitiatu* (correctâ Editione Comm. officialis) *fuerunt* et non sunt, *requiruntur praeterea*, idest: praeter Ordinariorum litteras de quibus in § praec., *litterae testimoniales datae pro diversis casibus* tribus a) *a Rectore Seminarii* b) *vel collegii*, in utroque casu hac servata conditione: *audito Ordinario loci* sive Seminarii sive collegii, c) *aut a maiore Religionis Superiore*, qui potest esse Abbas monasterii sui iuris etiam in Congregationem monasticam coalescentis.

Restringitur testimonialium necessitas § 2^i pro quibusdam postulantibus; nempe: § 4. *Pro clericis admittendis* post « primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *praeter* a) *testimonium ordinationis*, scilicet: ultimo receptae, quamvis sola sit prima tonsura ad normam can. 950 [2], *sufficiunt* b) *litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus* (proinde locorum) I° *post ordinationem* cuius deferunt testimonium, II° *ultra annum moraliter continuum* iam in § 2 declaratum *sint commorati*, non est opus igitur testimonialibus Ordinariorum

[1] 5 Apr. 1910.

[2] Can. 950. In iure verba: *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 (scilicet: tres maiores et quatuor minores) et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur.

vel originis, vel locorum in quo tantum temporis commorati fuerunt ante supradictam ordinationem, c) *salvo praescripto* § *3* ab illis clericis etiam servando. quando comprehensi sub eo inveniantur.

Servatis tantummodo respective §§^{is} 2° et 4° ab eis qui actu postulatum vel novitiatum peragunt in alia religione, iuxta Declarationem cit. in fine §^{i} 2^{i}; statuit quid peculiare ad praecedentis §^{i} 4^{i} similitudinem § 5. *Religioso professo*, etsi ob temporalium votorum primam professionem ac cuiuslibet religionis, *ad aliam religionem ex apostolico indulto* necessario ad normam can. 632 *transeunti, satis est*, quando non fuit saecularizatus vel a votis dispensatus, *testimonium Superioris maioris prioris religionis*. Scilicet: iuxta Declar. S. C. super statu Regularium (29 Maii 1857, ad 3), cui conformis est hic §^{us}, « et si professus in diversis domibus, vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel provincialis, vel Superioris domus (quatenus provincialis non habeatur) » scilicet: Abbatis monasterii sui iuris, « in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores antequam testimoniales concedant diligenter inquirere debeant de qualitatibus religiosi », quod invenitur iussum in § 4 can. sequentis.

Hucusque de testimoniis iure ipso requisitis, sed pro casuum varietate cavet § 6. *Praeter haec testimonia a iure requisita*, et semper exibenda, *possunt Superiores, quibus* a) *ius est adspirantes in religionem cooptandi*, scilicet: inter maiores ad normam can. 543, b) *alia quoque exigere*, atque tunc adspirantes tenentur de hoc requisiti ea exhibere, c) *quae ipsis* Superioribus *ad hunc finem* admittendi legitime ad novitiatum *necessaria aut opportuna videantur*. Non ergo pro lubitu eorum.

Cum de viris tantum loquantur praecedentes paragraphi, primo dumtaxat excepto, additur § 7. *Mulieres denique ne recipiantur* ad novitiatum inchoandum, etsi prudentius id servaretur ante postulatum, *nisi* a) *praemissis accuratis investigationibus* b) *circa earum indolem et mores*, atque ut haec praevie fiant, incumbit cura eis qui ius admittendi habent, sicut de servando c) *firmo praescripto* § *3:* scilicet: Declarationes S. C. de Religiosis citatae immediate ante § 3^{m} applicantur mulieribus expostulantibus admissionem, eo quod die 4 Ian. 1910 extensum est ad mulierum quoque religiosas familias eiusdem Congr.

Decretum « De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis ».

613. **Earum testimonialium traditio et contextus.** — *Can. 545.* § 1. *Qui litteras testimoniales* praedictas in can. praec. a) *ex praescripto iuris* ubicumque contento etiam imposterum, b) *dare debent*, unde sequitur illos « non posse testimoniales litteras denegare », ut responsum fuit a S. C. super statu Regul.[1], c) *eas non ipsis adspirantibus*, prohibetur igitur, d) *sed Superioribus religiosis* scilicet: religionis amplectendae, ac requirentibus eas *dent* I° *gratuito* II° *intra trimestre spatium ab earum requisitione* recepta propter illud: « tempus ignoranti non currit » quando aliquid inquiri per eumdem oportet, III° *sigillo*, ne ab alio qualitercumque legi queant, *clausas et* IV° pro aliquibus litteris, videlicet: *si agatur de illis* a) *qui in Seminario, collegio vel alius diversae religionis postulatu aut novitiatu fuerint*, scilicet: ex §[i] tertii praescripto quod viget etiam de mulieribus, b) *a Superiore* quem determinavimus in §° eodem, c) *iuramento firmatas*, prout iam extabat iussum in Declar[s]. citatis S. C. de Religiosis.

Sacrae Congr. de Religiosis propositum fuit sequens dubium: « Quid agendum in casu quo Superior religiosus vel Rector Collegii aut Seminarii renuerit iuramento firmare, ad normam can. 545, § 1, litteras testimoniales a Superiore alterius Instituti requisitas pro admittendo postulante ad normam canon. 544, § 3 ». - Sacra Congr. re mature perpensa, respondendum censuit: « Praescriptum canonum esse servandum, et Ordinarius, si agatur de Institutis iuris dioecesani aut laicalibus, sive Collegiis aut Seminariis; vel Supremus Moderator in Institutis clericalibus aut in Ordinibus Regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quodsi nihilominus litterae iuratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem » [2].

Quia contingere possent in quibusdam circumstantiis damna imminentia daturis praefatas litteras, ut illa caveantur, sic providet § 2. *Si* a) *ob graves rationes* v. gr. ob auctoritatis civilis prohibitionem, propter minas eisdem factas, b) *iudicaverint se eis* nempe « Superioribus religiosis » *respondere non posse*, tunc a) *causas Apostolicae Sedi* b) *intra idem tempus* respon-

[1] 1 Maii 1851 ad 6. — [2] 21 Nov. 1919. CO. XII. 17.

sionis dandae, ut supra, c) *exponant.* Non eidem Sedi seu S. Congregationi de Religiosis testimoniales mittant.

Pro diverso requisitionis exitu, quando testimoniales sufficientes non obtinuerunt Superiores, edicit horum obligationem § 3. *Si reposuerint* de litteris saepedictis requisiti: I° *adspirantem satis non esse sibi cognitum*, nempe: post investigationem faciendam vi sequentis §[i], sicut statuerat ius praecedens [1] a) *per aliam accuratam investigationem* b) *ac fide dignam relationem*, etsi privatarum personarum, c) *Superior religiosus suppleat* quidquid partialiter vel totaliter desideretur ad normam seq[s]. §[i], ut prudenter can[s]. 542 praescriptum non transgrediatur; II° *si vero nil reposuerint* requisitioni in tempore sufficienti iuxta trimestre spatium supra declaratum, a) *Superior requirens* b) *de non recepta responsione* c) *Sanctam Sedem certiorem reddat.* Idem dicatur ex resp. ad 6 Declarat[s]. cit.: « si tamen eas litteras dare recusent, fortasse non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui postulantis in religionem, recurrendum erit ad S. Congregationem » de Religiosis. Expectandaque videtur semper Congreg[s]. responsio, quamvis canon idipsum non iubeat.

§ 4. *In suis litteris testimonialibus*, a) *postquam diligentem investigationem*, quae implicite daturis eas iubetur, b) *etiam per secretas notitias*, ad quas provide recurrere oporteat, *instituerint*, c) *referre debent* « super singulis articulis subiiciendis ea tantum quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint », (Dec. S. C. super statu Regularium, 25 Ian. 1848, 1), ubi etiam dicitur quemadmodum in canone: d) *graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum*, a) *de adspirantis natalibus*, an sint legitimi, et ex honestis parentibus, b) *moribus* praesertim illegitimorum, « si bonam indolem et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum eorumque receptio Religionis commodo et utilitati profutura videatur », sicut ait Greg. XIV in const. « Circumspecta » [2], c) *ingenio* adspirantis praecipue ad religionem clericalem: an « eam litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores et suis temporibus maiores Ordines iuxta ss. canones suscipere valeat », ut Clem. VIII aiebat in const. « Cum ad regularem » [3]

[1] S. C. super statu Regular. 1 Maii 1851, ad 5.
[2] 15 Martii 1591, § 3. — [3] 19 Martii 1603, § 3.

d) *vita* anteacta, e) *fama*, f) *conditione* sociali atque familiari, g) *scientia* quoad instructionem eidem postulanti convenientem, h) *sitne inquisitus* apud Ecclesiam vel societatem, i) *aliqua censura, irregularitate* pro adspirante in clericalem religionem ad sacerdotium destinando, *aut alio canonico impedimento irretitus*, quoad praedictum et alios ad normam can. 542, et sicut ibidem: k) *num propria familia eius auxilio indigeat*, et absdubio loquutus est canon de Ordinariis praesertim locorum litteras dantibus; nam quae sequuntur pertinent ad Superiores de quibus in § 3°, hi nempe secundum praecedens ius de hoc tantum testificari coguntur; scilicet: *et tandem*, a) *si agatur de illis qui in Seminario*, etiam mulieres *in collegio*, *aut alius religionis* non eiusdem *postulatu aut novitiatu fuerint*, et non sunt, secundum interpretationem cit. §[i] 3[i], b) *quanam de causa* vera *dimissi sint* formaliter « aut aequivalenter, idest, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur » [1], unde sequitur: c) *vel sponte discesserint*, quae verba ceteros quoque nullo modo dimissos comprehendunt.

614. **Secretum testimonialium.** — Ut ergo omnia supradicta religiose impleantur omni sublato timore, obligationem consequentem firmans statuit *can 546. Omnes* subaudiendi « Superiores religiosi », sed verbum illud comprehendit quoque alios religiosos, v. gr. consiliarios, quibus ex officio communicantur; additur enim a) *qui praedictas informationes receperint*, b) *stricta obligatione tenentur secreti servandi* I° *circa notitias habitas* II° *et personas* etiam privatas in supplementum consultas, *quae illas tradiderunt*.

615. **Dos constituenda et tradenda.** — Quemadmodum canones de litteris testimonialibus respiciunt ut plurimum adspirantes viros, sequentes loquuntur solummodo de mulieribus. *Can. 547*. § 1. *In monasteriis monialium* in quibuscumque locis (can. 488, 7° in fine) quaelibet *postulans afferat dotem*, scilicet: summam pecuniae numeratae tradendam monasterio, ut personalibus postulantis necessitatibus temporalibus provisum sit, a) *in constitutionibus statutam* b) *aut legitima consuetudine determinatam*, fortassis diversam pro choristis et conversis.

Quamvis dotem habere in postulatus initio certe conveniat, sufficiet ut adimpleatur § 2. *Haec dos* (pertinens ad postulan-

[1] S. C. de Relig. 5 Apr. 1910, III.

tem) *ante susceptionem habitus*, nec est differenda eius traditio proxime ante professionem votorum simplicium, sicut statuerat Dec. « Perpensis » [1], a) *monasterio tradatur* b) *aut saltem*, quod etiam licet, *eius traditio* ante professionem facienda *tuta reddatur forma iure civili valida* priusquam suscipiatur habitus. Et convenienter sic est praescriptum ad vitanda incommoda, quorum meminit pro Urbe Clem. XIII in const. « Ci è stato » [2]: « per lo che non potendo la persona in qualunque modo obbligata ma poco solvibile fare lo sborso effettivo nel tempo stabilito, debba trattenersi la professione della Monacata. Che nell'anno della probazione alcune novizie così vestite senza dote pronta, invece d'attendere unicamente alla vita ritirata, quieta, e lontana affatto dalle sollecitudini mondane, sono obbligate a procurar i mezzi, perchè in fine dell'anno sia pronta la dote; si domandino rescritti Pontifici d'abilitazione, di coazione ai Luoghi pii, e simili straordinari provvedimenti ».

§ 3. *In religionibus votorum simplicium*, (quales non sunt quae ex instituto habent vota sollemnia) in illis vero sive iuris pontificii, sive dioecesani, *quod ad religiosarum dotem pertinet*, circa necessitatem, quantitatem et traditionem *standum constitutionibus*. De his approbandis quoad iuris pontificii Congregationes, in normis quas sequitur S. Congr. de Religiosis [3] haec de dote inseruntur: « Quodlibet institutum sororum praefigere debet dotem solvendam, aequalem pro sororibus chori; et etiam pro sororibus conversis seu coadiutricibus dotem equidem minorem sed pro harum singulis aequalem. - Statuta dos tuta reddatur favore instituti per solidam cautionem, antequam candidata habitu induatur; tradenda est autem instituto proxime ante professionem ». Alia inveniemus in decursu canonum. - Et quidem iam in § 4. *Dos praescripta* per constitutiones aut consuetudinem legitimam *condonari* pro casibus singulis *ex toto vel ex parte nequit* a) *sine indulto* forsitan ad tempus vel ad plures casus concesso *Sanctae Sedis* illud permittente, *si agatur de religione iuris pontificii;* b) *sine venia Ordinarii loci* in quo sita est domus religiosa novitiatus, *si de religione iuris dioecesani*. Respicit hic paragraphus moniales aeque ac sorores, de quibus statuerunt diversi paragraphi praecedentes.

[1] 3 Maii 1902, n. 10. — [2] 13 Febr. 1759, § 1. — [3] 28 Iun. 1901, c. VII, n. 91-95.

616. **Acquisitio dotis irrevocabiliter.** — *Can. 548. Dos monasterio* propria fit per validam solemnem professionem, sed revocabiliter ad normam sequentis can. 551, § 1.; ast illi, *seu religioni* cuicumque, non domui religiosae, *irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae cui* erat destinata dos, *licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit* etiam in monasterio monialium.

617. **Collocanda nec impendenda.** — *Can. 549. Post primam religiosae professionem* scilicet: emittendam immediate post novitiatum, I° *dos* quae supponitur pecuniaria *in* a) *tutis*, qui nec probabili periculo exposita sint, b) *licitis* propter naturam negotiorum, et modos quibus haec fiunt apud societatem in cuius syngrapha investitur, c) *ac fructiferis nominibus*, scilicet: cum iure percipiendi tantum pro cento vel fructus, quatenus nomina sunt « tituli debitorum, in quibus eorum nomina scripta sunt, quibus pecuniae commodatae sunt », collocetur *ab Antistita* a) *cum suo Consilio* vel Monasterii, vel Provinciae, vel Religionis, secundum Constitutiones, b) *de consensu* semper *Ordinarii loci* in quo sita est domus habitualis residentiae illius Antistitae, c) *et Superioris regularis* quoque, sub conditione: *si domus ab hoc dependeat* tamquam illius Superiore; hucusque pars canonis positiva, sequitur: II° *omnino autem prohibetur eam* dotem a) *quoquo modo ante religiosae* (cui destinatur) *obitum impendi*, et memoratur singillatim; b) *ne ad aedificandam quidem domum aut* c) *ad aes alienum*, quo gravetur monasterium, domus religiosa, provincia vel religio ipsa, *extinguendum*. Prout iam vetitum erat hoc ultimum in S. C. de Religiosis instructione sub die 30 Iul. 1909, n. XII.

618. **Administratio et conservatio.** — *Can. 550.* § 1. *Dotes* a) *caute* idest: cum circumspectione b) *et integre* seu omnes ac totaliter *administrentur* quoad exactionem fructuum, quoad mutationem nominum aut collocationis, *apud monasterium*, si monialibus in quibuscumque locis addictae sint, *vel domum habitualis residentiae* a) *supremae Moderatricis* b) *aut Antistitae provincialis* quoad dotes sororum suae Provinciae, ex iure apud unam vel alteram domum, sed apud quamnam ipsarum determinatio constitutionum servanda est ex vi earum.

Curam dotum adauget canonis § 2. *Ordinarii locorum conservandis religiosarum* sororum aut monialium *dotibus sedulo*

idest: studiose *invigilent; et praesertim in sacra visitatione*, quia etiam saepius potest ad normam can. 535, §§ 1, 2, *de eisdem* collocandis, servandis et rite administrandis *rationem exigant*.

619. **De dotis restitutione ac traditione.** — *Can. 551.* § 1. *Dos religiosae professae*, quia de novitiae dote infra disponetur, a) *sive votorum sollemnium*, quae propria est monasterio sed revocabiliter vi huius canonis, b) *sive votorum simplicium* in monasterio vel in congregatione, ab his *quavis de causa discedenti*, nempe: ob dispensationem votorum, aut horum cessationem, aut religiosae dimissionem, *integra restituenda est* ei *sine fructibus iam maturis*, idest: qui pertinent ad tempus ante discessum, etsi nondum percepti fuerint. « Dos restituenda » supponit quod « postulans afferat dotem » (can. 547, § 1), « monasterio traditam » (§ 2), eo quod non sit « condonata » (§ 4), nec sit in monasterio constituta pro successivis religiosis.

Pro aliquo discessus casu, scilicet: quoad illam solum religionem vel monasterium est § 2. *Si vero religiosa professa* I° *ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat*, nempe: ex rescripto quidem necessario ad normam can. 632, a) *durante novitiatu, fructus* huic novae religioni cedunt, *salvo praescripto can. 570*, § 1, scilicet: cedunt religioni ad quam transit, quando verificetur aliqua exceptionum illius canonis, nam est norma praescripti: « nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest »; b) *emissa vero nova professione* post hunc novitiatum, *dos ipsa* et huius consequentes « fructus » *huic religioni debentur;* hucusque canonis praescriptum loquitur de transitu ab una in aliam religionem, sed intra eamdem statuit: II° *si ad aliud eiusdem Ordinis monasterium* sui iuris transeat, monialis ergo in quibuscumque locis (can. 488, 7° in fine), monasterio *huic debetur ipsa dos a die transitus.* Et optime, cum ad normam can. 633, § 3: « Transiens ad aliud monasterium eiusdem Ordinis (equidem auctoritate Apostolicae Sedis ex can. 632) nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem ».

620. **Exploratio voluntatis puellarum.** — « Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens S. Synodus [1] statuit, ut puella habitum regularem non suscipiat,... nec professionem emittat, antequam exploraverit episcopus, vel, eo

[1] Conc. Trid. c. 17, sess. XXV de regularibus et monialibus.

absente, vel impedito, eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat (et nulla alia interrogatio, illaeque faciendae sunt ad crates ex Const. Pii V « Etsi mendicantium ») [1]: et si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit,... libere ei profiteri liceat; cuius professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere ». - Ac Pius X declaravit [2]: « Attenta ratione solemnitatis votorum, exploratio voluntatis singularum monialium (iam peracta ante vestitionem ac simplicem professionem) iteranda est... ante votorum solemnium nuncupationem ». Atque prius Leo XIII extenderat illud explorandi ius Ordinariorum ad quaslibet mulierum congregationes per const. « Conditae » [3]. - Haec omnia nunc breviter congeruntur ordinate in *can. 552.* § 1. *Religiosarum etiam exemptarum*, sororum igitur et monialium ad normam can. 488, 7°, *Antistita* pro monialibus semper localis, pro sororibus intelligenda est quoque provincialis aut generalis, si adsint, *debet Ordinarium loci*, in quo sita est illius Antistitae domus religiosa, si notificandus actus ibidem peragendus sit, secus « loci » ubi domus invenitur ad cuius familiam pertinet exploranda religiosa, *duobus saltem mensibus*, ante momentum sequuturi actus notificandi, et sumendis « prout sunt in calendario » (can. 34, §. 2), aut etiam aliquantum prius, v. gr. per quindecim dies, non multum v. gr. tribus « mensibus ante », ita ut illum *certiorem facere* a) *de proxima* proprie, ut ad normam can. 18 sic dici possit, *admissione ad novitiatum et ad professionem* b) *tum temporariam* c) *tum perpetuam sive solemnem* monialium *sive simplicem* sororum et quarumdam monialium de quibus in can. 488, 7°. - Transgressio huius praecepti punienda iubetur « pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione » (can. 2412, 2°), congruenter Conc. Trid. decreto, cuius caput cit. sic explicit: « Quod si praefecta certiorem episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit ».

§ 2. *Ordinarius loci*, hinc etiam Vicarius generalis, *vel, eo absente aut impedito*, v. gr. aliis occupationibus, non ergo pro libito utens Reg. iur. LXVIII in 6° « Potest quis per alium,

[1] 16 Maii 1567, § 2. n. 6. — [2] 19 Ian. 1909, CO. I, p. 233.
[3] 8 Dec. 1900, § 1, n. VII, § 2, n. 1.

quod potest facere per se ipsum », *sacerdos ab eodem deputatus* ad hoc pro uno casu vel habitualiter, *adspirantis* ad novitiatum vel ad aliquam ex supradictis professionibus *voluntatem saltem triginta diebus* vel prius, et computandis de hora ad horam *ante novitiatum* inchoandum *et ante professionem* emittendam, *ut supra* in § 1, scilicet : « tum temporariam, tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem », a) *diligenter* b) *et gratuito exploret*, c) *non tamen clausuram ingrediens* quamcumque, de qua infra can. 600-604, sed ante cratem ferream vel in colloquutorio, *num* a) *ea coacta* vi vel metu b) *seductave sit* dolo, blanditiis, c) *an sciat quid agat* scilicet : naturam et obligationes in genere servandas novitiatus aut amplectendae religionis, « non vero interrogationes alias, ad quas puellae seu novitiae ipsae respondere minime tenentur » (S. Pii V, const. cit.) ; *et, si de pia eius ac libera voluntate plane* idest : prudenti certitudine *constiterit*, hac sub conditione, hoc est : *tunc adspirans* a) *poterit ad novitiatum vel* b) *novitia*, sic appellata respectu habito ad Art^i^. 1^i^. inscriptionem, sed interpretari oportet verbum de religiosa, quae nondum plene idest : perpetua professione in religionem cooptata est, eo quod sequitur *ad professionem* (pro qua sit facta exploratio) *admitti*. Quod ut constet, convenit ut explorator nihil obstare communicet.

Art. II. — *De novitiorum institutione.*

Can. 553. - Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto.

Can. 554. - § 1. Erigatur domus novitiatus ad normam constitutionum ; si vero agatur de religione iuris pontificii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae.

§ 2. Plures in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.

§ 3. Superiores in novitiatus ac studiorum domo ne collocent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.

Can. 555. - § 1. Praeter alia quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet :

1º Post completum decimum quintum saltem aetatis annum ;

2º Per annum integrum et continuum ;

3º In domo novitiatus.

§ 2. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur.

Can. 556. - § 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit, quacunque ex causa, etiam de Superiorum licentia.

§ 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.

§ 3. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.

§ 4. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur.

Art. II. De novitiorum institutione [1]
- circa novitiatus
  - initium — Can. 553
  - domum — » 554
- circa novitiatum formaliter in novitiis consideratum
  - quemcumque
    - requisita ad validitatem — » 555
    - continuitas necessaria — » 556
    - habitus deferendus — » 557
  - specialem pro ipsius validitate — » 558
  - quoad eorum regimen
    - Magistri ac socii
      - qualitates — « 559
      - electio et remotio — « 560
    - Magistri
      - ius et officium — » 561
      - obligatio erga
        - novitios — » 562
        - Superiores — » 563
  - quoad eorum separationem ab aliis religiosis — » 564
  - scopus et vetitae occupationes — » 565
  - quoad eorum confessarios — » 566
  - quoad privilegia, gratias et suffragia — » 567
  - quoad temporalia bona
    - non renuntianda nec obliganda — » 568
    - cedenda pro administratione et usu — » 569
    - impendenda vel recuperanda — » 570
- circa novitiatus finem — » 571

[1] Vide canones in pagg. 610-612, 619 et 620.

Can. 557. - Integer novitiatus peragatur in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant.

Can. 558. - In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet.

Can. 559. - § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus.

§ 2. Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis ab prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis.

§ 3. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant.

Can. 560. - Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum, et si quod in his tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante, ne removeantur sine iusta gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt.

Can. 561. - § 1. Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac Visitatoribus: ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est obnoxius.

§ 2. Novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur.

Can. 562. - Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565.

Can. 563. - Intra annum novitiatus Magister, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat.

621. **Inscriptio art. et ordo canonum.** — Iam considerandus est *Art. II. De novitiorum* scilicet: qui de novo vitam religiosam in religione ducunt, *institutione* scilicet: iuridica, seu de praescriptis circa eorum novitiatum. - Huius initium determinatur in can. 553, postea novitiatus seu experimentum mutuum religionis amplectendae et novitii sumendum per tempus a ss. canonibus designatum sic disponitur: primo, quoad domum in qua peragendus est, in canone 554, secundo formaliter in novitiis consideratus moderatur: *a*) quoad validitatem ac modum licitum in can. 555-558; *b*) quoad novitiorum regimen in can 559-563 *c*) quoad locum in quo degant segregati in can. 564, *d*) quoad eorum exercitia in can. 565, ac consequenter de ipsorum conscientia sollicitus est can. 566, *e*) de privilegiis et gratiis novitiorum est can. 567, *f*) circa bona eorum temporalia disponunt in eorum favorem can. 568-570, ac tertio circa novitiatus finem praescriptiones continet can. 571.

622. **Initium novitiatus.** — *Can. 553. Novitiatus incipit* a) *susceptione habitus*, quod valet tum de monialibus secundum praescriptum S. C. de Religiosis (in Dec. 15 Aug. 1912, n. 3): « Postulantes habitum Ordinis non induant, nisi quando Novitiatum proprie dictum inchoaturae sint », tum de choro addictis vel non, sed in religionibus habitum peculiarem utentibus: tamen potest aliter incipere novitiatus ut ait canon; videlicet: b) *vel alio modo in constitutionibus praescripto*.

623. **Novitiatus domus.** — *Can. 554.* § 1. *Erigatur* a) *domus novitiatus* scilicet: domus religiosa in qua novitii queant tyrocinium canonice peragere, *ad normam constitutionum* scilicet: quoad domus dispositionem et religiosas observantias; b) *si vero agatur de religione iuris pontificii* sive Ordinis sive Congregationis atque utriuslibet sexus, *ad eam erigendam*, non simpliciter, de qua erectione tractavit can. 497, sed tamquam novitiatus domum, *necessaria est licentia Sedis Apostolicae* ad hoc ipsum, et ubicumque, sublata etiam theoretice controversia propter naturam territorialem legis Clem. VIII designationem domus novitiatus reservantis Sanctae Sedi, ut asserit Ben. XIV in const. « Si datam »[1].

§ 2. *Plures*, etsi duae iuxta reg. XL iur. in 6° « Pluralis locutio duorum numero est contenta », a) *in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit*, sub qua sola conditione viget prohibitio sequens: b) *designari nequeunt*, imo rescriptum S. Aplcae. huic canoni non derogans expresse aliamque domum novitiatus contra illum concedens ex subreptione irritum esset; sequitur enim: *nisi* a) *gravi de causa*, quam oportet in precibus afferre, *et* b) *cum speciali apostolico indulto*.

Iuxta Clem. VIII animadversionem [2] « Regularis disciplinae restitutioni,... illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus Conventibus, iis praesertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad religionem venientes passim recipiuntur », ex quo sequitur in domo virentis observantiae instituendos esse novitios. Valde opportunus est ergo § 3. *Superiores* a) *in novitiatus* b) *ac studiorum domo* de qua in seq. Titulo *ne collocent*, praesertim velut de familia, *nisi religiosos qui sint ad exemplum* novitiorum *regularis observantiae studio* idest: per diligentem praxim.

[1] 4 Martii 1748. — [2] Const. « Regularis disciplinae » 12 Martii 1596, § 1.

624. **Requisita ad novitiatus validitatem.** — *Can. 555.* § 1. *Praeter alia quae* a) *in can. 542* scilicet usque ad num. 2 exclusive *ad novitiatus validitatem enumerantur* de qualitatibus admittendorum positivis ac negativis iuxta interpretationem ibi datam et hinc confirmatam, *novitiatus* b) *ut valeat* ad effectus canonicos, *peragi debet*: — 1° *Post completum decimum quintum saltem aetatis annum* computandum ad normam can. 34, § 3, 3°; - 2° *per annum* a) *integrum* pro valididate ad iuris praecedentis normam, scilicet: « Annus integer novitiatus, qui solus » saltem « ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet »[1]: sed pro liceitate « primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » (can. 34, § 3°, n. 3°), et sic accipiendum est « ex gr. annus novitiatus », eo quod clausula irritans in canonibus « de temporis supputatione » (Titulus III, Lib. I) deest.- Canon addit b) *et continuum*, de quo requisito explicando subinfertur can. 556. - 3° *In domo novitiatus* canonice erecta, de qua est consulendus canon praecedens 554, non praecise in novitiatus loco segregato de quo in can. 564; hinc nihil obstat novitiatus validitati, si valetudini curandae novitius in communi infirmaria domus novitiatus decumbat.

§ 2. *Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur*, quod hinc permissum est, a) *illud ad validitatem professionis non requiritur*, concorditer canoni 11[2] extenso in hac parte ad constitutiones, b) *nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur.* Quia tunc vi huius canonis constitutionem confirmantis ad validitatem necessarium erit, atque ad huius canonis normam interpretanda sunt verba Dec. S. Congr. de Religiosis « Sacrosancta Dei Ecclesia »[3]: Novitiatus conversorum « unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii Ordinis constitutiones ».

625. **Interruptio novitiatus.** — *Can. 556.* § 1. *Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit*, eo quod anni continuitas deficiat ad validitatem pertinens ex n. 2°

[1] Dec. S. C. de Religiosis 3 Maii 1914, 1.
[2] Can. 11. Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.
[3] 1 Ian. 1911, n. 3.

§ 1 can. 555, a) *si novitius* I° *a Superiore dimissus*, ita ut dimissio sit valida iuxta can. 105. ac non revocata valide, II° *e domo exierit*, statimque accidit interruptio praedicta, b) *aut domum* I° *sine illius* supple Superioris *licentia*, II° *non reversurus* secundum animum, sed in foro externo ex circumstantiis saltem probandum, III° *deseruerit*. unde ad deambulationem egressus, vel ad ruri manendum interdiu, non officit novitiatui; c) *aut* I° *extra domum. etsi reversurus* ex animo et ut supra ob circumstantias, II° *ultra triginta dies*. tempus computandum a momento egressus e domo novitiatus ad momentum ingressus in novitiatus domum, ad normam can. 34. § 2, atque protrahendum aliquo saltem parvo tempore ante aut post « triginta dies », *sive continuos sive non continuos*, quorum singuli « constent 24 horis continuo supputandis a media nocte » (can. 32, § 1). III° *permanserit quacumque ex causa* voluntaria vel involuntaria. imo et violentiae, aut sanitatis recuperendae. *etiam de Superiorum licentia*. Hinc continuitas temporis. absentiae causa. ac Superiorum voluntas. sunt circumstantiae non attendendae.

Praeter interruptionem de qua in praec. §° contigere potest suspensio de qua tractat § 2. *Si novitius* I° *ultra quindecim* ut in praec. §° numerandos ac supputandos. *sed* a) *non ultra triginta dies etiam non continuos*, unde valet idem si per triginta stricte dies. b) *de Superiorum licentia vel vi coactus* c) *extra domus septa*, quae illam eiusque hortum ac partes limitant, *permanserit* d) *sub Superioris obedientia*. v. gr. vi proprie physica. vel in casu proposito S. Congr. de Religiosis 3 Maii 1914. « I. Utrum novitiatus illorum qui coguntur e domo probationis exire aut ad eandem militiam denuo vocati. censendus sit interruptus, ita ut ab initio sit repetendus. nulla ratione habita temporis novitiatus iam expleti; an vero sit aestimandus tantummodo suspensus. ita ut debeat solum compleri ». Atque responsio sic moderata est in canone: *ad validitatem novitiatus* I° *necesse* II° *et satis est dies hoc modo transactos*, ut supra computandos, eademque supputatione *supplere;* atque omissa fuit abrogataque conditio: « ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur » post regressum, sicut in cit. resp. ad 1^{m}; imo: II° *si non ultra quindecim dies*, quoad casus sub b) absentia sicut sub c) et d) protracta fuerit,

supplementum numeri dierum absentiae a) *potest a Superioribus* etiam localibus *praescribi* in casu, vel per generalem ordinationem, b) *sed non est ad validitatem* novitiatus ac subsequentis professionis *necessarium*.

Cum respectu ad clausulam praec^s. §^i « de Superiorum licentia », alteram, quae in Dec°. S. Congr. de Religiosis 3 Maii 1914, n. 3 fuit posita « at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant », insertam refert § 3. *Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus*, ac notetur non dici « extra septa domus novitiatus » sicut in illo n. 3 exprimitur, quod videtur esse consulto factum ad vitandam mansionem extra novitiatus locum vetandam ac declarandam in can. 564, et ad implicite salvandam legem iuris praec^s. in Dec°. « Cum ad regularem » Clem. VIII [1]: « Non liceat Novitiis, durante Novitiatu, una cum professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in Processionibus aut in Coenaculo causa refectionis commorari »; superiores igitur ad Const^m. normam forsitan determinati « licentiam manendi extra septa novitiatus », et a fortiori domus novitiatus, a) *nisi iusta* nempe proportionata permanentiae relativae extra septa vel extra domum novitiatus, *et gravi de causa*, b) *ne impertiant*.

Monitio quaedam exorituram forsan dubitationem praeveniens sequitur in § 4. *Si Novitius a Superioribus* b) *in aliam Novitiatus domum*, etsi diversae provinciae, attamen c) *eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur*. Putamus id accipiendum esse hac tantum de causa, salvo praescripto §§ 1 et 2 quoad interruptionem ac suspensionem in casu aliquo. Quia in § 1° ponitur « quacumque ex causa » verificetur permanentia illa extra novitiatus domum, et quoad § 2^m quia praesens § 4 suspensionem novitiatus non considerat.

626. **Habitus deferendus.** — Etsi ad novitiatus inceptionem in aliquibus religionibus opus sit habitum specialem induere ad normam can. 553 ibi declaratam, atque non obstante capite 16 sess. XXV de regularibus... in Conc. Trid., ubi dicitur: « nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur », novitiatum peragere cum habitu religionis non est necesse ad professionis validitatem, uti sequitur ex can. 11 [2]. Ait enim *can. 557. In-*

[1] 19 Martii 1603 n. 19. — [2] Vide notam 2 in pag. 614.

teger novitiatus peragatur a) *in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt* statuentes illum forsitan distinctum a professorum habitu. b) *nisi speciales locorum circumstantiae* v. gr. persecutionis adversus religiosos *aliud exigant*. Quo in casu omnino licite non induent habitum novitii, secus tenentur vi huius canonis, cuius observantia Superiores urget.

627. **Diversitas novitiatus.** — *Can. 558. In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes*, v. gr. addicti choro et addicti manualibus operibus, *novitiatus* a) *pro altera peractus*, sive distinguatur quoque habitu sive non, b) *pro altera non valet*. Inde subsequens professio esset nulla, quod animadvertatur ad rectam interpretationem can. 572. 3°. Nec constitutiones solae aliter disponere possunt.

628. **Magister novitiorum ac socius.** — *Can. 559.* § 1. *Novitiorum institutioni* de qua specialiter in can. 565. *praeficiendus est Magister*, hoc nomine in Codice ipse tantum designatus secundum antiquam praxim, *qui sit* a) *annos natus quinque saltem ac triginta* completos ad normam can. 34 § 3, 3°, b) *decem saltem ab annis a prima professione professus* ad eamdem normam completis, c) *prudentia*, *caritate*, quae, secundum Apostolum secum fert affabilitatem, mansuetudinem et est ab omni perturbatione, irae praesertim et indignationis quae caritatem erga alios impedire consueverunt, aliena, *pietate*, hinc orationis et mortificationis operibus addictus, *religionis observantia*, tum vitae anteactae exemplo, tum bonorum operum tamquam exemplar ad praesens; in praefatis dotibus canonis *conspicuus* veluti ceteris clarescens, *et*, d) *si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus*. Haec desumpta sunt ex const. « Cum ad regularem » Clem. VIII [1], quae pro maxima parte est inserta in sequentibus, moderatione quandoque adhibita.

§ 2. *Si* a) *ob novitiorum numerum*, ac est motivum expressum, b) *vel aliam iustam causam*, non iam « opus fuerit » ut in const. Clem. VIII, sed *expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur* a) *socius*, cuius officium secundum nomen eius sic declaratur: b) *eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant*, cum triplici qualitatum conditione: 1° *annos natus saltem triginta*, 2° *quinque saltem ab annis a prima professione professus*, 3° *cum ceteris dotibus necessariis*

[1] 19 Martii 1609, § 9, 13.

et opportunis pro eius munere iuxta circumstantias adimplendo; dum in const. Clementina solummodo statuebatur « vita et moribus consimilis » Novitiorum Magistro.

§ 3. *Uterque ab omnibus* a) *officiis* confessarii, praedicationis, praelaturae: uno verbo: officiis lato et stricto sensu ad normam can. 145, *oneribusque* idest: exequendis iniunctionibus *vacare debet*, dummodo talia sint b) *quae novitiorum curam et regimen impedire valeant*. Ita ex § 13 const. Clem. Hoc paragrapho extollitur sollicitudo Ecclesiae in religionum prosperitatem, quae a novitiorum institutione promanare panditur.

629. **Amotio et electio etiam iterata.** — *Can. 560. Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum*, quoad modum eligendi eos et a quibus, non praecise iuxta const. Clem. VIII, quae in hoc vim suam amisit; *et si quod in his* supple: constitutionibus *tempus ad durationem muneris* sive Magistri novitiorum sive socii *praescriptum sit*, hac solum sub conditione. a) *eo durante* tempore, *ne removeantur sine iusta* idest: secundum rationem proportionata, *gravique* simul *causa*: et in eadem hypothesi muneris temporanei, additur: b) *sed iidem rursus eligi possunt*. Et vi vocis « rursus » non tantum secundo, sed etiam pluries reeligi queunt: nec obstant constitutiones in contrarium, quae potius vi huius clausulae « abrogatae sunt » ad normam can. 489.

630. **Novitiorum institutio ac regimen.** — *Can. 561.* § 1. *Uni Magistro ius est* erga alteros, qui proinde se immiscentes in hoc contra illius voluntatem iniuriam in eum committerent, *et officium* erga novitios ac religionem, a) *consulendi novitiorum institutioni* de qua in can. 565, b) *ad ipsumque unum* tamquam principalem *novitiatus regimen spectat*, et hoc exponitur sic: c) *ita ut nemini liceat hisce*, videlicet: institutioni ac regimini, *se, quovis colore*, hoc nempe verbo quodcumque motivum excludente, *immiscere*, attamen *exceptis* 1° *Superioribus* non quibuscumque, sed *quibus id a constitutionibus permittitur, ac* 2° *Visitatoribus* quibuslibet domus religiosae: 3° *ad disciplinam vero universae domus quod attinet*, v. gr. ad actus communitatis secundum constitutiones, utpote solius novitiatus regimen excedentes, *Magister*, a fortiori socius, *perinde ac novitii*, *Superiori* supple domus *est obnoxius*.

§ 2. *Novitius* ex voluntario ingressu in religionem a) *potestati* tum dominativae *Magistri* ac tum illi (tum iurisdictionis in

religione clericali exempta) *Superiorum* localis et maiorum *religionis subest* b) *eisque obedire tenetur*. Non tamen, ut patet, eadem de causa ob quam professi.

631. **Gravis obligatio Magistri.** — Duae subnectuntur obligationes Magistri novitiorum, generalis una in sequenti canone, peculiaris altera in can. ulteriori. - *Can. 562. Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum*, nec de socio simile dicitur, *omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni*, iuxta Magisterii munus adhortationibus, instructione, correctione, *in religiosa disciplina* quoad chorum, defunctorum suffragia, communes actus, etc., tamen *secundum constitutiones, sedulo exerceantur*, ad quod tenentur novitii, ratione incoeptae cooptationis in religionem ad eius vitae religiosae experimentum; equidem *ad normam can. 565*, in quo novitiatus scopus evolvitur.

632. **Relatio de novitiis.** — *Can. 563. Intra annum novitiatus* pro unoquoque novitio percurrentis, *Magister, ad normam constitutionum* quoad circumstantias observantiae sequentis praescripti, *de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat*. Et nisi a constitutionibus determinetur, sequatur in praxi reg. Iuris 70 in 6°. « In alternativis debitoris est electio; et sufficit alterum adimpleri ».

Can. 564. - § 1. Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.

§ 2. Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur.

Can. 565. - § 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.

§ 3. Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur.

Can. 566. - § 1. Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta canon. 520-527.

§ 2. In religionibus virorum, salvo praescripto can 519:

1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891;

2° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si

de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri;

3° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;

4° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.

CAN. 567. - § 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent: et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt.

§ 2. Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.

CAN. 568. - In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademque obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.

CAN. 569. - § 1. Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius, debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere.

§ 2. Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa.

§ 3. Novitius in Congregatione religiosa ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat.

CAN. 570. - § 1. Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest.

§ 2. Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur.

CAN. 571. - § 1. Novitius potest religionem libere deserere, aut a Superioribus vel Capitulo, secundum constitutiones, quavis iusta de causa dimitti, quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere.

§ 2. Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari.

§ 3. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per octo saltem solidos dies.

633. **Novitiatus locus.** — Ex § 6 const. « Cum ad reguladem » Clem. VIII est *can. 564* § 1. *Novitiatus*, idest: *locus* quem inhabitant novitii cum Magistro eiusque socio, *ab ea parte domus* religiosae, *in qua degunt professi*, *sit*, cum adnotanda moderatione: *quantum fieri potest*, *segregatus* propria clausura vel distantia, locive distinctione patenti, *ita ut*, 1° *sine speciali causa* 2° *ac Superioris vel Magistri*, *alterutrius* nempe sufficeret, *licentia*, a) *novitii nullam habeant communicationem*, proinde nec alloquutione, nec scripto, gestibus, *cum professis*, b) *neque hi cum novitiis*. Et haec est formalis praescriptio intenta iuxta § 11 cit. const^s^., cuius numeri 7-10 nunc temporis solam utilem instructionem de novitiatus loci dispositione exhibent.

§ 2. *Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur.* Nec determinatur utrum intra vel extra Novitiatum: quod ultimum praecipiebatur in § 21 cit. cont^s. continente alia circa illos scitu utilia.

634. **Novitiatus scopus ac praecautiones.** — Valde notandus *can. 565.* § 1. *Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus* 1° *studio regulae et constitutionum* cum debita doctrina per Magistrum quoad earum sensum ac spiritum. 2° *piis meditationibus assiduaque prece* quoad pietatem solidam. 3° *iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent*, ut obligationes suscipiendas cognoscant et ad perfectionem persequendam sint instructi; imo ut in hac contentione praxim obtineant. 4° *exercitationibus opportunis* informentur *ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus* inordinatos, *ad virtutes acquirendas* prout incipientes vitam spiritualem decet.

§ 2. *Conversi* novitii *praeterea*, illos ergo respicit quoque § 1us, *diligenter in* tota *christiana doctrina instituantur* brevi aptaque methodo, *speciali collatione ad eos* solos *habita semel saltem in hebdomada.*

Ut perfectius consequatur novitiatus propositum ad normam § 1^i, sequitur § 3. *Anno novitiatus* perdurante *ne destinentur* a) *novitii* 1° *concionibus habendis* etiamsi sacerdotes fuerint, 2° *aut audiendis confessionibus* 3° *aut exterioribus*, quae videlicet natae sunt animum distrahere, quamvis intra domum fiant, *religionis muniis*, v. gr. procuratoris, bibliothecarii, etc., 4° *neve dedita opera*, hinc aliquid legere eorum quae sequuntur non vetatur eis, *studiis vacent litterarum*, v. gr. linguarum, *scientiarum* v. gr. physicarum, *aut artium* quarumlibet: et haec respiciunt choro addictos, ac similes, non autem prohibetur artis cuiuslibet v. gr. picturae exercitium; b) *conversi autem* « circa corporalia obsequia probandi et exercendi » iuxta n. 21 const. Clem. VIII, *in ipsa religiosa domo*, non extra eam v. gr. quaeritando eleemosynas, *eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum*, cum prohibitione: (*non tamen uti primarii officiales*), sed ut subsidiarii aliorum conversorum qui iam sint professi, *quatenus ab exercitiis novitiatus* v. gr. spiritualibus collationibus, Magistri lectionibus, etc., *pro ipsis constitutis non praepediantur.* Contrarium esset novitiatus scopo plane adversum.

635. **Novitiorum confessiones.** — *Can. 566.* § 1. *Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520-527*, quae ad novitias sunt extensa vi huius canonis necessario positi, eo quod istae non veniant religiosarum nomine ad normam can. 488, n. 7°. Illa praescripta ibidem fuerunt plene declarata.

§ 2. *In religionibus virorum* quibuslibet, *salvo praescripto can. 519*, quod hac clausula declaratur ad novitios pertinere religionis quoque exemptae: - 1° *Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii* iuxta datam explicationem in can. 520, § 1, *salvo praescripto can. 891*, qui est sequentis tenoris: « Magister novitiorum eiusque socius, confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni a) ex gravi et urgenti causa b) in casibus particularibus (non ex consuetudine) c) sponte id petant ». Qua sub ultima conditione praesumendum est primam extare. - 2° *Confessarii ordinarii*, a) *si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur*, qualitas praescripta pro ipso munere; b) *si de laicali, saltem frequenter* v. gr. singulis hebdomadibus *ad domum novitiatus accedant*, praescriptum servandum ratione muneris, non qualitercumque sed *novitiorum confessiones audituri*, non secus ac de religiosarum ordinariis confessariis explicatum fuit in can. 520, § 1.

Ad instar normae can. 521 §§ 2 et 1 de religiosarum communitatibus, hic statuitur: 3° *Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii*, nempe: iurisdictione pollentes, *quos* a) *novitii* singuli *in casibus particularibus adire* (si commorentur in novitiatus domo) *libere possint*, aut vocandos per novitiorum Magistrum vel aliter, praesertim si non commorentur in domo novitiatus, quamvis degentes in ea congruentius designarentur in religione clericali, providetque canon: b) *nec Magister aegre id ferre demonstret*, scilicet: quando petunt licentiam adeundi talem confessarium, vel exposcunt ut hic advocetur; - 4° *Quater saltem in anno*, sicuti decretum est pro mulieribus religiosis ac novitiabus, a) *detur novitiis confessarius extraordinarius*, qui potest esse distinctus pro singulis vicibus, b) *ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi*, ut sic necessitatem habentes aut solum volentes eidem facilius confiteantur.

636. **Privilegia et ius ad suffragia.** — *Can. 567.* § 1. *Novitii* a) *privilegiis omnibus*, utpote quae favorem conferunt, b) *ac spiritualibus gratiis* v. gr. indulgentiis *religioni concessis gaudent;* ac specialiter: *si morte praeveniantur* scilicet: complendo novitiatui aut emittendae professioni, c) *ad eadem suffragia* scilicet: quoad missas, forsitan mortificationes, preces pro illorum animabus, atque simul circa earum numerum seu quantitatem, alias non essent proprie « eadem » suffragia, *ius habent, quae pro professis* in eadem domo cohabitantibus *praescripta sunt*, equidem per constitutiones aliasque religionis ordinationes, non vero ad ea suffragia quae forsitan ex speciali pacto ac sub culpa in aliqua provincia sint professis peculiaria. - Igitur si pro dictis professis eiusdem videlicet domus, suffragia solummodo in ea domo religiosa peragenda sint praescripta, ad haec tantum ius habent novitii praemortui, si praeter eadem in tota religione aut Congregatione monastica vel Provincia fiant etiam suffragia pro eisdem professis defunctis, etiam quoad ea novitii praefati ius habent. Et hic canon confirmat quod diximus in can. 562 de obligatione novitiorum relativa suffragia pro defunctis recitandi « secundum constitutiones ».

Porro cum privilegium extensum Decreto S. C. de Religiosis « Spirituali consolationi » [1]: « De professione religiosa in mortis periculo permittenda » dicatur ibidem n. 5 « praeter gratias in praecedenti articulo (easdem ac in §° praes. can.) enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum », sequitur illud cessasse privilegium inde inutile.

§ 2. *Ad ordines quoscumque* « et ipsam primam tonsuram », quam « in iure verba: ordinare, ordo... comprehendunt » vi canonis 950, *durante novitiatu, ne promoveantur.*

637. **Renunciationes ac obligationes novitiorum.** — Qui sequuntur canones exhibent summarie praecedens ius, quod exposuit applicavitque caput 16 sess. XXV de Regularibus, mutationibus inductis propter triennalem professionem votorum simplicium ante solemnem atque propter Congregationes religiosas virorum. In illo igitur capite legitur: « sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocumque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eius-

[1] 10 Sept. 1912. CO. IV, 589.

dem tribuatur », et notanda ratio sequens: « ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit ». - Quod autem dicta S. Synodus decrevit capitis initio citati de renunciatione ac obligatione, quae a novitio fieret, ait Bened. XIV in ep. « Ex quo » [1], « tam in bonorum temporalium, quam in beneficiorum ecclesiasticorum renunciationibus servari debet ». - Concorditer his omnibus, cum extensione ad Congregationes, quae vigebant ex praec. iure praescribit *can. 568. In novitiatus decursu, si suis*, scilicet: in quibus ius habeat, nam si tantummodo ius ad rem haberet quoad ea, dici sua non possent, a) *beneficiis* proprie dictis ad normam canonis 1412 [2], equidem possessis, nam secus « si clericus de officio provisus illud adire neglexerit », illud vacat ipso facto ad normam can. 188, n. 2°, b) *vel bonis* temporalibus, *quovis modo* « etiam cum iuramento » iuxta can. 1318, § 2, in quo scriptum est: « Si actui directe vergenti... in praeiudicium boni publici..., nullam exinde actus consequitur firmitatem », vel « in favorem cuiuscumque causae piae » (Conc. Trid. loc. cit.), etsi servata civilis iuris forma, *novitius* a) *renuntiaverit* expresse, quod innuit verbum « renuntiaverit » simpliciter positum, et quoad beneficiorum renunciationem etiam tacite, propter normam canon. 188 in casibus in quibus hic salvatoriam clausulam non adhibuit, sicut eam posuit n.° 1°, *eademve* praesertim bona b) *obligaverit* v. gr. promissione dandi, hypotheca, etc., huiusmodi a) *renunciatio vel* b) *obligatio non solum illicita, sed ipso iure* canonico *irrita est*, « etiamsi facta cum huius favoris expressa renunciatione etiam iurata, erit nullius effectus » sicut ait Conc. Trid., supponens actum directe vergere in praeiudicium boni publici, et legem non continere merum favorem privatorum, cui valedicere ipsi possint.

638. **Cessio, dispositio et testamentum.** — Iuri praecedenti congruit quoad duos priores paragraphos *can. 569. § 1. Ante*

[1] 14 Ian. 1747.

[2] Can. 1412. Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt: 1° Vicariae paroeciales non in perpetuum erectae: 2° Cappellaniae laicales, quae scilicet erectae non sunt a competente auctoritate ecclesiastica; 3° Coadiutoriae cum vel sine futura successione; 4° Pensiones personales; 5° Commenda temporaria idest concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur.

unamquamque *professionem* a) *votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum*, qui nunc est *novitius debet* saltem confirmans forsan implicite non mutans praevie novae professioni factam prius cessionem, vel eam mutans, [1] atque ratio interpretationis datae est, quia: b) *ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur*, ideoque in temporaria professione ad tempus finem habiturum, I° *bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit* « etiam suo Ordini seu domui religiosae, quatenus ex huius parte nihil obstet et novitius plena libertate id opportunum existimaverit », idest: voluerit (Dec. « Perpensis » 3 Maii 1902, n. 11), *et* II°, *nisi constitutiones aliud ferant*, quae hinc servandae forent quidlibet etiam contra canonem statuentes, forsitan cuinam sint reservandi usus et ususfructus, *de eorumdem* bonorum suorum *usu et usufructu libere disponere*: quia « professi votorum simplicium retinent radicale suorum bonorum dominium; omnino vero interdicta est vi voti paupertatis eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque reddituum erogatio atque usus ». (Dec. « Perpensis » loc. cit. cum extensionibus).

Hanc secundam §[i] partem interpretata est authentice Commissio Pontificia [2] quando ad Dubium « 9. Num verba *nisi constitutiones aliud ferant* canonis 569, § 1, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum. - Resp. Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent, seu praefiniant ».

Post emissam vero professionem servandus est correlativus sequens § 2. *Ea cessio* administrationis *ac dispositio* de usu et usufructu praescripta in § 1°, *si* a) *praetermissa fuerit ob defectum bonorum*, sine transgressione igitur § 1[i], *et haec postea supervenerint*, et haec est prima hypothesis, secunda vero *aut* b)

[1] Relinquimus hanc interpretationem, non obstante sententia, quam R. P. Larraona propugnat in Commentario pro Religiosis an. I pag. 336. Nobis enim « certum *non* videtur sensum clarum can. in textu et contextu consideratum (c. 18) nonnisi de prima professione intelligi posse ». Etenim iuxta istam sententiam opus erit dicere, cessionem hanc singularem ac dispositionem mutari non posse nisi cum. S. Sedis beneplacito. Non enim comprehenduntur nec sub § 2 huius canonis, nec consequenter sub can. 580, § 3. Sit dictum hoc cum illius sententiae reverentia.

[2] 16 Oct. 1919. CO. XI, 478.

si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo v. gr. donatione, hereditate, legato *obvenerint*, a) *fiat aut* b) *iteretur* respective ad alterutram hypothesim cessio simul ac dispositio horum bonorum c) *secundum normas § 1 statutas*, scilicet: nulla requisita licentia, et ex huius §[i] 2 praescripto, d) *non obstante simplici professione emissa*. Quae utique obstaret cessioni ac dispositioni bonorum omissis contra § 1[i] praescriptum.

§ 3 *Novitius* a) *in Congregatione religiosa* etiam iuris pontificii et votorum perpetuorum, nec id ad Ordines religiosos pertinet, b) *ante professionem votorum temporariorum* seu primam, c) *testamentum* iure civili validum d) *de bonis praesentibus vel forte obventuris* probabiliter, e) *libere* quoad modum *condat*, et hoc praescribitur, sed quoad tempus determinatum ad urgendam obligationem.

Quaeres: An hoc praescriptum et quomodo adimplendum sit, si ius civile non permittat huic vel alteri novitio condere tunc temporis validum testamentum? Respondeo affirmative, ita ut fiat holographum testamentum iure naturae validum, quod ratihabeatur sine alia necessaria propter hoc licentia, quando tempus veniat illud civili iure ac valide condendi. Ratio est, quia lex canonica hic non distinguit inter Congregationum religiosarum novitios, et can. 1529 edicens « quae ius civile in territorio statuit de contractibus... in materia ecclesiastica serventur », addit: « nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur », sicut accidit hoc in praesenti canonis § 3. Adiunxi responsioni *iure naturae* propter locum parallelum can. 1513, § 1 aientis: « Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere ». Et propter hunc canonem, responsio ad quaesitum certa est saltem ad causas pias quoad attinet.

639. **Bona novitii recipienda vel restituenda.** — Cum vitari debeat simonia in re spirituali, prout est novitiatus tamquam iuridicum status religiosi principium, ut illa praecaveatur conditus est *can. 570*. § 1. *Nisi* a) *pro alimentis et habitu religioso* (indumento) b) *in constitutionibus*, est ergo permissum, *vel* c) etiam licita *expressa conventione* inter religionis Superiores ac parentes postulantis seu vices eorum habentes *aliquid* d) *in postulatu vel novitiatu ineundo*, alterutrius ergo initio, e) *solvendum* forsitan postea, *caveatur*, alias *nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest*; ne simonia de prosequutione novitiatus admittendique ad professionem ita pallietur.

Iuxta severam normam Conc. Trid. in cap. cit. 16 iubet § 2. *Quae adspirans* secum *attulerit* a) necessaria vel utilia *et* b) *usu consumpta non fuerint*, *si e religione*, c) *non emissa profes-*

sione, unde sive ex postulatu, sive ex novitiatu d) *egrediatur*, *ei restituantur*.

640. **Novitiatus terminus** — Alex. IV in cap. 2° De regularibus et transeuntibus ad religionem (III, 14) in VI° aiebat PP. Praedicatoribus et Minoribus: « ... Licet zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicite cupiatis: quia tamen decet et expedit, ut conscientiae puritati non desit iudicium rationis, ne unde spiritualis profectus quaeritur, salutis dispendium subsequatur: Vobis districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum (qui est maxime in subsidium fragilitatis humanae regulariter institutus) quemquam... constitutum infra huiusmodi annum aliquatenus impedire, quominus infra ipsum ad aliam religionem, quam maluerit, transeat, vel... omnimo ad saeculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, praesumatis ». Conformiter huic capiti statuit *can. 571*. § 1. *Novitius* a) *potest religionem libere deserere*, attamen in cap. 16 de regularibus, et transeuntibus ad religionem (III, 31) legitur: « quod licet tempus a Sanctis Patribus sit indultum, non solum in favorem conversi (ad religionem), sed etiam monasterii: ut et ille asperitates istius, et istud, mores illius valeat experiri »; hinc iuxta aequalitatem sequitur in canone: b) *aut a Superioribus vel a capitulo*, ad quos pertineat *secundum constitutiones* de hac re servandas, *quavis iusta de causa*, non ex irrationabili iudicio, *dimitti* « potest », *quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere*.

Ex cap. 16, sess. XXV Conc. Trid. est desumptus § 2. *Exacto novitiatu*, nempe: versus illius finem I° *si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur* ab eis ad quos pertinet ad normam can. 543 et 575, § 2, qui tunc vi huius canonis ad hoc tenentur, absente « quavis iusta causa », II° *secus*, scilicet: si iudicetur non idoneus, *dimittatur* secundum constitutiones ut in § praec., sed vi canonis fiat dimissio; III° *si dubium supersit* utique prudens *sitne idoneus*, a) *potest*, quin obligatio canone imponatur, b) *a Superioribus maioribus* propter hoc certiorandis *probationis tempus* duorum forsitan annorum, c) *non tamen ultra sex menses*, bene autem ad minus tempus etiam indeterminatum d) *prorogari*.

§ 3. *Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius*, proinde primae professioni, *praemittat per octo saltem solidos dies* in quibus mane ac vespere illis incumbat.

CAPUT III.

De professione religiosa

Can. 572. - § 1. Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut:

1º Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam canonis 573;

2º Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones;

3º Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit;

4º Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;

5º Sit expressa;

6º A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574.

Can. 573. Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive solemni, sive simplici.

Can. 574. - § 1. In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere, salvo praescripto ca-

Caput III. De professione religiosa (1)

- valida
  - requisita necessaria — Can. 572
  - praevia aetas diversa — » 573
  - perpetua, conditio sine qua non existit — » 574
- emittenda
  - vel secus, et de suffragio consilii vel capituli — » 575
  - ritus ac sequutura adnotatio — » 576
  - quoad renovationis tempus — » 577
- quoad effectus
  - si est temporaria praevia perpetuae — » 578
  - circa actus votis contrarios — » 579
  - ex paupertatis voto
    - simplici — » 580
    - sollemni
      - praeveniendos — » 581
      - sequutos — » 582
    - negativos — » 583
  - circa beneficia forsan habita — » 584
  - circa dioecesim propriam — » 585
- convalidanda — » 586

[1] Vide canones in pagg. 628, 629, 640, 641.

non. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones.

§ 2. Hoc tempus legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium.

Can. 575. - § 1. Exacto professionis temporariae tempore, religiosus, ad normam can. 637, vel emittat perpetuam professionem, sollemnem vel simplicem secundum constitutiones, vel ad saeculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariae, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a legitimo Superiore ad normam can. 647.

§ 2. Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est deliberativum: pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici est consultivum tantum.

Can. 576. - § 1. In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus.

§ 2. Documentum emissae professionis, ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in tabulario religionis; et insuper, si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere, ad normam canonis 470, § 2.

Can. 577. - § 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora.

§ 2. Superioribus tamen facultas est ex iusta causa permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur.

641. **Inscriptio capitis ac huius distributio in canones.** — Consequenter *Caput III* considerandum est *De professione religiosa;* scilicet de actu externo quo novitius coram Ecclesia religiosum amplectitur statum, de quo in can. 487, in aliqua religione in can. 488, n. 1° definita. Sed in hoc capite, requisita praevia ipsi professioni religiosae, eiusdem distinctiones atque effectus per ss. canones reguntur, qui sic distribuuntur ordinate: de requisitis ad professionis religiosae validitatem loquuntur can. 572-575, de ipso professionis actu duo habentur canones 576, 577; de effectibus autem sunt alii, sed quoad professionem temporariam can. 578, exceptis effectibus circa vota quos canones 579 considerat, et peculiariter quoad proprietatem bonorum conservandam, acquirendam, amittendam sub votis simplicibus can^{s}. 580, 581 normas ferunt, ac ultimo post effectus negativos consideratos tum in eadem materia in can. 582, 583, tum quoad beneficia forsitan possessa in can. 584 et quoad dioecesim propriam amittendam in can. 585; de convalidatione professionis religiosae forsan irritae determinat ultimus canon 586.

642. **Requisita professionis validae.** — *Can. 572.* § 1. *Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis* etiam in Congrega-

tione iuris dioecesani, *requiritur ut*: - 1° *Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573*, et quae diversa est pro temporanea et perpetua professione, pro qua ultima ex codice inducta est aetatis determinatio, sed pro conversis regularibus reducta fuit, cum maior, scilicet: triginta annorum fuerit necessaria ex Dec°. S. C. de Religiosis « Sacrosancta »[1] fere totaliter abrogato ad normam can. 6, n. 6°[2]. Quod postremum confirmatur per Declarationem S. Congr. de Religiosis citandam ad can. 574. - 2° *Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones*, iuxta interpretationem datam can. 543, servato praescripto can. 575, § 2 ibi declarando; 3° *Novitiatus validus*, tum in genere *ad normam can. 555* iam opportune explicatam, tum pro unaquaque sodalium classe, servato can. 558 quoad primam saltem professionem, *praecesserit;* atque tria haec requisita sunt professioni praevia, quae vero tria sequuntur, attingunt professionis religiosae actum ipsum; videlicet: - 4° *Professio* a) *sine vi* scilicet: violentia physica, iuxta Reg. iuris 5 (V, 41): « Quod per vim introductum est, nulla debet stabilitate subsistere », atque secundum statutum sub Eugenio II[3]: « Sicut qui monasteria elegerunt, a monasteriis egredi non permittuntur; ita hi, qui inviti sine iustae offensionis causa sunt intromissi, nisi volentes, non teneantur: quia quod non petunt, non observant. Ideoque tales considerandi sunt magis peccata committere, quam plangere, sicut in decreto SSmi. Leonis Papae manifestissime continetur »; b) *aut metu gravi* ad profitendi effectum incusso per minas de gravi malo prout fuit explicatum in can. 103, § 1, in quo etiam de dolo sumus loquuti: c) *aut dolo* (respiciente professionis religiosae substantiam in obligationibus consequentibus eam) *emittatur;* unde si praedicta locum habeant in profitente ipso tantum. - 5° *sit expressa* verbis, scripto vel aequipollentibus signis directe exprimentibus voluntatem profitendi cum trium votorum emissione saltem in uno eorum implicita: nec sufficit professio tacita, videlicet: quae ex aliis actibus v. gr. profes-

[1] 1 Ian. 1911, n. 5.

[2] Can. 6, n. 6°. Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice continetur, eam vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis libris liturgicis reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

[3] C. 9, cau. XX q. 1.

sorum propriis cum tali profitendi voluntate positis posset intelligi. - 6° *A legitimo Superiore secundum constitutiones* eum designantes *per se vel per alium recipiatur*, v. gr. in manibus eius vel eius praesentia, ut saltem tacita receptio intelligatur. De hac receptione sicut de professione tacita videri posset mentio expressa in cap. 16 de regularibus et transeuntibus ad religionem (III, 31).

« Cum in Constitutionibus quarumdam Congregationum religiosarum iuris pontificii in formula professionis nulla fiat mentio Antistitae, sed tantummodo Episcopi vel eius delegati, quaeritur: — 2°. An Episcopus vel eius delegatus in casu habendus sit legitimus Superior secundum Constitutiones ad professionem recipiendam, de quo in can. 572, §. 1, n. 6. - Pont. Commissio ad Cod^s. canones auth. interpret^s. resp.: Ad 1um. Affirmative, tumquam habens legitimum mandatum [1] ».

« In quibusdam Institutis votorum simplicium vota emittuntur sub hac vel simili conditione apposita: « Donec in Congregatione vivam », ita ut alumnus, sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat. Hinc quaeritur: — 1° In hisce Institutis debetne tali professioni praemitti triennium votorum temporaneorum, ad normam can. 574? — Pont. Commissio ad Cod^s. canones auth. interpretandos resp.: Ad 1^m. Negative » [2].

Peculiariter de perpetua professione additur § 2. *Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis*, adhuc *requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574* cito explicandam: « quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota perpetua et ea emittendi; ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum perpetuorum praescripti », uti declaravit Pius IX de solemni professione [3].

643. **Aetas diversa necessaria.** — Praevius est *can 573. Quilibet* sive vir sive mulier, in religione iuris dioecesani aut pontificii, tum laicali, tum in clericali etiam conversus *professionem religiosam emissurus* « quamlibet » ad normam can. praec. § 1°. n. 1°. *oportet ut* a) *decimum sextum aetatis annum expleverit*, quod verum est proprie, recurrente eodem horae momento

[1] 1 Martii 1921. CO. XIII. 178.
[2] 1 Martii 1921. CO. XIII. 177.
[3] Const. « Ad universalis » 7 Feb. 1862.

in die anniversaria nativitatis 16ª, sed non valide emitteret professionem ex tunc sicut nec licite usque ad expletum quoad ultimum illius aetatis diem ad normam can. 34, §. 3, 3°, *si de temporaria professione agatur;* b) *vicesimum primum*, suppleas: « expleverit » modo explicato, *si de perpetua sive sollemni, sive simplici* emittenda professione quaeritur aetas.

Ratio interpretationis datae est, quia professionem « emissurus *legitimam* aetatem » habere debet (can. praec. §. 1, 1°).

644. **Professio temporaria perpetuae praemittenda.** — *Canon 574* relationem habet cum. can^s. 572, § 2, statuente ad validitatem: « ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can^s. » nunc interpretandi. § 1. *In quolibet Ordine* a) *tam virorum quam* b) *mulierum* cum votis solemnibus ex instituto (can. 488, 7°) *et in qualibet Congregatione* etsi iuris dioecesani *quae vota* simplicia quidem, sed c) *perpetua habeat, novitius* quicumque, etsi conversus a) *post expletum novitiatum* quoad ultimum quoque diem pro liceitate ad normam can. 34, § 3, 3°., b) *in ipsa novitiatus domo* pro liceitate professionis iuxta canonem 11 [1], nam haec circumstantia nec implicite comprehenditur sub can. 572, § 2; *debet votis* c) *perpetuis* valide emittendis ad normam can. 572, § 2, *sive sollemnibus sive simplicibus*, d) *praemittere, salvo praescripto can. 634* eximentis a praedicta temporaria professione professum a votis perpetuis post transitum legitimum ad aliam religionem, quando in hac ille ad professionem admittatur; ac sequitur in hoc can. 574: e) *votorum simplicium professionem* singulari verbo, unicam igitur, atque additur absolute: f) *ad triennium* quod « tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest » (can. 34, § 3, 5°), *valituram* ex iure hoc disponente veluti regulam generalem, cui subnectitur disiunctive: g) *vel ad longius tempus*, et in canone nulla fit mentio conditionis de periodo anni integri in quo aetas complebitur, sed de tempore longiori equidem pro casibus qui frequenter accidere possunt, sicut praesupponit conditio sequens: h) *si aetas ad perpetuam professionem requisita*, quae est vicesimus primus annus ex can. 572, § 1, 1°., 573, *longius distet.*

[1] Can. 11. Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

Unde Codex propter idem vocabulum « longius » bis adhibitum satis innuit, in casibus secundae partis disiunctivae, non ad quadriennium, vel quinquennium, sed professio praemittenda votis perpetuis, utpote temporaria perduret usque ad aetatem requisitam pro valida perpetua professione.

Hic §s. ita explicit: *nisi constitutiones exigant annuales professiones*, quae exceptio cum satisfaciat duplici huius §i scopo, videlicet: ut professio temporaria perpetuam praecedat et illa perduret saltem triennio, propterea illae constitutiones salvae manent, nec ullatenus canoni adversantur, etiamsi ad plures quam tres annos differant emissionem professionis perpetuae, « non tamen ultra triennium » secundum, idest sexennium causa seqs. §i.

Utilitate praeditum est S. Congri. de Religiosis propositum sequens dubium: « An religiosi laici seu conversi in Ordinibus Regularibus, qui iam emiserunt vota simplicia ante diem 19 Maii 1918, ad normam Decreti « Sacrosancta Dei Ecclesia » diei 1 Ianuarii 1911, debeant emittere vota sollemnia iuxta praescripta dicti Decreti, scilicet absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno, vel potius ad normam Canonum 573 et 574 Codicis Iuris Canonici, idest expleto triennio votorum simplicium et vigesimo primo aetatis anno completo ». Sacra autem Congregatio... respondendum censuit...: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam »[1].

Item huic canoni apte colligatur, quod Sacra eadem Congregatio animadvertendum censuit, nempe: Decretum « Inter reliquas », natura sua, ad circumstantias temporum et locorum habere relationem, nec generalis legis ecclesiasticae rationem induere. « Propositis igitur dubiis: 1) utrum Decretum " Inter reliquas " S. Congregationis Religiosorum diei 1ae Ianuarii 1911, de religiosis servitio militari adstrictis adhuc vigeat; - et quatenus affirmative: 2) utrum Novitii servitio militari adstrictis absoluto Novitiatu, vota religiosa temporanea emittere debeant ad triennium iuxta modum in can. 574 expressum: - Sacra Congregatio.... respondendum censuit...: ad primum affirmative: - ad secundum, negative: et vota temporanea emittantur valitura usque ad servitium militare.

[1] 6 Oct. 1919. CO. XI. 420.

Quapropter statuit S. Congregatio, ut: 1) vota praedicta cessent eo die quo Religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur; - 2) perdurante militari servitio alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate suorum Superiorum, qui de eo curam habere debent forma praescripta Decreto « Inter reliquas », nn. IV et V. Attamen, ad normam can. 637, alumnus potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in Archivo Ordinis vel Instituti servetur. Religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare; - 3) ad praecavendam autem dubitationem omnem circa professiones, quae forte post promulgationem Codicis bona fide emisae sunt contra praescriptum Decreti « Inter reliquas », Sacra Congregatio facultates tribuit Superioribus eas sanandi, dummodo accedat consensus Religiosi, in scriptis declarandus ac in Archivis servandus.

... Sanctitas Sua (Bened. PP. XV) praedicta omnia approbavit et publici iuris fieri mandavit » [1].

Eidem Sacrae Congr^i^. propositum fuit sequens dubium circa praeinsertam Declarationem quoad Decretum « Inter reliquas »: « Utrum in Congregationibus seu Institutis Religiosis, in quibus ex Constitutionum praescripto post Novitiatum vota annualia emittuntur, Alumni servitio militari adstricti, absoluto Novitiatu, admitti valeant ad professiones annuales ». S. Congregatio, respondendum censuit: « Affirmative: ita tamen ut vota annualia cessent si Religiosi ad servitium militare vocentur, et eo die quo militiae effective adscripti et disciplinae militari subiecti evadant » [2].

Facultas quaedam moderata est in § 2. *Hoc tempus*, scilicet: sive triennium, sive « longius » praescriptum in § 1°., *legitimus Superior* scilicet: qui ius admittendi ad professionem perpetuam habet, de quo adest can. 543, nec in praesenti § 2° fit mentio de Capitulo aut consilio, propter quod, ad canones quod attinet, ipse solus *potest*, a) *renovata a religioso temporaria professione*, quia expleto triennii tempore vel longiori maneret sine votis, b) *prorogare*, et quia renovandam professio-

[1] 15 Jul. 1919. CO. XI, 321. — [2] 30 Nov. 1919. CO. XII, 73.

nem temporariam in singulari verbo expressit canon, videtur semel tantum hanc prorogationem fieri posse, sed maior vel minor prorogatio facienda v. gr. ad sex menses, ad annum, bene constat cum canonis littera, qui tamen prorogationem sic limitat: *non tamen ultra triennium* computandum ab expleto praecedente triennio vel longiori tempore.

Quoad illos qui simplicem professionem solemni praeviam emiserunt ante diem 19 Maii 1918, et post diem hunc solemnem professionem emittere debent, recolere oportet can. 6, 3°: « Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt, qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi »; scilicet: in hac discrepantia, uti novae leges considerandi sunt, de quibus interpretandis est canon 10. « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi in eis de praeteritis caveatur ». His memoratis, si quaeratur quomodo circa praedictos simpliciter professos sit exercenda facultas Superioribus concessa in §° 2°, in casu quo velint Superiores illis differre solemnem professionem post novi Codicis vigorem, considerare debemus simplicem regularium professionem ante diem promulgationis Codicis praefatum esse perpetuam ex parte voventis, eiusque emissionem esse quid praeteritum, attamen prorogatio post diem praedictum decernenda erit quidquam legi seu canoni 574 promulgato futurum, indeque ab eo regulandum. Idem autem est quoad iuris effectum, solemnis professionis emissionem diferre habenti vota simplicia ex parte voventis perpetua, atque vota simplicia temporaria prorogare cum renovatione similis professionis priusquam solemniter profiteatur. Dilatio ergo solemnis professionis post diem 18 Maii 1918 fieri non poterit usque ad annum vicesimum quintum, sicut in praec. iure: sed ad Codicis normam, vel usque ad vigesimum primum erit differenda, ut valeat solemnis professio ad normam can. 572 § 1 n. 1°, 573, vel « non ultra triennium » statuatur post dictam diem dilatio. Clausula vero canonis 574 § 2, « renovata a religioso temporaria professione » non habet locum in casu proposito, cum apposita fuerit unice ac necessario propter statutam in §° 1° temporariam professionem.

Oportet diligentius inspicere quisnam sit « legitimus Superior » § 2[1] cum respectu ad can. 543. Equidem in Ordinibus virorum, absdubio sunt Moderator Generalis, Superior Provincialis atque Abbas monasterii sui iuris ad normam can. 488, 8° restricti per can. 501 § 3. Idque concordat praec. iuri in Brevi « Neminem latet » [1] ubi legitur: « Poterit vero Superior generalis, ac etiam Superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum sollemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum sollemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus... » — Idem constat de Con-

[1] 19 Martii 1857.

gregationibus iuris pontificii non tantum virorum, sed mulierum quoque ad normam can. 490. Concordatque iuri praec. circa admissiones et dimissionem in const. « Conditae » Leon. XIII, § 2, n. 1. « Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum:... Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tyrones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet ».

In praedictis omnibus religionibus quisnam Superior maior exercere debeat ius admittendi ad professionem perpetuam, vel consequenter prorogandi huius emissionem, eruatur ad normam can. 543 explicatam ibidem quoad clausulam « secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones ».

Circa Congregationes iuris dioecesani quae vota perpetua habeant videtur, etiam quoad viros, ius admittendi ad illam professionem vel ipsam differendi attribuendam esse Ordinario loci in quo sita est domus religiosa, secundum verba const. « Conditae » citatae § 1 n. VII. « De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, *admittere* ». Quod naturae iuridicae similium Congregationum congruit.

Demum quoad moniales regularibus subiectas res plana est: de subiectis Ordinario loci, iste videtur « legitimus Superior », cum in canone non addatur verbum religiosus. Et ita concordat iuri praec. in Dec°. « Perpensis » aiente [1]: « Praeterea ex iustis et rationabilibus causis, de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis et Superior generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum ».

645. **De professione perpetua emittenda vel secus.** - *Canon 575. Exacto* idest: saltem « eodem recurrente die quo incepit » (can. 34, § 3, n. 5), seu etiam post momentum expleti anni aetatis 21[1]., *professionis temporariae* alterutrius dura-

[1] 3 Maii 1902, n. 4.

tionis iuxta praec. § 1m. *tempore* forsitan prorogato ad normam praec³. can. § 2. *religiosus* proprie, eo quod « vota nuncupavit in religione » (can. 488, 7°), *ad normam can. 637*, a) *vel emittat perpetuam professionem, sollemnem*, si regularis sit, *vel simplicem*, si religiosus votorum simplicium, *secundum constitutiones*, nempe: his secundum vim earum servatis, b) *vel ad saeculum redeat*, eo quod « libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest... ab emittenda professione... excludere » cum unica limitata exceptione, quam explicabimus in citato can. 637; alia vero pars can. 575 quem commentamur est: *sed etiam*, scilicet: praeter illum modum removendi sodalem a religione, ac c) *durante tempore professionis temporariae* ut supra intellecto, *potest*, sub conditione hac: *si dignus non habeatur*, hinc sufficit defectus iudicii de dignitate, quamvis positive indignus non credatur qui vota perpetua nuncupet, *dimitti a legitimo Superiore* potest *ad normam can. 647* tunc exponendam.

Explicatis per canones 573 usque ad hunc requisitis sub n. 1° § 1i et sub § 2° cans. 572, procedit Codex ad discernendam necessitatem suffragii Consilii seu Capituli, quod « admittens legitimus Superior » ad validam professionem iuxta can. 572, § 1, 2°, debet obtinere pro exercitio « iuris admittendi » ei competentis ad normam can. 543. - Propterea est additus § 2. *Suffragium Consilii seu Capituli*, prout explicata fuit disiunctiva haec in can. 543, a) *pro prima professione temporaria est deliberativum*: scilicet: « Superior contra illius votum invalide admittit ad professionem » iuxta can. 105, 1°; b) *pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici, est consultivum tantum*, scilicet: « satis est ad valide agendum ut Superior » illud suffragium exquirat ad normam eiusdem cit. can. Quod declarationi congruit (diei 7 Febr. 1862, ad 3): « Pro admissione ad vota sollemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum Conventuale (in Ord. Praed.) ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori Generali vel ab eius subdelegato standum erit resolutioni eiusdem Capituli ». - Denique adnotandum hoc in loco Codicem non meminisse professionem temporariam ultra primam vel in prorogatione, implicite itaque supponit suffragium illud non requiri canonum vi, sicut diximus in can. 574, § 2.

646. **Ritus in professione servandus.** — *Can. 576.* § 1. *In emittenda professione religiosa* quacumque *servetur praescriptus in constitutionibus ritus* quoad formulam, preces et caeremonias, nec adiungitur clausula iure irritans.

Ille ritus forsitan invenitur diversus pro simplici temporaria professione ac perpetua, solemni quoque; sed sufficit ad canonum Codicis normam, ut in temporaria professione excludantur verba quae perpetuitatem vel solemnitatem aut quid iuri vigenti contrarium exprimerent, et quamvis melius exprimeretur, ad iuris normam fieri quamlibet professionem, non est necesse, ac valeret quamvis ex ignorantia putarent tum profitens, tum Superior, ad longius tempus vel in perpetuum professionem simplicem fieri, dummodo voluntatem non habeant positivam contra ius agendi; quia in hoc casu nihil agerent, cum pacta privatorum vel voluntas nequat iuri praeiudicium generare, dum in prima ignorantiae hypothesi professio valeret ad tempus iuri conforme, quia brevius tempus in voluntate longioris temporis non est dubium contineri. Non sic quando vellet profitens aut Superior professionem recipiens hanc emitti solemnem fortassis expressam loco professionis simplicis, quia in iuris effectibus valde differunt inter se, atque id certo tenendum prouti explicatum fuit in const. « Ad universalis » Pii IX [1] his verbis: « quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota sollemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum sollemnium praescripti ».

Quoad monialium professiones scitu est utile Dec^m^. S. C. EE. et RR. in una Bononien. [2]: « Ritum seu caeremoniale in unoquoque Monasterio receptum, adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua consuetae formulae suppressis, si adsint, verbis solemnitatem exprimentibus adiiciatur novitiam nuncupare vota simplicia, iuxta Decretum a S. Congr. EE. et RR. die 3 Maii 1902 editum: professionem autem secundam (nempe: solemnem) emitti posse privatim in choro seu oratorio interiore coram communitate in manus Superiorissae, praevia approbatione Ordinarii seu Praelati regularis quoad monasteria exempta ». Explicatio sequens fuit adiecta die 15 Ian. 1903 ad II « In casu secundae professionis (solemnis) requiritur tantummodo, ut professa proferat formulam professionis adhibitis verbis solemnitatem votorum exprimentibus ».

Cum autem illa exterior sollemnitas rituum ac caeremoniarum innuat perpetuitatem status, quae bene concordabat professioni triennali ex Dec°. « Perpensis » utpote perpetuae ex parte professae, et contrarium accidat eidem professioni nunc temporaneae undequaque; necessaria fuit resolutio circa ritus in professione monialium servandos sequens: « An resolutiones

[1] 7 Febr. 1862. — [2] 28 Iul. 1902 ad I.

S. C. EE. et RR., sub die 18 Iulii 1902 ad I, et 15 Ian. 1903 ad I et II, circa modum servandum in emittenda simplici et sollemni Monialium professione post editum Decretum « Perpensis » diei 2 Maii 1902, vigeat post inductam a Codice Iuris Canonici professionem votorum temporaneorum, quae votis sollemnibus praemitti debeat ».

S. Congr. (de Religiosis), omnibus mature perpensis, respondendum censuit: Negative, et ad mentem. « Mens est ut professioni sollemni reserventur ritus illi omnes et caeremoniae quae ad perpetuitatem status referuntur; ad professionem vero temporaneam sufficit ut, ad normam canonis 574, § 1, n. 6, a legitimo Superiore secundum Constitutiones per se vel per alium recipiatur » [1].

Denique S. RR. Congr. [2] respondendum censuit: Decretum generale ab eadem S. Congr. (die 14 Aug. 1894) editum vi obligandi pollere penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes; « ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam ». Videlicet: « ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem S. RR. Congr... sequentem methodum servari posse constituit: Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Ss.mo Eucharistiae Sacramento, absoluta confessione ac verbis quae ante fidelium communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Ssmum. Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum (non necessaria ob eorum cessationem) Celebrans ad altare conversus expectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SSmum. Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est ».

647. **Adnotatio professionis.** — De professionis factae adnotatione duas continet praescriptiones § 2. *Documentum* 1° *emissae professionis* cuiuslibet ac quocumque modo exaratum, vel melius: « Superior cuiuslibet domus Novitiatus, librum habeat, in quo uniuscuiusque Novitii professio registretur » secundum Const. « Ad Regularem » Clem. VIII cit. n. 23. *a professo* propria manu *et saltem* b) *ab eo coram quo professio emissa est* recipiente ipsam c) *subscriptum*, possunt igitur duo alii testes praesentes subscribere, ac d) *servetur in tabulario religionis* ad religionis domum pertinente: adiungi autem oportet ex Const. cit. ut directiva norma: « 24. Conversus litterarum igna-

[1] 16 Jul. 1919. CO. XI, 323. — [2] 5 Iun. 1896.

rus in eorumdem testium praesentia signum Crucis propria manu apponat, et custodiatur liber in Archivio, ubi scripturae ad Conventum pertinentes reponi consueverunt ». Secundum §[i] praescriptum speciale est: II° *et insuper, si agatur de professione solemni,* a) *Superior eam excipiens* per se vel per alium ab eo delegatum, non iam admittens ad professionem, si alius a recipiente Superiore sit, b) *debet profitentis* c) *parochum baptismi de eadem* d) *certiorem reddere*, modo illi beneviso dummodo sufficienti ad certitudinem, *ad normam canonis 470*, § 2 de adnotatione huius solemnis professionis in libro baptizatorum adiungenda.

648. **Renovatio professionis temporariae.** — De professionis renovatione, quando fuit temporaria, editus est *can. 577*. § 1. *Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata*, secundum normam can. 34, n. 5° *renovationi votorum nulla interponenda est mora*, scilicet: renovatio professionis, sive propter prorogationem, sive quia prior fuit annualis, sive perpetuae emittendae, peragenda est « eodem recurrente die quo incepit », etsi ante horam emissae prioris professionis fieri queat.

§ 2. *Superioribus tamen*, quibus competit ius admittendi ad professionem ad normam can. 543, *facultas est* vi huius canonis a) *ex iuxta causa*, non pro libitu, *permittendi* b) *ut renovatio votorum* c) *temporariorum*, non vero perpetuorum, nam de horum emissione vigent contraria praescripta can. 572, § 2, 574, § 1, *per aliquod tempus*, d) *non tamen ultra mensem*, idest: iuxta can. 32, § 2, 34, § 3°, nn. 1°, 5°, non ultra mensis praecedentis diem eiusdem numeri ac dies in quo renovanda esset professio *anticipetur* haec renovanda secundum §[m] 1[m].

CAN. 578. - Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574:

1° Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent;

2° Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed, ubi viget chori obligatio, divini offici recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant;

3° Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione.

CAN. 579. - Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnis, si sint irritabiles, etiam invalidos.

CAN. 580. - § 1. Quilibet professus

a votis simplicibus, sive perpetuis, sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt.

§ 2. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit.

§ 3. Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac dispositio, habere vim desinit.

CAN. 581. - § 1. Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare.

§ 2. Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

CAN. 582. - Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari.

1° In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones;

2° In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem.

CAN. 583. - Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet:

1° Per actum inter vivos dominium bonorum suorum, titulo gratioso abdicare;

2° Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, localis.

CAN. 584. - Post annum ab emissa qualibet professione religiosa, vacant beneficia paroecialia; post triennium cetera.

CAN. 585. - Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim

CAN. 586. - § 1. Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.

§ 2. Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus.

§ 3. Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur.

649. **Iura et obligationes professorum ante professionem perpetuam.** — *Can. 578. Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574*, quae scilicet votis perpetuis praemittenda sunt, ac forsitan ex prorogatione:

1° *Fruuntur iisdem* undequaque a) *indulgentiis* antonomastice dictis, quas moderatur cap. V (tit. IV, Lib. III), b) *privilegiis* de quibus infra (cap. II, Tit. XIII), c) *et spiritualibus gratiis*, quae videlicet animam directe respiciunt, *quibus* omnibus praefatis gaudent a) *professi a votis sollemnibus* sive viri sive

moniales in Ordinibus, non aliter ae declaratum fuit in iure praec., b) *aut professi a votis simplicibus perpetuis* tum in Congregationibus quibuslibet, tum in monialium monasteriis, ubi sollemnia vota non emittuntur ab eis; d) *et si morte praeveniantur* ante tempus professionis perpetuae emittendae, *ad eadem* quae antedictis perpetuo professis debentur *suffragia ius habent*. Porro « eadem suffragia » intelligenda sunt sicuti declaratum fuit ad eandem clausulam can. 567, §. 1.

Quae clausula fuit elucidata iuxta declarationem illam sic confirmatam per Commiss. Pontificiam ad Codicis canones auth. interpretandos: « 8. Utrum, ad normam can. 567, §. 1. et can. 578, n. 1, novitii et professi a votis temporaneis, si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede. - Resp. Affirmative et ad mentem » ibidem adnexam ac transeuntis utilitatis. [1].

Hucusque de praedictorum iuribus; sequitur de obligationibus eorumdem. - 2° *Eadem obligatione* a) *tenentur* sub culpa gravi aut levi vel sub poena *observandi regulas et constitutiones* in can. 489 declaratas, proinde quoad illas communes non differunt a perpetuo professis, *sed, ubi viget chori obligatio*, quoad istam nec differunt, solum b) *divini officii privatim recitandi lege* ecclesiastica ad normam can. 610, § 3 *non obstringuntur, nisi* a) *sint in sacris constituti* propter can. 135, b) *aut aliud constitutiones expresse praescribant*, quia ut tales observandae ac prout iubeant.

De aliquo speciali iure sequitur 3° *Voce activa et passiva carent* ex regula generali et absoluta, a) *nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur*, quamvis implicite in earum clausulis, et in mensura qua caveatur; b) *tempus autem praescriptum* in constitutionibus ipsis *ad fruendum voce activa et passiva, silentibus* tamen quoad hoc *constitutionibus*, ex interpretatione per hunc canonem praescripta *computetur a prima professione*. Constitutiones igitur huic canoni sub num. 2° et 3° contrariae vigent.

650. **Votorum effectus.** — Distinctionem quoad iuris effectus inter vota publica simplex ac solemne tradit *can. 579. Sim-*

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 477.

plex professio, qua status religiosus in religione assumitur, *temporaria sit vel perpetua* nihil refert, habet hunc effectum: *actus* a) *votis* paupertatis, castitatis et obedientiae *contrarios reddit illicitos* graviter, aut, quando est possibilis materiae parvitas, leviter contra virtutem religionis ad normam can. 1307, § 1 [1], *sed non invalidos* iure, salva exceptione: *nisi aliud expresse cautum fuerit* legitime ut privilegium pro aliqua religione; b) *professio autem sollemnis* absque exceptione proprium sibi consequitur effectum quoad actus votis ut supra oppositos: *si sint irritabiles*, v. gr. matrimonium, contractus, obligatio externe assumpta vel votum privatum cum inobedientia [2] *etiam invalidos* ipso iure reddit, praeterquam illicitos, ut prius dictum est.

651. **Effectus voti simplicis paupertatis.** — *Can. 580*. § 1. *Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis* etiam in Ordine aliquo, nihil differt, sed *nisi aliud in constitutionibus cautum sit*, quod ut exceptio canonis huius ab eodem confirmatur, alias *conservat* a) *proprietatem*, seu ut aiunt dominium radicale *bonorum suorum* quae actu habeat, b) *et capacitatem* iuridicam *alia bona acquirendi* sibiipsi, v. gr. hereditate, legato, contractu, sicut in iure praec. Codicem, c) *salvis quae in can. 569 praescripta sunt* de omnium horum bonorum tum cessione quoad administrationem, tum dispositione quoad usum et usumfructum, prout ibidem fuit expositum.

Acquirendi capacitas declarata limitationem subit ex § 2. *Quidquid autem* a) *industria sua* scilicet: propriis actibus naturalibus, industrialibus, aut artis, b) *vel intuitu religionis* v. gr. ex ministerii sacri exercitio, ex donatione non facta propter personam, ob religiosum munus, etc. *acquirit*, *religioni acquirit* equidem regulariter domui ad quam pertinet (nisi aliud constet), provinciae, religioni ut tali, prout sit in Constitutionibus definitum. - Circa bona vero acquisita post professionem de quibus can. 569 servandus est vi praec. § 1., facultatem professo recognoscit limitatam § 3. *Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569*, § 2, non illas ante professionem perac-

[1] Can. 1307. § 1. Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

[2] Can 1392, § 1. Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

tas vi eiusdem can. § 1°., *professus mutare potest* a) *non quidem proprio arbitrio* tantum, salvo: *nisi constitutiones id sinant*, quia tunc secundum earum professionem hic canon contrarium permittit, prout illae siverint, b) *sed* aliter *de supremi Moderatoris licentia*, etiam pro sororibus iuris pontificii, nec sufficeret Superioris provincialis venia, *aut*, *si de monialibus agatur*, in quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°., c) *de licentia Ordinarii loci* ubi monasterium situm est, imo *et*, sub conditione: *si monasterium regularibus obnoxium sit* de facto, simul cum venia d) *Superioris regularis* monasterii eiusdem, quamvis maior Superior non sit; atque subiungitur cuiuslibet permissae limitatae mutationis conditio haec servanda: *dummodo mutatio*, *saltem* a) *de notabili bonorum parte*, si notabilis pars non fuerit, toleratur huius conditioni oppositum, b) *non fiat in favorem religionis*, quae prohibitio non fuit statuta pro cessione atque dispositione peragendis ante professionem vel post professionem ad normam can. 569, §§ 1 et 2, sicut ibidem dictum ac interpretatum est. Et quia in can. ultimo cit°. statuitur cessionem ac dispositionem duraturas « ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur » professus, consequens est quod subiungitur: clausulam illam intelligendam quoque de cessione ac dispositione post mutationem ipsarum praefatam: videlicet: *per discessum autem a religione* voluntarium, forsan cum interventu S. Sedis, vel legitime iniunctum ad normam can. 637, 647, 648, *eiusmodi* idest: post mutationem *cessio ac dispositio habere vim desinit*. Et ratio patet.

652. **Renunciatio praevia solemni professioni.** — *Can. 581*. § 1. *Professus a votis simplicibus*, iuxta dicenda in Ordine solummodo; tam vir, quam monialis sed stricto sensu ad normam canonis 488, 7°., *antea* a) *nequit valide*, scilicet: ante designandum statim tempus; hoc est: *sed* b) *intra sexaginta dies* supputandos ad normam can. 32, § 1°. *ante professionem sollemnem*, c) *salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis* contra sequens praescriptum pro aliqua persona vel Ordine, d) *debet* ex can^s. praescripto *omnibus bonis quae actu habet* propria, quamvis debita sibi ac nondum recepta, non illa quae in spe erunt sua, v. gr. iura propter testamentum, quod vim non exerit, vivente testatore, e) *cui maluerit* pro libito, servata quidem obligatione aliunde exorta, f) *sub conditione* saltem tacita

secuturae professionis, non aliter *renuntiare*. Atque propter omissionem abrogata est clausula « cum licentia Episcopi sive eius vicarii » inserta cap. 16, sess. XXV de regularibus et monialibus Conc. Trid., unde hic canon derivatur.

Ad huius renunciationis firmitatem ordinatur § 2. *Secuta professione, ea omnia statim fiant*, qualibet negligentia postposita, *quae necessaria sunt ut renunciatio* a) *etiam iure civili* diverso quidem pro personae natione ac bonorum qualitate ac situ, atque servando, b) *effectum consequatur*. Hinc est praecavendum de ipsa renunciatione ante professionem facienda, ut sit eiusmodi, quae a praedictis civilibus legibus admittatur.

653. **Effectus voti solemnis paupertatis.** — Sic abdicata proprietate, restat considerare quid de bonis statuatur, quae solemniter professo in futurum, acquirenda essent testamento aliove modo. Hanc necessitatem satisfacit *can. 582. Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis*, nempe: quae contra canonis huius praescriptum quibuslibet Ordinibus vel regularibus fuerint concessa, *omnia bona quae quovis modo* v. gr. proprio labore, ex aliorum donatione, aut legitima successione, etc. *obveniunt regulari* aut ad normam can. 490 moniali sensu stricto iuxta can. 488, 7°. - 1°. *In Ordine capaci possidendi* ad normam can. 531, *cedunt Ordini* intelligendo ut est persona moralis a sequentibus diversa, *vel provinciae* qua tali, *vel domui*, uni vero aut alii *secundum constitutiones*, quibus hoc determinandum remittitur. - 2° *In ordine incapaci*, supple: possidendi bona temporalia, quia eius « capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur » ad normam can. 531, *acquiruntur* bona (de quibus loquitur in principio can. 582, quem commentamur) *Sanctae Sedi in proprietatem*. Quoad usum vero ac usumfructum et administrationem eorum bonorum consulendae uniuscuiusque horum Ordinum leges.

654. **Abdicatio bonorum in Congregationibus.** — Cum abdicatione proprietatis in sollemni professione logicam connexionem habet quaestio de peculiari voluntaria bonorum alienatione, quorum dominium professus a votis simplicibus retinet, ut dicitur in can. 580. De his professis in Ordine opportune fuit statutum in can. 581. § 1, de aliis autem sic professis agit *can. 583. Professis a votis simplicibus* temporariis vel perpetuis

in Congregationibus religiosis quibuscumque, ac etiam monialibus lato sensu (can. 488. 7°.). quarum domus religiosae, utpote independentes et in qua vota simplicia dumtaxat emittuntur. non incongrue per hunc canonem 583 regendae sunt, deficiente alia norma sub qua in hac materia magis apte comprehendantur; praedictis ergo professis *non licet:* sed actus in contrarium positi essent validi ad normam can. 11, cum nullitas actus vel professi inhabilitas nec in hoc nec in altero canone statuatur; ac etiamsi iudicarentur esse contra paupertatis votum tales actus nondum essent invalidi ad normam canon. 579. - Illis ergo non licet: 1° *Per actum* qui effectum sortiatur *inter* contrahentes adhuc *vivos*, (ergo « licet » per testamentum. codicillum, donationem mortis causa efficaces), a) *dominium bonorum suorum* « quod conservant » ex can. 580. § 1. b) *titulo gratioso abdicare* v. gr. donatione, debiti remissione, licet autem plane titulo seu contractu alteri contrahenti oneroso: - 2° *Testamentum* a) *conditum* ex obligatione *ad normam can. 569. § 3* ibidem declaratam, et monialium lato sensu domos afficientem ex rationis paritate. a) *mutare* c) *sine licentia S. Sedis*, sed « licet », dispositione testamentaria priore servata, per novum testamentum aut eiusdem codicillum disponere de bonis, quae insperato obveniant eisdem professis. *vel.* sub conditionibus I° *si res urgeat* ac simul II° *nec tempus suppetat ad eam recurrendi*, quae secunda poterit deficere conditio. quamvis locum habeat prima. v. gr. Romae vel in loco ab ea non valde remoto, « mutare illud testamentum non licet » *sine licentia* a) *Superioris maioris aut*, ampliatur concessio canonis sub conditione, III° *si nec ille* supple: maior Superior *adiri possit* nequidem per litteras. « sine licentia Superioris » b) *localis*.

655. **Vacatio beneficiorum.** — De beneficiis forsan possessis a quolibet profitente religionem quamcumque statuit *can. 584*. *Post annum ab emissa qualibet professione religiosa*, supputandum ad normam can. 34. § 3°., n. 3°., *vacant* « ipso facto et sine ulla declaratione » (can. 186. 1°) a) *beneficia paroecialia*. et quaenam sint talia deprehendendum erit ex applicatione canon. 1409-1411, 5°.; *post triennium* ab eadem professione ac pari modo supputandum b) *cetera beneficia*, secundum normam can. 1412, nempe: horum nomine non veniunt, quae ibidem recensita aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferunt. Haec

enim sicuti quaelibet officia proprie dicta praefato modo ac statim « vacant, si clericus professionem religiosam emiserit » (can. 188, 1°).

656. **Amissio dioecesis propriae** est ultimus effectus religiosae professionis hoc in titulo recensitus. *Can. 585. Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus* (minime ante hanc professionem) *amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim* sive ad normam can. 93. § 1, si laicus religionem ingressus est, sive iuxta can. 111. § 2 et seq^m. si religionem ingrediens fuerit clericus.

657. **Convalidatio professionis irritae.** — *Can. 586.* § 1. *Professio religiosa* sive simplex temporaria vel perpetua sive solemnis *irrita ob impedimentum* quoad vim « professionis » iuridicam, sive ex parte profitentis se habeat, sive ex parte admittentium, sive ex parte actus, vel requisitorum praevie, atque *externum* proprie etsi occultum a) *non convalescit per subsequentes* quoslibet *actus*, norma haec comprehendenda sub reg. Iur. 18 in 6°. « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit », b) *sed opus est* alterutrum, vel b) *ut a Sede Apostolica sanetur* per ablationem impedimenti, forsitan cum retroactivo effectu, ac illius, qui irrite professus est, manente sanando consensu, et hic est unus convalidandi professionem modus; alter vero est: c) *vel denuo*, sub conditionibus iure saltem necessariis: I° *cognita* omnino *nullitate* praedicta, *II° et impedimento* saltem per dispensationem *sublato*, quod fuit causa nullitatis, III° *legitime* scilicet: servatis ss. canonibus *emittatur* professio religiosa de cuius nullitate agatur.

§ 2. *Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum*, paragraphus igitur non respicit nullitatem ob illum defectum externum etsi occultum (quo in casu ex § 1°, per alteram professionis emissionem esset providendum), a) *hoc consensu valide praestito*, quamvis solum interne, *convalescit* professio illa: conditio autem omnino necessaria est: b) *dummodo ex parte religionis consensus*, quo admisit ad professionem atque acceptavit professionem, *non fuerit revocatus* quomodolibet.

§ 3. *Si contra validitatem professionis religiosae* cuiuscumque I° *gravia sint argumenta*, quae eam reddunt dubiam, nam in casu certitudinis posset procedi ad normam canonum « de

actionibus ob nullitatem actorum » (Cap. III, Tit. V. Lib. IV), II° *et religiosus renuat* positive *ad cautelam*, quod supponit illam professionem esse solum dubie invalidam, a) *sive professionem renovare* b) *sive eiusdem sanationem petere*, alterutrum ad convalidandam professionem ad normam § 1. forsan necessarium, hypothesi totius paragraphi bimembri eveniente, *res ad Sedem Apostolicam deferatur*. Est praescriptum, quod urget Superiores, sed in eorum negligentia quilibet dummodo eiusdem religionis professus idipsum saltem potest.

TITULUS XII.

De ratione studiorum in religionibus clericalibus.

CAN. 587. - § 1. Quaelibet clericalis religio habeat studiorum sedes a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas, firmo praescripto can. 554, § 3.

§ 2. In studiorum domo vigeat perfecta vita communis; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt.

§ 3. Si religio aut provincia studiorum domos rite instructas habere nequeat, aut si quas habet, adire, Superiorum iudicio, difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum athenaeum.

§ 4. Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquot institutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit.

CAN. 588. - § 1. Toto studiorum curriculo religiosi committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus.

§ 2. Praefectus vel Magister spiritus iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur ad normam can. 559, §§ 2, 3.

§ 3. Superiores vero sedulo invigilent ut ea quae can. 595 pro omnibus religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.

CAN. 589. - § 1. Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366, § 2 diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis.

§ 2. Studiorum tempore magistris et alumnis officia ne imponantur quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impediant; supremus autem Moderator et in casibus particularibus alii quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur.

CAN. 590. - Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curricu-

lum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.

CAN. 591. - In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur.

658. **Inscripto tituli ac ordo canonum.** — Sequitur consequenter, ut supra dictum est, *Titulus II. De ratione* idest: dispositione servanda *studiorum*, quibus vacandum est *in religionibus clericalibus* definitis in can. 488, n. 4°. - Can. 587 designat domos inhabitandas a religiosis studentibus, de ipsorum spirituali ac regulari regimine tractat can. 588, sicut subsequens can. 589 curat eorum intellectualem seu scientificam formationem, pro cuius conservatione duo alii posteriores canones sunt conditi.

659. **Domus et scholae studentium.** — *Can. 587.* § 1. *Quaelibet* quamvis iuris dioecesani *clericalis religio* (can. 488, n. 4°) *habeat* ex huius canonis praescripto a) *studiorum sedes* seu domum religiosam unam vel plures *a Capitulo generali vel a Superioribus* per illud aut constitutiones designandis b) *approbatas* in hunc scopum, c) *firmo praescripto can. 554*, § *3°* ibi explicato de non collocandis in ea domo, « nisi religiosis qui sint ad exemplum regularis observantiae studio ».

Additur specialis pro his domibus iussio: § 2. *In studiorum domo* qualibet sub § 1° *vigeat perfecta vita communis*: sic intellecta in S. C. EE. et RR. decr. [1]. « Si dovrà richiamare nelle case di professorio, di educazione e di studio, la perfetta osservanza delle costituzioni del rispettivo istituto sulla povertà.

In qualunque casa si stabilirà la cassa comune colle consuete cautele, in cui tutti i religiosi non ostante qualunque privilegio dovranno fare il deposito dei denari, non potendo ritenere presso di loro più di quello, che permettono le rispettive costituzioni ». - Explicit paragraphus addens prohibitionem illi conditionis defectui subsequentem: *secus* scilicet: non vigente in domo perfecta vita communi praedicta, *studentes* religiosi eius *ad ordines* quoscumque « et ipsam primam tonsuram » (canon 950), *promoveri nequeunt* ob huius §[i] vetitum, quod trans-

[1] 22 Aprilis 1851, n. 2. 3.

grediuntur Superiores, qui dimissoriales litteras darent, ac Episcopi ordinantes.

§ 3. *Si* a) *religio aut* b) *provincia*, unaquaeque igitur harum potest habere *studiorum domos rite instructas* quoad ipsas scholas, studium et professores, quas si *habere nequeat*, et est prima hypothesis, cui sequitur secunda: *aut si quas habet, adire* studiorum perficiendorum causa, a) *Superiorum* ad quos competat *iudicio*, religiosis studentibus eorumve domibus ubi de familia inveniuntur *difficile sit*, v. gr. ob sustinendas expensas, quibus impares sunt earum vires, in alterutra hypothesi *religiosi alumni mittantur* uni ex tribus sequentibus scholis pro libitu Superiorum: I° *vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius* b) *provinciae aut* a) *religionis* respective ad paragraphi initium, II° *vel ad scholas Seminarii episcopalis*, III° *vel ad publicum catholicum athenaeum* disciplinarum illis congruentium, quocumque appelletur nomine.

Patet hunc paragraphum de scholis consulere, de inhabitandis tunc domibus est sequens § 4. *Religiosis, qui* a) *studiorum causa* ad normam § praec. b) *longe a propria domo mittuntur* adeo, ut nequeant commode ad illam remeare, *non licet*, et hoc est vetitum: *in privatis domibus* quatenus hae opponuntur sequentibus *habitare*, velut hospites studentes, *sed opus est* ex relativo praescripto a) *ut in aliquam suae religionis domum se recipiant*, etsi non destinatam studiis, b) *vel, si id fieri non possit*, atque sub hac solum conditione iniungitur disiunctive: a) *apud religiosum aliquod institutum virorum*, etsi dioecesani iuris religionem, b) *vel Seminarium* quamvis alienae dioecesis c) *aliamve piam domum* requisitis duobus praeditam, scilicet: *cui* domui *sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit*, quamvis non expresse pro studentibus, saltem quoad eiusdem pium scopum, etiamsi non fuerit societas in communi viventium sine votis.

Cum hoc canone praesertim huius § 3°, intime connectitur, quod ex veteri iure Bened. PP. XV « in suo pleno robore permanere declarat » in Decreto S. C. Consist. « Nemo de sacro clero »[1] statuente in num « 5. Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta (et supra relata in commentario ad can. 129) religiosos etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda ». Ordinationes in supradicto Decreto per Romanum Pontificem confirmatae, ac servandae a clericis tum saecularibus tum religiosis in frequentandis Gubernii Universitatibus, continentur in Instr. S. C. EE. et RR.[2] edita pro Dioecesibus et Ordini-

[1] 30 Aprilis 1918. CO X, pag. 237. — [2] 21 Julii 1896.

bus ac Congregationibus religiosis in Italia. sed de ipsa inquit Pius X in const. « Pascendi » sub die 7 septembris 1907: « eam ad nationes omnes posthac pertinere decernimus ». Et subiungit: « Clerici et Sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, imposterum ut ne fiat edicimus ».

Summa illarum ordinationum sequens est: « I. Subditi clerici tum saeculares tum religiosi non mittantur ad lycea Gubernii sed ad Instituta vel Collegia, ubi constet catholicam esse doctrinam. Si aliter fieri necesse sit, tunc observandae sunt etiam normae sequentes. - II. Nullus e clero saeculari frequentare potest scholas Gubernii, absque expressa licentia proprii Episcopi, qui prae oculis habeat solum dioecesis necessitatem. - III. Ordines et Congregationes religiosae non exercentes munus docendi non mittant iuvenes praefatis scholis, nec etiam aliae Congregationes novitios suos; professos vero tantum de licentia expressa Generalis, qui concedat solum pro necessitate et sufficientia collegiorum et scholarum proprii Instituti. - IV. Legitime missi frequentent illos tantum cursus qui sint necessarii pro gradu academico quo indigent obtinendo. - V. Licentia non concedatur iuvenibus, nisi laudabiliter perfecerint curriculum philosophicum et theologicum ». - Sequentes numeri usque ad finem Instructionis - Decreti praescribunt et consiliantur Episcopis ac Superioribus religiosis huiusmodi studentium optimas normas in bonum ipsorum ibidem legendas.

660. **De Praefecto studentium.** — *Can. 588*. § 1. *Toto studiorum* per plures annos ad normam can. seq^s. *curriculo religiosi* studentes *committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus* sic vocati ratione muneris cui incumbit, scilicet: *qui eorum animos ad vitam religiosam informet* prosequens Magistri novitiorum laborem *opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus*, proinde paterno more absque potestate in eos vi huius canonis. Qui fortassis iam extat constitutus sub nomine Praefecti aut Magistri professorum. De loco domus studiorum pro eis studentibus segregato ad instar loci pro Novitiis praescripti in can. 564 omnino silet Codex, abrogata proinde praecedentis iuris norma de hac re in const. « Cum ad regularem » [1]. - Econtra servatur ius vetus expressum in sequenti canonis § 2. *Praefectus vel Magister spiritus* de quo in praec. §° *iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur ad normam can. 559*, §§ *2 et 3* ibidem explicatam.

Semper eo consilio, ut bonum promoveatur studentium religiosorum, prosequitur canon in § 3. *Superiores vero*, etiam localis domus studiorum, *sedulo invigilent ut ea quae can. 595* postea interpretando a) *pro omnibus religiosis praescribuntur*,

[1] 19 Martii 1603, § 20.

loquutione in Superiores directa, quod bene animadvertatur, b) *in studiorum domo perfectissime observentur*, utpote in eis praecipui momenti.

661. **Studiorum cursus, modus et assiduitas.** — *Can. 589.* § 1. *Religiosi* a) *in inferioribus disciplinis* elementaribus ac humaniorum litterarum *rite instructi* pro diversitate regionum, omissis accuratioribus circumstantiis expressis in Declar^s^. S. C. de Religiosis [1], b) *in philosophiae studia saltem per biennium*, quod curriculi tempus sufficit ad legem ecclesiasticam quod attinet, c) *et sacrae theologiae saltem per quadriennium*, atque hoc tempus necessarium est iure: doctrinae vero qualitas designatur sic: d) *doctrinae Divi Thomae* Angelici Doctoris *inhaerentes ad normam can. 1366.* § 2 ibidem explicandam, scilicet: « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte (professores) teneant », religiosi studentes in huiusmodi studia e) *diligenter incumbant* per assiduam scholarum frequentiam et privatum studium, f) *secundum instructiones Apostolicae Sedis* vel datas, sicut in Dec°. cit°. ad I et III, vel in futurum vigentes. Videlicet: « Ad I... quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita, v. gr. si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa. Et ad III... complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est ».

In studiorum diligentiorum praesidium ad normam iuris praecedentis in dec°. Clem. VIII « Cum ad regularem » [2], fertur § 2. *Studiorum tempore* a) *magistris*, seu professoribus extra vacationes, b) *et alumnis*, carriculo biennii et quadriennii durante, *officia ne imponantur* (ergo est Superiorum) obligatio non iniungendi officia « alicuius exterioris obedientiae » v. gr. praedicatoris, confessarii, Syndici, et a fortiori officia sensu stricto, et breviori formula: huiusmodi a) *quae a studio eos avocent* per necessariam virium distractionem b) *vel scholam* habendam frequentandamque *quoquo modo impediant:* eadem

[1] 7 Sept. 1909.
[2] 19 Martii 1603, n. 28

que de causa sequitur in canone: *supremus autem Moderator* aliquem praedictorum etiam habitualiter, imo quosdam per generalem ordinationem, a) *et in casibus particularibus* scilicet: quemdam vel aliquos et ad tempus b) *alii quoque Superiores* provinciales ac locales *possunt pro sua prudentia eos* videlicet: magistros et alumnos ut supra, *a nonnullis* a) *communitatis actibus*, regularis nempe observantiae, b) *etiam a choro* frequentando eiusque vel altaris servitio c) *praesertim nocturnis horis* sed interdiu quoque *eximere*, hoc tamen respectu prae oculis habito, d) *quoties id studiis excolendis necessarium videatur*, quod ab ipsis iudicari oportet, v. gr. tempore quoque vacationum ad reficiendas vires. Sic moderata est concessio Clem. VIII in const. incipiente [1]: « Nullus omnino, praetextu cuiuscumque privilegii, vel superioritatis, etiam generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem et praedicatoribus superiores (iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit) dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis. In eos vero qui negligentes aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant, ad praescriptum regulae et constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione ».

662. **Examina perdurante quinquennio post studia** — *Canon 590. Religiosi* sed *sacerdotes* omnes in religione clericali propter inscriptionem tituli et ipsius canonum contextum, *iis tantum exceptis* tamquam ab homine, I° *qui a Superioribus maioribus* ad quos ex iure defertur haec potestas, et recolendum praescriptum can. 501, § 3 de Abbate Primate et Superiore Congregationis monasticae, tamen *gravem ob causam* ab eis iudicandam *fuerint exempti* pro casu vel habitualiter vel per generalem concessionem, aut exceptis quoque sed per hunc canonem: II° *qui* a) *vel sacram theologiam*, eius quamlibet partem b) *vel ius canonicum*, quamvis tradant ipsius Institutiones, c) *vel philosophiam scholasticam doceant*, ubinam quidem non determinatur, nec proinde quidquam refert haec circumstantia; ceteri ergo non excepti a) *post absolutum studiorum curriculum* quadriennii theologici ad minus, b) *quotannis*, prosequen-

[1] 25 Iun. 1599, § 1.

da obligatione c) *saltem per quinquennium*, unde ultra quinque annos per constitutiones vel ordinationes praescribi potest, I° *a doctis gravibusque patribus*, II° *examinentur*, III° *in variis doctrinae sacrae disciplinis* duobus saltem v. gr. theologiae dogmaticae, moralis, asceticae, mysticae, iuris canonici, sacrae scripturae exegesis, introductionis, historiae ecclesiasticae, etc. IV° *antea opportune* quoad temporis praevium spatium *designatis*. Et hoc praescriptum est simile alteri pro clericis dato in can. 130, eoque gravius quoad durationem iniunctionis.

Propter eadem verba « vel sacram theologiam vel ius canonicum... doceant » adhibita hic et in can. 421, §. 1, 1°, ad praesentem canonem rite ampliatur authentica illorum verborum interpretatio ad cit. canonem relata.

Huc pertinet ex supra citato ad can. 587 Decreto S. Congr. Consist. [1] num. « 3. Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur Sacerdotes, (eo quod « Sacerdotio aucti » debent esse ex n. 1), si novensiles sunt, ab examinibus quae in can. 130 (pro saecularibus) et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129 ».

663. **Solutio casus moralis ac liturgici frequentanda.** — *Can. 591. In qualibet saltem* a) *formata domo*, atque ob verbum « saltem » innuit desiderium quoad non formatas domos, b) *minimum semel in mense*, implicite verbo « minimum » in memoriam revocans praecedens ius Decreti « Nullus omnino » Clem. VIII [2] in quo scriptum est: « 2. Lectio S. Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomada praescriptis diebus in singulis conventibus habeatur, circa quam Fratres mutuo conferant » - In domibus igitur ac tempore designatis in canone c) *habeatur* ex hoc praescripto gravi *solutio* praevie propositi *casus* alius *moralis et* alterius *liturgici*, *cui* solutioni discutiendae ac elucidandae, *si Superior opportunum existimaverit*, relinquitur ergo prudenti eiusdem iudicio, a) *addi potest*, non iniungitur a lege, b) *sermo* unicus *de re dogmatica coniunctisve doctrinis* pro libitu; ac sequitur designatio interessentium casuum solutioni ac sermoni praefatis, videlicet: *et omnes clerici*, quam-

[1] 30 Apr. 1918, CO. X, 237. — [2] 25 Iun. 1599.

vis nondum sacerdotio initiati, attamen *professi, qui* I° disiunctive a) *studio sacrae theologiae operam navant* in scholastico saltem quadriennio, b) *aut illud expleverunt* II° *et in domo degunt* etsi ad tempus, sed quadam cum stabilitate; illi *assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur*, quibus proinde standum est quoad obligatos ad interessendum, dummodo canonis praescriptum maneat in praxi salvum. In domo ergo studiorum etiam debere hoc multiplex exercitium haberi praescribit implicite canon propter eiusdem secundam partem.

TITULUS XIII.

De obligationibus et privilegiis religiosorum.

CAPUT I.

De obligationibus.

CAN. 592. - Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

CAN. 593. - Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

CAN. 594. - § 1. In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent.

§ 2. Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus, acquiritur ad normam can. 580, § 2, et can. 582, n. 1, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque *tituli* in capsa communi deponantur.

§ 3. Religiosorum supellex paupertati conveniat quam professi sunt.

CAN. 595. - § 1. Curent Superiores ut omnes religiosi:

1° Quotannis spiritualibus exercitiis vacent;

2° Legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sunt, sedulo incumbant;

3° Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.

§ 2. Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.

§ 3. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.

§ 4. Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent.

CAN. 596. - Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.

Caput I. De obligationibus religiosorum[1] —

- et clericorum communibus — Can. 592
- omnium propriis — » 593
- circa paupertatis votum et praxim — » 594
- circa custodiam castitatis —
  - per actus pietatis et sacramenta — » 595
  - per habitus proprii delationem — » 596
  - per clausurae observantiam —
    - in domibus regularium —
      - virorum —
        - ac mulierum — » 597
        - propriis — » 598
        - quoad convictus illi adnexos — » 599
      - monialium quoad —
        - ingressum aliorum — » 600
        - egressum — » 601
        - modum — » 602
        - vigilantiam — » 603
    - in domibus Congregationum — » 604
  - vitando —
    - inutiles colloquutiones cum extraneis — » 605
    - egressus —
      - indisciplinatos et commorationes extra domum — » 606
      - religiosae sine socia — » 607
- quoad sacrum ministerium —
  - praestandum fidelibus — » 608
  - per paroecialem curam propriam et alienam — » 609
  - per horarum canonicarum recitationem — » 610
- circa litteras quasdam libere mittendas vel recipiendas — » 611
- peculiaris obedientiae erga locorum Ordinarios — » 612

[1] Vide canones in pagg. 655, 663, 664.

664. **Inscriptio tituli ac distributio eius in capita.** — Sequitur *Titulus XIII* inscriptus *De obligationibus* ratione status religiosi servandis, *et privilegiis* seu legibus peculiaribus eadem de causa largientibus favorem *religiosorum* quorumcumque, sive communibus omnium sive quorumdam propriis saltem quoad mensuram vel modum. - Distribuitur facile in tria Capita: primum « de obligationibus », secundum « de privilegiis », tertium « de obligationibus simul et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis ».

665. **Coordinatio canonum.** — Est igitur *Caput I. De obligationibus* communibus religiosorum; et quae sic mutuo coordinantur, ut praecedant in can. 592 quae a clericis etiam servantur, can. 593 enuntiat summarie proprias uniuscuiusque religiosi, subsequitur can. 594 circa paupertatem ex voto et iuxta constitutiones servandam, postea de spiritus oeconomia in canone 595, et de signo professionis patenter deferendo est can. 596, de clausura vero, colloquutorio religiosorum, et egressu eorum e domo loquuntur can. 597-605, 606 ac 607, de sacro eorum ministerio erga fideles Ordinario loci subditos sunt duo canones, ac alius de chori obligatione, nempe: can. 608-610, duo denique postremi de quadam epistolari ac libera communicatione atque de subiectione ad quasdam Ordinarii loci praescriptiones; videlicet: can. 611-612.

666. **Obligationes communes religiosorum cum clericis.** — *Can. 592. Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142*, scilicet: omnibus illius Tituli III Partis primae huius Libri praeter duos postremos, *etiam religiosi omnes tenentur* ac singuli qua tales, cuiuscumque proinde religionis; scilicet: de sanctiore atque exemplari vita ducenda (can. 124), de reverentia et obedientia specialiter exhibendis suo quisque Ordinario (can. 127), de doctrina sectanda et studiis non intermittendis a religiosis viris recepto sacerdotio (can. 129), de prohibitionibus servandis omnibus can. 138-142; sequuntur exceptiones in can. 592 quem commentamur: *nisi* 1° *ex contextu sermonis*, v. gr. in quibus legislator de Ordinariis locorum loquitur (can. 125, 130, 131, 137), vel statuitur expresse de clericis propter ordines susceptos (can. 126, 132), *vel* 2° *ex rei natura aliud constet* v. gr. de munere ob Ecclesiae necessitatem suscipiendo ab Episcopo commisso (can. 128) et in aliis praeter

hucusque citatos. Adnotetur autem 1° inter exceptos canones inveniri quoque obligationes potiori ratione per religiosos adimplendas, sed in hoc Titulo de obligationibus religiosorum quoad illas sunt conditi canones; et 2° religiosos, qui vere clerici sunt propter tonsuram aut alios receptos ordines, quibusdam inter exceptas clericorum obligationes illa de causa etiam ligari.

667. **Religiosorum qua talium communes.** — *Can. 593. Omnes et singuli religiosi*, qua physicae personae ac ex motivo professae religionis uniuscuiusque, et proinde *Superiores aeque ac subditi* etiam sub diversa talium qualitate respicienda in peculiaribus constitutionibus, *debent*, confirmata per canonem conscientiae obligatione, *non solum I° quae nuncuparunt vota* « obedientiae, castitatis et paupertatis » ad normam can. 487, a) *fideliter* iuxta emissae professionis formulam, b) *integreque* tum quoad internos actus cogitationum et affectuum tum quoad externos verborum et operum vitandos aut exercendos, tum etiam quoad temporis diuturnitatem vel usque ad mortem, secundum eorum promissionem servare, *sed etiam* II° *secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere* cum diversa morali obligatione secundum professionis formulam, quod sic explicat D. Th. [1]: « ille qui *profitetur regulam*, non vovet servare omnia quae sunt in regula; sed vovet regularem vitam, quae essentialiter consistit in tribus praedictis (scilicet: paupertate, continentia et obedientia). Unde et in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, sed *vivere secundum regulam*, id est, tendere ad hoc ut aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar: et hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem religionibus adhuc cautius profitentur *obedientiam secundum regulam;* ita quod professioni non contrariatur nisi id quod est contra praeceptum regulae, transgressio vero vel omissio aliorum obligat solum ad peccatum veniale; quia (sicut dictum est ab Angelico Doct. in alio art°.) huiusmodi dispositiones sunt ad principalia vota. Peccatum autem veniale est dispositio ad mortale (ut supra dictum est in alio art°.)... inquantum impedit ea quibus aliquis disponitur ad observanda praecepta legis Chisti, quae sunt praecepta charitatis. In aliqua tamen religione, scili-

[1] 2a 2ae q. CLXXXVI art. IX ad 1m.

cet ordinis Fratrum Praedicatorum, transgressio talis vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solum ad poenam taxatam sustinendam, quia per hunc modum ad talia observanda obligantur; qui tamen possent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia vel libidine, seu contemptu ». Tamen notandum est ex resp. ad 3m « quod tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi legis vel regulae, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam; quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa; etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simili peccatum iteret, sicut et Augustinus dicit, quod '' non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiae ,,. Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum, secundum illud (Proverb. XVIII, 3): « Impius, cum in profundum venerit peccatorum contemnit ». - In canone sequitur III° *atque ita* scilicet: secundum regulas et constitutiones propriae religionis, non aliis mediis, *ad perfectionem sui status contendere*. Rationem huius clausulae, et qualis sit haec perfectio, et quo modo intelligatur verbum « contendere », vidimus ex D. Thomae doctrina in can. 487.

Ad cognoscendum summarie quando religiosus peccet graviter ob transgressionem obligationis triplicis in canone complexae, optime deservit responsio D. Thomae in art. antea citato: « Respondeo dicendum quod in regula (seu constitutionibus religiosorum) continetur aliquid dupliciter, sicut ex dictis (in aliis arts.) patet: uno modo sicut finis regulae, puta ea quae pertinent ad actus virtutum: et horum transgressio, quantum ad ea quae cadunt communiter (scilicet: pro omnibus fidelibus) sub praecepto, obligat ad mortale (supposita sufficienti materia); quantum vero ad ea quae excedunt communiter necessitatem praecepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum: quia sicut supra dictum est (in art. 2 eiusdem quaests.), religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus». Hucusque circa canonis clausulam «atque ita ad perfectionem sui status contendere ». Quoad vota servanda, et « secundum regulas et constitutiones vitam » componendam, sequitur in art°. « Alio modo continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores observantiae; inter quas sunt quaedam ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria praedicta, scilicet paupertatem, continentiam, et obedientiam; alia vero omnia ad haec ordinantur. Et ideo transgressio horum trium obligat ad mortale; aliorum autem transgressio non obligat ad mortale: nisi vel propter contemptum regulae (supra explicatum), quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem

vitam (seu ut dicitur in canone: « secundum regulas vitam componere »), vel propter praeceptum (de contentis saltem implicite in regula) sive oretenus a praelato factum, sive in regula expressum; quia hoc esset facere contra obedientiae votum ».

668. **Obligatio vitae communis.** — Conc. Trid. [1] ait: « Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum, ad solos officiales eorumdem ad nutum superiorum amovibiles pertineat ». Hoc decretum translatum est cum extensione ad omnes religiones in *can. 594. § 1. In quavis religione* a) *vita communis accurate* b) *ab omnibus servetur* c) *etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent.* Huius §[i] explicationem nobis offert optimam Clem. VIII in sua Const. « Nullus omnino » saepius citata: « 8. Fratrum vestitus et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et tam in Fratribus, quam in quibuscumque Superioribus omnino uniformis sit. 9. Quaecumque Fratrum vestes, sive laneae sive lineae, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur; ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint. 10. Omnes, etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio in communi mensa vescantur; nec singuli aliquid privatim habeant ».

Huic vitae communi conservandae obsequitur § 2. *Quidquid a religiosis, etiam a Superioribus*, propter ipsorum paupertatis votum, *acquiritur ad normam can. 580, § 2*, scilicet: « industria sua vel intuitu religionis » post simplicia vota emissa, *et can. 582, n. 1*, scilicet: « post solemnem professionem... quae quovis modo obveniunt regulari, in ordine capaci possidendi », *bonis domus, provinciae vel religionis*, quibusnam vero est determinandum ex constitutionibus, quae forsitan de diversis bonis varie statuant, *admisceatur*, specialiter autem praescribitur: *et* a) *pecunia quaelibet* b) *omnesque tituli* fructiferi *in capsa communi* scilicet: nunc instituenda et custodienda secundum constitutiones, quatenus nihil in Codice cavetur, *deponantur.*

[1] Cap. 2, sess. XXV de regularibus et monialibus.

Ad commentarium deserviat ex const. Clem. VIII n. 3. « Nullus, etiam Superior, bona immobilia vel mobilia, pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, sive pro missis celebrandis, aliove iusto labore et causa acquirantur, (quoad sequentia est intelligendum de regularibus solemniter professis tantum) etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tam proprio, quam etiam nomine Conventus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, et Conventui incorporentur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari valeat ».

Denique § 3. *Religiosorum supellex* scilicet: mobilia in usum eis concessa *paupertati conveniat quam professi sunt* scilicet: quoad eorum valorem, « nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur » iuxta Conc. Trid. in cap. II sess. XXV de regularibus.

669. **Oeconomia spiritus.** — *Can. 595.* § 1. *Curent Superiores*, sic confirmata est canonice obligatio eorum ex officio, *ut omnes religiosi* exequantur sequentes ad constitutionum normam obligationes non auctas canonica lege: - 1° *Quotannis spiritualibus exercitiis* sic dictis, eo quod specialiter ea frequentant per aliquot dies continuos, *vacent;* - 2° *Legitime* idest: causa proportionata *non impediti* a) *quotidie Sacro intersint,* b) *orationi mentali vacent, et* praeter haec duo exercitia quotidiana pro quacumque religione, c) *in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint* quotidiana vel secus, *sedulo incumbant;* - 3° *Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.*

§ 2. *Superiores* a) *suos inter subditos* b) *promoveant* c) *frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem;* scilicet: ut mente ac corde subditi maximi faciant hoc Ecclesiae desiderium; subditorum vero ius hac in re fovet canon, dum ait: a) *frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis* b) *rite dispositis* c) *libere pateat*, ita ut Superiores obicem ponere nequeant, « ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas », sicut ait Conc. Trid. cap. 10 sess. XXV de regularibus..., et ad fovendam charitatem, spiritualem vitam uberius alendam, animam virtutibus effusius instruendam.

Cum iuxta Dec. « Quemadmodum » S. C. EE. et RR. [1] « Superiores nullam habeant auctoritatem hac in re (permissionum

[1] 17 Dec. 1890, n. 5.

vel prohibitionum accedendi ad sacram Synaxim) sese ingerendi », exceptionem paragraphi praecedentis affert § 3. *Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus* a) *communitati gravi scandalo fuerit* b) *aut gravem et externam culpam* quamvis communitati ignotam *patraverit*, a) *donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit*, quod Superiori constet, *Superior* b) *potest eum*, c) *ne ad sacram communionem accedat*, sicut religiosus debet abstinere ad normam can. 856 [1], *prohibere*. Quae facultas Superioris cessat cum accessu religiosi praedicti ad sacrum tribunal, quin debeat constare de confessionis exitu.

§ 4. *Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis* quibuscumque *aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae* solum *aut iussae* insuper *reperiantur*, *hae normae vim dumtaxat directivam habent*. Scilicet: « non haberi debent ut prohibitivae ne plures fiant communiones, et facultatem frequentius ad Sacram Synaxim accedendi relinquendam esse privative iudicio confessarii, excluso consensu Superioris vel Superiorissae ». E converso « omnes conentur ita vivere ut mereantur ad communionem accedere saltem in illis diebus, quoties rationabilis causa non obstet ». Sic declarata fuit mens Ecclesiae per S. C. EE. et RR. die 4 Aug. 1888, et concordat Decretis tum « Quemadmodum » eiusdem Congr^s. [2] tum S. C. C. « Sacra Tridentina Synodus » [3] unde ad verbum transcriptum est praescriptum in praec. paragrapho, ibique subnectitur: « Praescriptus vero Communionem numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate ».

670. **De habitu religionis patenter deferendo.** — Bonif. VIII ait c. 2 Tit. « Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant », (III, 24) in 6°. « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cetero aliquis quamcumque religionem... professus, in scholis vel alibi temere habitum suae religionis dimittat », et Conc. Trid. in fine cap. 19 sess. XXV de regularibus... vetat: « nec detur licentia cui-

[1] Can. 856. Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.

[2] 17 Dec. 1890, n. 6. — [3] 20 Dec. 1905, n. 8.

quam regulari occulte ferendi habitum suae religionis ». Has normas sequutus statuit *can. 596. Religiosi omnes* a) *proprium suae religionis habitum*, qui non est vestis talaris qua eum cooperiunt, *deferant* b) *tum intra* c) *tum extra domum* religiosam, *nisi* a) *gravis causa excuset*, v. gr. ob. regionis mores aut leges, propter commotiones populares, etc. sed causae gravitas est ponderanda b) *iudicio Superioris maioris*, qui potest etiam generaliter approbare causam, *aut*, *urgente necessitate*, in casu ergo et cum impossibilitate ad illum maiorem recurrendi, b) *etiam localis* Superioris iudicio approbari potest causae gravitas.

Can. 597. - § 1. In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis.

§ 2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.

§ 3. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur; Superioris vero maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare.

Can. 598. - § 1. Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu.

§ 2. Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu.

Can. 599. - § 1. Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.

§ 2. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur.

Can. 600. - Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur:

1° Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur;

2° Confessarius vel qui eius vices gerit potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus;

3° Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu: itemque S. R. E. Cardinales;

4° Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.

Can. 601. - § 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali.

§ 2. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario.

CAN. 602. - Clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum.

CAN. 603. - § 1. Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere et coercere.

§ 2. Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest.

CAN. 604. - § 1. In domibus etiam Congregationum religiosarum sive pontificii sive dioecesani iuris clausura servetur, in quam nemo alterius sexus admittatur, nisi ii de quibus in can. 598, § 2 et can. 600, aliique quos ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint.

§ 2. Praescriptum can. 599 etiam domibus Congregationum religiosarum sive virorum sive mulierum applicetur.

§ 3. Episcopus in adiunctis peculiaribus, gravibus intercedentibus causis, potest hanc clausuram, nisi agatur de religione clericali exempta, censuris munire; semper autem curet ut eadem rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii corrigatur.

CAN. 605. - Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur.

CAN. 606. - § 1. Curent Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt.

§ 2. Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621-624, permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.

CAN. 607. - Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant.

671. **Ordo praecedentium canonum.** — Canones circa clausuram hoc sub ordine sunt positi: de clausura papali regularium can. 597, quorum, si viri sunt, clausuram moderantur can. 598, 599, si moniales sint, can. 600 quoad ingressum extraneorum et can. 601 quoad egressum earum, duobus aliis canon. 602 et 603 superadditis de clausurae modo ac vigilantia; his sequitur can. 604 de clausura in Congregationibus servanda, can. 605 de colloquutorio religiosorum, can. 606 de subditorum egressu e claustris atque commoratione extra domum propriam, can. 607 specialiter de religiosarum egressu. Perscrutemur singulos.

672. **Clausurae lex.** — *Can. 597.* § 1. *In domibus* a) *regularium*, « qui vota nuncuparunt in Ordine » ex can. 488, 7°, *sive virorum sive mulierum* scilicet: « monialium » stricto sensu ad normam can. 488, 7°, eo quod ita vocentur in sequentibus

canonibus et clausura papalis ex iure veteri connectatur cum solemnitate votorum de facto adhibita in monasteriis; sub conditione: b) *canonice constitutis* domibus, atque hoc posito in omnibus c) *etiam non formatis* ad normam can. 488, 5°, *servetur clausura papalis*, scilicet: lege canonica vigens sub excommunicatione latae sententiae Sedi Aplcae. simpliciter reservata vi can. 2342 commentandi in Lib. V.

Haec interpretatio est nunc authentice confirmata per Pont. Commissionem: « III°.. 2° An lege clausurae papalis, de qua in cann. 597, 600, comprehendantur etiam moniales, quarum vota, quamvis ex Instituto deberent esse sollemnia, tamen in aliquibus locis, ex praescripto Sedis Apostolicae sunt simplicia. Resp.:... Ad 2um. Negative, ratione indulti apostolici adhuc in vigore manentis »[1].

De huius clausurae amplitudine statuit § 2. *Lege clausurae papalis afficitur* a) *tota domus* in genere b) *quam communitas regularis inhabitat* libero cum accessu ad instar familiae cuiusdam, in specie autem c) *cum hortis* praecipue ad utilitatem victus, *et viridariis* praesertim ad recreationem, sequenti vero sub conditione: *accessui religiosorum reservatis*, quamvis ad laborem agri saeculares habitualiter ingrediantur, aliis vero ingressus non pateat sine licentia; haec est pars clausurae, extra quam inveniuntur loca in seq. parte canonis recensita: *excluso*, 1° *praeter publicum templum*, quod ex iure est ecclesia vel oratorium ad minus semipublicum, patens vero saecularibus tempore saltem divinorum officiorum, 2° *cum continente* scilicet: ad templum continuo, secus de seiuncto *sacrario*, 3° *etiam hospitio pro advenis*, saecularibus praesertim destinato, *si adsit*, 4° *et collocutorio* scilicet: destinato ad loquendum cum saecularibus loco, circa quem additur praescriptum: *quod* supple: colloquutorium, *quantum fieri potest*, scilicet: sic est pro posse providendum, *prope ianuam domus constitui debet*, scilicet: quatenus sit locus saecularibus decens simul ac religiosis, utpote clausurae limen.

Quia in praxi oportet ambiguitates de locali clausura resecare, atque ignorantiam eius excutere, adiunctus est § 3. *Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur* v. gr. ad diversos aditus figendo indicationem « Clausura »; a) *Superioris*

[1] 1 Martii 1921. CO. XIII. 178.

vero maioris cuiuscumque ad normam can. 488, 8° b) *vel Capituli generalis* praesertim quoad generales determinationes in tota religione, non autem Capituli provincialis, unius prae altero ex praedictis *secundum constitutiones* in hac re servandas circa illorum competentiam, c) *aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi* in cuius dioecesi illud est situm, *erit* proprium *clausurae fines accurate* a) *praescribere* ita ut huic determinationi standum sit quoad vim ss. canonum b) *aut legitimis* scilicet: proportionatis *de causis mutare* illos fines iam constitutos, ita ut novi loco veterum servandi essent ad canonum ss. normam.

673. **Regularium clausura.** — *Can. 598.* § 1. *Intra regularium virorum clausuram* scilicet: intra loca in ea comprehensa *ne admittantur* ab eis ad quos spectat ut sunt ostiarius, Superior, vel ab aliis ingrediendi physicam praebentibus facultatem a) *mulieres* idest: personae etsi non baptizatae alterius sexus, b) *cuiusvis aetatis* etsi usum rationis expertes, quia lex non ipsas sed admittentes directe prohibet, cuiusvis c) *generis* scilicet: ex natura d) *aut conditionis* socialis e) *sub quovis praetextu* scilicet: ex quolibet prae oculis posito motivo necessitatis subveniendae, servitii praebendi, pietatis exercendae, etc., quod utpote non eximens a prohibitione, praetextus proprie appellatur, ex quavis alterutrius parte sumatur. - Prohibitione autem illa ingrediendi tali modo, ut « intra clausuram » esse de illis mulieribus dicatur vere « secundum propriam verborum significationem » (can. 18), indirecte vi canonis tenentur quaecumque mulieres supradictae, dummodo baptizatae usum rationis sint assecutae, ad normam exceptionis positae in can. 12 [1].

Limitationem edicit sequens § 2. *Eximuntur ab hac lege* quoad unam et alteram prohibitionem in ea, ut dixi, contentam a) *uxores* non ex mero civili, sed putativo saltem matrimonio etsi tantum legitimo *eorum qui* b) *supremum* c) *actu tenent*, factum consideratur non evidenter iniustum, *populorum principatum*, sive reges, imperatores, principes, reipublicae praesidentes aliove nomine designentur, *cum comitatu* de facto adhi-

[1] Can. 12. Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.

bito ratione illarum. Igitur non eximuntur matres filiaeque illarum ipsorumve supremorum principum, quando ipsae tantum vel etiam cum principibus ipsis veniant, nisi causa comitatus illarum uxorum. Et in hoc est correcta sententia Doctorum iuris praecedentis.

674. **De adnexis regularium domui.** — *Can. 599.* § 1. *Si domus regularium virorum* canonice constituta ex can. 597, § 1, *adnexum habeat* scilicet: non seiunctum a) *convictum pro alumnis internis* b) *vel alia opera* v. gr. hospitale, scholas, etc. *religionis propria*, supponit vero ius opera esse secundum illius finem; in hac hypothesi bimembri praescribitur: *separata* non seiuncta a) *saltem aedis pars*, implicite desideratur quod tota domus, b) *si fieri possit*, non solum physice, et qua sub conditione iubetur, alias eximitur domus a clausurae papalis lege, c) *religiosorum habitationi reservetur*, velut eorum privato usui deputata, d) *clausurae legi subiecta* facto ipso reservationis exequutae iuxta ordinationem Superioris ad quem pertineat.

Sed quodcumque factum fuerit ad normam §[i] praecedentis, viget semper § 2. *Etiam* a) *in loca* praedicta *extra clausuram* fortassis constitutam *alumnis externis* v. gr. scholas, *aut internis* scilicet: convictum *vel operibus religionis propriis* ex. gr. curae mentecaptorum *reservata*, b) *personae alterius sexus*, ac illae quibus destinantur loca, *nisi* 1° *aequa de causa et* 2° *de Superioris licentia* in casu, vel secundum illius ordinationem, c) *ne admittantur*, quamvis haec prohibitio non sit ratione clausurae; atque mulieres tuto ingrediantur si admissae sint, quin debeant de conditionibus adimpletis certiorari. Imo nec tam extensa est indirecta pro eis prohibitio ingrediendi.

675. **Monialium clausura quoad ingressum.** — *Can. 600. Intra monialium* stricto sensu, propter rationem adductam in can. 597, § 1, *clausuram nemo*, etsi non baptizatus, a) *cuiusvis generis*, b) *conditionis*, declaratarum in can. 598, § 1, c) *sexus* scilicet: vir aeque ac mulier, d) *aetatis*, etiam ante usum rationis ob rationem in can. 598, § 1 positam, *admittatur sine Sanctae Sedis licentia*, nec ingrediatur, prout interpretata est supra loc. cit. similis prohibitio quoad modum prohibitionis ac eius extensionem circa personas, *exceptis* quoad utramque prohibitionem *personis quae sequuntur*: - 1° a) *Ordinario loci* b) *aut Superiore regulari* cui subiiciantur moniales, in sequenti

autem supposito: *monasterium monialium visitantibus*, atque in editione officiali supprimenda sunt verba: « ad normam can. 512 » [1] c) *vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi*, quae verba confirmant interpretationem datam supra de indirecta prohibitione vi canonis statuta, I° *dumtaxat inspectionis causa*, et quâ expletâ inspectione iterum ingredi eis non licet, II° *cautoque ut unus saltem* a) *clericus vel religiosus* ad normam can. 488, 7° « qui in religione vota nuncupavit », quamvis conversus, *vir* (vocabulum necessario additum propter can. 490), quae disiunctiva canonis deservit pro unoquoque praedictorum visitatorum, b) *maturae aetatis* (40 saltem annorum aetas certo sufficit) c) *eos comitetur* toto tempore quo intra clausuram illi sint.

2° *Confessarius*, et quia sine restrictione dicitur, interpretari oportet: sive ordinarius sit, sive specialis, sive extraordinarius, sive arcessitus tempore gravis aegritudinis, ad normam cap. II « de confessariis et cappellanis » in Titulo X, *vel qui eius vices gerit* quoad ministerium sequens in canone, *potest*, a) *cum debitis cautelis* quas discere possumus pro sacra communione ex dec°. S. Congr^s^. de Religiosis [2]: « Oportet autem ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas particulas consecratas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis». Et hae cautelae valent etiam pro Viatico et Extrema-Unctione ministrandis. - Pro confessario autem, si est saecularis, iuxta Dec^a^. S. S. EE. et RR. [3] ingredi debet ita ut recte et absque diverticulo eat redeatque nec ad aliam monasterii partem divagetur, nec ibi morari. Dum audit infirmae confessionem, ianua cellae aperta remaneat, dummodo nullum sit periculum, quod ab aliis audiatur aegrotantis confessio. Debent esse praesentes duae comitatrices, ita ut confessarium et infirmam commode quidem videre, non autem audire possint. Si vero confessarius est sacerdos regularis, tunc Alexander VII statuit const. « Felici » [4]:

[1] 17 Oct. 1917. — [2] 1 Sept. 1912.
[3] Nicolium in Flosculis in v.-Clausura n. 32.
[4] 20 Oct. 1664, § 5.

« nec umquam ingrediatur sine socio, qui sit probatae vitae et aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessarium videre et ab ipso videri semper possit ». Et hae cautelae, servire possunt quoque ad assistendum moribundis quod attinet. - Sequitur in canone: potest *ingredi clausuram* b) *ad ministranda Sacramenta*, scilicet: poenitentiae, communionis tum ordinariae, tum viatici et extremae-unctionis, *infirmis* monialibus aliisque ibi commorantibus; scilicet: quoad duo priora sacramenta, « decumbentibus vel quae ad Ecclesiae crates descendere nequeunt » ut dicitur in Dec°. S. Congr. de Religiosis supra citato, in quo determinatur circa communionem ordinariam, quisnam possit hanc ministrare, vel ut in canone dicitur: « qui confessarii vices gerit »: videlicet: « In defectu confessarii vel cappellani tertius sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia Episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius Episcopi concedenda etiam abbatissam seu superiorissam habitualiter designare poterit, Sacram Communionem infirmis valeat deferre religiosis, quae ad Ecclesiae crates descendere nequeunt ». Si agatur de viatico et extrema-unctione, ius explicatum in can. 514, § 2 defert hoc officium cum iure « ordinario confessario vel qui eius vices gerit » ut ibidem declaravimus.

Subiungitur in canone: c) *aut ad assistendum morientibus* intra clausuram. Quoad assistentiam moribundis praestandam. confessario moribundae tribuenda est facultas ingrediendi, quamvis specialis pro ipsa sit tum ordinarie tum gravis aegritudinis tempore. - Nec obiiciatur diversa interpretatio attributa eidem clausulae « vel qui eius vices gerit », communi canoni huic cum 514, § 2, quia in can. illo 514 ius tribuitur et officium circa viaticum et extremam-unctionem, alias parochiale, in hoc autem canone non ita est, imo tractatur de licentia monasterium ingrediendi seu de exceptione a lege clausurae, equidem ad ministranda sacramenta quando id potest fieri quoque a sacerdote non parocho, et pro assistentia moribundae opportunius per proprium confessarium praestanda.

Denique notandum personas in canone designatas excipi a lege clausurae solum ob finem administrationis vel assistentiae quas declaravimus, dum e contra debitae cautelae quamvis servandae, ita sunt accidentales exceptioni canonicae, ut omis-

sae non facerent sacerdotem violatae clausurae papalis delinquentem.

3° *Possunt clausuram ingredi*, prout haec clausura declarata manet in can. 597. § 2. a) *qui supremum actu tenent populorum principatum* b) *eorumque uxores* c) *cum comitatu* alterutrius, quamvis cum supremo principe, huius filia vel mater sororque associetur, ac vicissim cum supremi principis uxore inter vere comitantes viri adsint; *itemque* (scilicet: « possunt clausuram ingredi ») *S. R. E. Cardinales*, verumtamen comitatu sicut videtur excluso etsi unius personae, atque « a sua promotione in Consistorio » ad normam can. 239. § 1;

4° *Antistitae est, adhibitis debitis cautelis* per Constitutiones statutis, unde clausurae papalis canoni non attribuendis quoad exceptionis huius valorem, *ingressum permittere* a) *medicis*, b) *chirurgis* c) *aliisque quorum* singulorum *opera sit necessaria* secundum uniuscuiusque artem vel industriam, etiam v. gr. servituro missae S. R. E. Cardinalis intra clausuram celebrantis eam, servanda plane sequenti conditione: *impetrata prius*, quod verbum ultra petitionem significat praecipue concessionem, *saltem habituali*, scilicet: pro quibuscumque casibus qui eveniant et generali, quamvis determinata praedictorum *approbatione ab Ordinario loci*, etsi monasterium regulari Superiori subiiciatur, nec huius approbatio vi canonis est petenda: *si vero* 1° *necessitas urgeat* huiusmodi sub n. 4° ingressus, 2° *nec tempus suppetat approbationem* pro casu nondum habitam *petendi*, *haec iure praesumitur*, nisi de contrario quoad ingressurum constet, (Can. 1826) [1] nam praesumptio debet cedere veritati.

676. **Quoad egressum monialium.** — *Can. 601.* § 1. *Nemini monialium* stricto sensu ad normam can. 488, 7° ibi declaratam *liceat* a) *post professionem* primam, ergo canon omittit sive postulantes « dum postulatum peragunt », quas respicit hac in re canon 540, § 3, sive novitias, quae durante novitiatu tractandae sunt ad normam canonum 555, 556, ac professis supra dictis non licet b) *exire e monasterio* videlicet: de spatio locorum ad quae accessus monialibus iure patet ad normam can. 597. § 2: « exire » igitur proprie non eveniret v. gr.

[1] Can. 1826. Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta...

posito corporis capite, brachio, uno etiam pede extra clausurae locum, e contrario autem corporis exitu vere peracto, v. gr. ascendendo supra tectum, extra portae limen egrediendo, tunc distantia unius quoque passus e clausura non requiritur, c) *etiam ad breve tempus*, hinc momentaneus egressus nihil refert, non tamen permittendus, d) *quovis praetextu* sic appellato ut quaecumque ratio apparens excludatur, e) *sine speciali* pro illa moniali vel illis monialibus *Sanctae Sedis indulto*, *excepto casu* a) *imminentis periculi* scilicet: quod periculum moraliter certum prudenter iudicetur b) *mortis vel alius gravissimi mali* evadendi per egressum, quaecumque sit illius causa v. gr. incendium, domus ruina, hominum violentia, etc.

Ne autem periculum huiusmodi timeatur imprudenter, vel in casibus adaugeatur, statuit § 2. *Hoc periculum, si tempus suppetat*, a) *scripto* b) *recognoscendum est* c) *a loci Ordinario*. Sic moderata est clausula « nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda » Conc. Trid. in cap. 5 sess. XXV de regularibus et monialibus, ex quo desumpta sunt verba eadem initii canonis usque ad ea « sine speciali S. Sedis indulto ». Quoad legitimam vero causam standum est clausulae canonis ampliori quam tres causae « magni incendii, leprae et epidemiae » recensitae in const. « Decori » [1], quamvis ex DD^m^. consensu non essent interpretandae taxativae, sed indicativae quoque aliarum similium.

677. **Modus clausurae.** — Bonifacius VIII qui clausurae monialium legislator primus fuit in c. un. de statu regularium (III, 16) in 6°, illius rationem affert: « ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae (moniales), omnino servire Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire ». Huic principio huius instituti canonici connectitur *can. 602. Clausura* scilicet: omnia loca quae « lege clausurae papalis afficiuntur » ad normam can. 597, § 2; et non solum fundus *monasterii monialium, ita circumsepta esse debet*, ipsae quoque habitationes saltem per fenestrarum cancellos prospicientium in laicorum aedes, *ut, quoad fieri potest*, obtineatur sequens scopus: *nullus sit* a) *in eam* b) *vel ab ea prospectus* respective ac-

[1] 1 Febr. 1570. § 2.

tivus vel passivus *externarum personarum*. Hoc benigne interpretandum est de monialium loquutorio.

678. **Clausurae canonica custodia.** — *Can. 603*. § 1. *Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum*, quoad eiusdem accuratam custodiam canonibus praec[s]. ac constitutionibus moderata, *sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest* vi huius canonis *delinquentes* ad normam alterius 2195, § 1 explicandi in Libro V, *regularibus viris non exceptis*, quando hi deliquerint contra leges clausurae illius, *poenis quoque* vindicativis *ac censuris corrigere* post delictum, *et coercere* ad praecavendum illud.

§ 2. *Etiam Superiori regulari custodia* praedicta *clausurae monialium sibi subiectarum*, non aliarum etsi proprii ordinis, *commissa est*, *qui* a) *moniales aut alios* b) *suos subditos*, non alias personas ut patet ob defectum potestatis coercitivae ad normam Tit. V, Lib. V, *si quid hac in re* clausurae *deliquerint*, *poenis quoque* quibuslibet *punire potest*.

679. **Clausura in Congregationibus.** — Praescripta praec. canonis ius vetus referunt, e contra ut lex canonica est novus *can. 604*. § 1. *In domibus etiam* quibuscumque *Congregationum religiosarum* virorum et mulierum *sive pontificii sive dioecesani iuris clausura* locorum ad eam pertinentium *servetur* similis normae can. 597, § 2, *in quam nemo alterius sexus* ac sodalium Congregationis *admittatur*, nec ingrediatur ex consequenti, *nisi* I° *ii de quibus in can. 598*, § 2 quoad virorum Congregationes, II° *et can. 600* circa viros tantum ingressuros in domos religiosas mulierum, III° *aliique* sub norma generali alioquin comprehensi respective *quos ex iustis* seu proportionatis *ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint*, non pro eorum libitu.

Conformatur clausura haec alteri papali descriptae in praec[s]. ss. cc. per sequentes §§[os]. - § 2. *Praescriptum can. 599* ibi expositum *etiam domibus Congregationum religiosarum* (de quibus in praec. § 1°) *sive virorum sive mulierum applicetur*, dum ille canon exclusive de viris regularibus statueret.

§ 3. *Episcopus*, cuius nomine « venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), a) *in adiunctis particularibus*, ac proinde ordinarie pro singulis tantum domibus, b) *gravibusque intercedentibus causis*, non ad libitum, nec sufficiunt

quaelibet motiva etiam laudabilia, *potest hanc clausuram* scilicet: de qua iste canon disponit, *nisi agatur de religione clericali exempta*, in qua « Superiores habent iurisdictionem ecclesiasticam » ex can. 501, § 1, necessariam praevie ad normam Tit. V, lib. V. « de Superiore potestatem coactivam habente », *censuris munire;* alia vero iussio §[i] huius est: *semper autem curet* a) *ut eadem rite servetur*, etiam in congregationibus clericalibus exemptis absque harum visitatione, praefata enim exceptio ex contextu canonis ad hanc duplicem iussionem incongrue extenderetur, *et* b) *quidquid irrepat vitii corrigatur* per eos Superiores ad quos pertineat.

680. **De colloquutionibus cum extraneis.** — Abrogata severiori legum veterum disciplina de accessu ad monasteria monialium, ast specialiter quoad regulares praescribit *can. 605. Omnes quibus est clausurae custodia*, tum praesertim Superiores singularum religionum, tum Episcopus etiam, exceptis pro eo domibus virorum regularibus, *sedulo advigilent ne, alienis* a) *invisentibus*, proprie in colloquutorio, vel intra clausuram his qui possunt ingredi, b) *inutili collocutione* a) *disciplina perturbetur et* b) *spiritus religiosus* recollectionem ac solitudinem convenientem postulans *detrimentum patiatur*. Commendatur ergo haec officii Superioris obligatio tamquam ex principalibus. Eisdem adnumeranda est quam extollit canon immediate sequens.

681. **De egressu et commoratione extra religionis domum.** — *Can. 606*. § 1. *Curent Superiores religiosi*, ergo id Episcopos non urget, *ut accurate observentur quae* a) *sive circa egressum subditorum e claustris* (verbum derivandum in iure a clausura) b) *sive circa excipiendos*, ut hospites aut invisentes, c) *vel adeundos extraneos* in eorum domos, *in propriis constitutionibus praescripta sunt*. Quae res adeo visa est in omni religione esse maioris momenti, ut statuta circa eam non desint.

Ex parte autem religiosorum obligatio intra domum eorum manendi lege munitur ecclesiastica sequentis tenoris: § 2. *Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621-624* de quaestuantibus, quae ibidem evolventur, *permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant* diu noctuque, *nisi* a) *gravi* simul *et iusta de causa* v. gr. ultima parentum aegritudine, necessario inter valde propinquos interventu ad pacem

firmandam, necessitate propriae ibidem valetudinis curandae, etc. *atque* b) *ad tempus quo fieri potest brevius* c) *secundum constitutiones;* secunda vero conditio sub limitatione sic coarctatur: *pro absentia vero quae sex menses excedat*, de momento ad momentum computandos et ad normam can. 34, § 2, etiamsi parum interruptos v. gr. per hebdomadam quando sit eadem de numero causa, *nisi causa studiorum intercedat*, de qua specialis praescriptio est posita in can. 587, *semper Apostolicae Sedis venia requiritur.* Ratio huius obligationis religiosorum requirenda est in voto obedientiae a cuius exercitio multum per absentiam substrahuntur, cum religiosus habeat suum velle et nolle in Superiorum manibus positum.

682. **De egressu religiosarum.** — Clemens VIII in Dec°. « Nullus omnino »[1] iusserat in n. 19. « Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio, ac benedictione, licentiaque singulis vicibus a Superiore accepta », etc. His delatis ex can. praecedenti ad constitutionum observantiam singularum religionum, sollicitudo legislatoris convertitur ad publicum aedificationis bonum propter muliebrem honestatem in *can. 607. Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent*, utpote de graviori re, *ne religiosae*, a) *citra casum necessitatis*, quae contrarium cohonestaret, b) *singulae extra domum pergant*, quamvis nec privatas domos petant, nec extra propriam pernoctent, aut illud faciant pleno die.

CAN. 608. - § 1. Curent Superiores ut religiosi subditi, a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent.

§ 2. Vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro ministerio et maxime in administrando sacramento poenitentiae.

CAN. 609. - § 1. Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, sit simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415.

§ 2. In ecclesia religiosarum a votis sive sollemnibus sive simplicibus paroecia erigi nequit.

§ 3. Advigilent Superiores ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum afferat necne, ad loci Ordinarium pertinet.

CAN. 610. - § 1. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pau-

[1] 25 Iunii 1559.

ciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi.

§ 2. Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam,quoad fieri possit, in religionibus mulierum.

§ 3. In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare.

CAN. 611. - Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad Superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere.

CAN. 612. - Praeter praescriptum can. 1345, si loci Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra solemnia indicat, religiosi omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis constitutionibus et privilegiis suae cuiusque religionis.

683. **Mutua concordia utriusque cleri.** — Ad fovendam benevolentiam et charitatem clericos inter et religiosos, sunt conditi seq^s^. can^s^. *Can. 608* § 1. *Curent Superiores ut religiosi subditi*, I° *a se designati*, propter horum idoneitatem et aliorum sufficientiam in domus officiis, *praesertim in dioecesi in qua degunt*, non solum in civitate ubi est sita domus, ac verbum « praesertim » implicat desiderium, ut idem fiat pro posse respectu aliarum dioecesium, II° *cum a locorum* a) *Ordinariis* b) *vel parochis eorum ministerium* v. gr. praedicationis, audiendi confessiones, ministrandi sacramenta, celebrandi missam, *requiritur* seu expostulatur, nec imponi ab illis potest hoc adiumentum, III° *ad consulendum populi necessitati*, non ad fovendum commoditatem vel otium cleri saecularis, IV° *tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud*, a) *salva religiosa disciplina*, cui detrimentum inferre grave non licet, b) *libenter praestent*, quae verba precarium seu ad tempus adiutorium indicant, tum facile petitiones excipiendo, tum labori non parcendo ut religiosos decet. - Paucis verbis: Praescriptum paragraphi est de cura Superiorum adhibenda erga proprios subditos, atque huiusmodi curae obiectum est, ut hi manum adiutricem porrigant animarum pastoribus iuxta charitatis leges per ministerium erga fidelem populum, ac denique huius necessitas ob deficientiam ministrorum cleri saecularis est motivum ac mensura exercendae charitatis.

§ 2. *Vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter utantur opera religiosorum*, undecumque inveniantur idonei, *praesertim*

in dioecesi degentium, in sacro ministerio v. gr. praedicationis, administrationis sacramentorum *et maxime in administrando sacramento poenitentiae* peculiariter expresso, utpote quod in praeterito fuit aemulationis materia.

Praedictam « concordiam flagitat finis communis qui situs est in salute animarum iunctis studiis ac viribus quaerenda;... haec signum est quod sinceros Christi discipulos ab iis determinat qui se tales esse mentiuntur ». Sententiae sunt hae Leonis XIII in const « Romanos Pontifices » [1].

684. **Relatio communitatis ad ministerium paroeciale.** — *Can. 609.* § 1. *Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, sit simul paroecialis*, ut pax inter parochum et religiosos alios sarta tectaque maneat, *servetur, congrua congruis referendo*, scilicet: praedictis cooptando *praescriptum can. 415* de normis, quibus « reguntur relationes iuridicae inter Capitulum et parochum » in similibus huius can. 609 adiunctis. Et hoc in virorum solis communitatibus accidere posse, sequitur ex § 2. *In ecclesia religiosarum a votis sive sollemnibus sive simplicibus* idest: monialium vel sororum (can. 488, 7°) *paroecia erigi nequit.* Et cum iure veteri concordat.

Demum § 3. *Advigilent Superiores*, praecaventes occasionem querelarum, a) *ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio*, quae populi concursum advocet, b) *catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi* c) *in Ecclesia paroeciali tradendae* ob parochianorum absentiam d) *nocumentum afferat* fraudati fructus; cum vero inter homines dissidia enascantur facile ob circumstantias, providetur: *iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet.* Huic proinde parere debent religiosi (Can. 615).

685. **De officii divini recitatione.** — *Can. 610.* § 1. *In religionibus sive virorum sive mulierum* quibuscumque v. gr. monachorum, clericalibus votorum solemnium aut simplicium, monialium, forsitan quarumdam sororum, a) *quibus est chori* ac proinde in loco sacro *obligatio* canonica ex consuetudine aut in fundatione rite imposita, quia hoc loquendi modo innuit Codex non intendere hac in re mutationem inducere naturae obligationis, quae fortassis ex vi constitutionum sola esset observanda, b) *in singulis domibus* illarum religionum *ubi* c) *quatuor saltem*

[1] VIII Idus Maii 1891.

sint I° *religiosi*, exclusis hinc novitiis et sacerdotibus forsitan domi hospitibus, II° *choro obligati quamvis* cum votis temporariis in Ordine, sed conversi quamvis solemniter professi non sunt computandi, III° *et actu legitime non impediti*, sive ratione studiorum sicut vidimus in can. 589, § 2, sive causa ministerii, aliarumque occupationum, quae in aliud tempus remitti nequeant, ut prudenter cum chorali recitatione componantur; c) *et etiam pauciores* illo designato numero, sub illis autem tribus conditionibus, *si ita ferant constitutiones*, et hoc in casu servandae ut tales, vel etiam sub gravi obligatione quando sic praescribant vel fuerint iuxta consuetudinem interpretatae, a) *debet ad normam constitutionum* quoad circumstantias temporis, caeremoniarum, cantus, etc. b) *quotidie divinum officium* iuxta leges liturgicas quoad ritum sequendum, breviarium et calendarium, c) *communiter* sed in loco sacro, ut supra, *persolvi;* quae ultima clausula refert praescriptum canonis huius, et aliae determinant qualiter et quandonam servandum sit.

Imo § 2. *Missa quoque* a) *officio diei respondens secundum rubricas*, quae illam edicunt, b) *quotidie celebrari debet*, uti officii pars et sub gravi a) *in religionibus virorum et etiam*, cum moderatione d) *quoad fieri possit* possibilitate morali, e) *in religionibus mulierum*, quae alias liberantur a tali onere ob canonicam excusationem prudenter applicandam.

§ 3. *In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum*, praescindendo a numero religiosorum in domo existentium, et an extra domum inveniantur; non autem omnes religiosi, sed tantum a) *sollemniter professi qui* b) *a choro abfuerunt*, vel excusati legitime vel secus, c) *debent*, et quidem sub gravi, *exceptis conversis*, d) *horas canonicas* e) *privatim recitare* vi professionis suae ac huius canonis, proinde quamvis non sint ordinati in sacris de quibus loquitur can. 135.

686. **De epistolari communicatione nulli subiecta inspectioni.** — *Can. 611. Omnes religiosi sive viri sive mulieres*, a) *libere possunt mittere litteras* epistolares, vel alia scripta, b) *nulli obnoxias inspectioni*, ac ideo etiam insciis Superioribus, I° *ad Sanctam Sedem* intelligendam secundum can. 7, II° *eiusque in natione Legatum* de quo in Titulo VII, cap. V, Primae partis actum est, III° *ad Cardinalem Protectorem* propriae religionis, IV° *ad proprios Superiores maiores*, V° *ad Superiorem domus*

forte absentem, atque talis non est Magister novitiorum vel Praefectus spiritus pro studentibus. VI° *ad Ordinarium loci* sub conditione *cui subiecti sint*, vel in rebus circa quas eidem subiiciantur, VII° *et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam*, idest: praeterquam ad Ordinarium loci, *ad Superiores maiores Ordinis;* vicissim a) *et ab istis omnibus* sub iisdem clausulis quo hi exprimuntur antea. b) *praedicti* pariter *religiosi, viri aut mulieres*, c) *litteras* supra declaratas, d) *item nemini inspiciendas*, nec quoad solam receptionem, *recipere* legendas conservandasque vel non.

687. **Obedientia loci Ordinario praestanda.** — *Can. 612. Praeter praescriptum can. 1345*, scilicet: « quod si loci Ordinarius id praeceperit », nempe: « (ut in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat), opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi; exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis ». Hoc igitur servandum; sequitur autem in hoc can. 612: *si loci Ordinarius ob causam publicam* v. gr. extraordinarii festi, pestis, siccitatis, belli, a) *sonitus campanarum* b) *preces aliquas* v. gr. orationes in missa c) *vel sacra solemnia* v. gr. expositionem Ss.mi Sacramenti cum recitatione litaniarum Sanctorum *indicat* generali praecepto, *religiosi omnes*, quamvis de ipsis expressam mentionem non faciat indictio, *etiam exempti, obedire debent, salvis* a) *constitutionibus* in quibus statutum esset praedictorum cuiquam contrarium, b) *et privilegiis* in contrarium huius canonis concessis *suae cuiusque religionis*, non tamen vi generalis communicationis infra revocandae.

CAPUT II.

De privilegiis.

CAN. 613. - § 1. Quelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.

§ 2. Privilegia quibus gaudet Ordo regularis, competunt quoque monialibus eiusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces.

CAN. 614. - Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123.

CAN. 615. - Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, ex-

ceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis.

CAN. 616. - § 1. Regulares extra domum illegitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent.

§ 2. Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint.

CAN. 617. - § 1. Si in regularium aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi.

§ 2. Domus autem non formata manet sub peculiari vigilantia Or-

Caput II. De privilegiis —
- omnibus —
  - cuiuslibet religionis — Can. 613
  - communibus religiosos inter et clericos — » 614
- exemptionis —
  - Ordinum —
    - extensio — » 615
    - limitatio —
      - in personis — » 616
      - in domibus — » 617
  - Congregationum — » 618
  - interpretandae —
    - respectu potestatis coercitivae — » 619
    - quoad indultum a loci Ordinario concessum — » 620
- eleemosynas quaerendi —
  - quoad regulares — » 621
  - quoad Congregationes religiosas — » 622
  - quoad exercitium —
    - quibus committendum — » 623
    - quis modus et quae disciplina serventur — » 624
- Abbatum regularium de regimine — » 525

dinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere.

CAN. 618. - § 1. Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum.

§ 2. In religionibus tamen iuris pontificii Ordinario loci non licet:

1° Constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535;

2° Sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis; nihilominus in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur: et, si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat;

si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernat statim; decretum vero ad Sanctam Sedem deferat.

CAN. 619. - In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri.

CAN. 620. - Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis.

CAN. 621. - § 1. Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

§ 2. Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit.

CAN. 622. - § 1. Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.

§ 2. Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.

§ 3. Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum licentiam quaeritandae stipis ne concedant, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur.

§ 4. Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant.

CAN. 623. - Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt.

CAN. 624. - Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam, religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis.

CAN. 625. - Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo.

688. **Inscriptio capitis et mutua canonum ordinatio.** — Propter can^s. 612 in praecedenti capite ultimi obiectum et illiusmet ultimam clausulam connectitur logice cum illo *Caput II* hoc inscriptum: *De privilegiis*, scilicet: de illis legibus per quas religiosis elargiuntur favores, vel contra ius ceteris commune, vel praeter illas normas, quae pro aliis clericis laicisve vigent. - Canones huius capitis exhibent primo privilegia in genere cuius-

cumque religionis, et personas quibus haec competunt (can. 613, 614), secundo exemptionem regularium propriam, ac huius pro eorum singulis exceptiones (can. 615, 616), atque Ordinarii loci obligationem ac potestatem respectu habito ad religiosorum domus exemptas in casibus (can. 617), dum circa ceterorum religiosorum exemptionem partialem loquitur can. 618; et postquam can. 619, 620 potestatem tum coercendi tum dispensandi religiosos Ordinarii loci propriam edicunt, sequentes canones 621-624 normas proponunt de quaestuatione a diversis religiosis, an exercenda sit necne, atque ultimus can. 625 de Abbatum privilegiis, et ab illis praevie adimplenda obligatione moderatur ius antea vigens.

689. **Privilegia cuiuslibet religionis.** — Codicis can. 4 est tenoris sequentis ad hanc inscriptionem quod attinet:... « privilegia... quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur ». Ad hunc canonem respectum habens legislator in Codice, volensque tradere unicuique religioni, nulla excepta, generalem normam ex qua eius privilegia dignosceret per eiusdem applicationem, condidit *can. 613.* § 1. *Quaelibet religio*, sive Ordo sive Congregatio ad normam can. 488, *iis tantum* [1] *privilegiis gaudet* tempore in quo canon applicandus consideretur, idcirco revocantur expresse per verbum « tantum » omnia alia, quae forsitan hucusque possederit unaquaeque religio, et quae privilegia in sequentibus canonis clausulis non reservantur saltem implicite; remanent igitur: *quae* 1° *vel hoc in Codice continentur* scilicet: recensita nominatim quamvis generaliter pro religionibus omnibus vel quibusdam, tum in hoc capite, tum in aliis canonibus ipsiusque Codicis vi confirmata sive concessa; *vel II° a Sede Apostolica* notandum bene: *directe eidem religioni* singulari *concessa fuerint;* atque nulla alia privilegia, eo quod sequens clausula excludens est. Pro qua interpretanda memorari oportet canonem 63, § 1. « Privilegia acquiri possunt non solum *a*) per directam concessionem competentis auctoritatis *b*)

[1] « Taxativa est haec dictio, quae includit expressum et reliqua excludit... Et impedit extensionem ad non expressa... Item est exceptiva, limitat, restringit et excludit, sicut dictio *Tantummodo* ». Haec asserit atque multis Doctorum citationibus confirmat Barbosa in Dict. CCCCII n. 2. in Tractatu de Dictionibus usu frequentioribus.

et per communicationem », (quae potest esse " in forma aeque principali ,, vel " in forma accessoria ,, prout exprimitur in can. 64, 65; atque sub quacumque alia distinctione a Doctoribus scite excogitata, imo quibuscumque clausulis diversis munita), et prosequitur can. 63 §. 1: « sed etiam (acquiri possunt privilegia) *c*) per legitimam consuetudinem aut *d*) praescriptionem ». Ex tempore igitur quod vigorem Codicis praecessit, remanent privilegia religionis uniuscuiusque primo tantum modo seu « directe » acquisita, ut vidimus; circa privilegia in futurum acquirenda est clausula can. 613: *exclusa in posterum qualibet communicatione* privilegiorum inter unam et alteram religionem vel omnes ad invicem. Ceteri tres modi acquirendi privilegia a religionibus non sunt alieni, tantummodo dictus « per communicationem » est huic adversus canoni, cui tamen non est dubium a Romano Pontifice derogari posse per concessionem communicationis in futurum factam alicui religioni cum altera vel aliis vel omnibus.

Alia via in eamdem interpretationem deveniri posse patebit.

Can 613. § *1bis Quaelibet religio* sive Ordo, sive congregatio, *iis tantum privilegiis gaudet* initio vigoris Codicis atque in futurum illa considerata, idcirco expresse per verbum « tantum » abrogantur alia forsan possessa hucusque, et hoc in canone non implicita; remanent igitur: *quae* I° *vel hoc Codice continentur* quoad praesentem concessionem, scilicet: expressa nominatim, non solum vi can. 4, alias esset hoc inutiliter dictum, sicut et sequens clausula sensu careret efficaci; II° *vel a Sede Apostolica* notetur bene: *directe eidem religioni concessa fuerint* [1]: sed cum inter concessiones has connumeretur privilegiorum aliorum ordinum communicatio, huiusmodi privilegium communicationis directe concessum quoad effectum eius praeteritum abrogatum est, intercipiendo illum per verbum « directe » in clausula praecedenti appositum, sed includeretur in eadem clausula quoad communicandi effectum post Codicis vigorem; propter

[1] « Verbum *erit* interdum etiam praeteritum, nec solum futurum tempus demonstrat, quod est nobis necessarium scire,... quod quidem ex voluntate scribentis interpretandum est: quemadmodum autem hoc verbum *est* non solum praesens, sed et praeteritum tempus significat: ita et hoc verbum *erit* non solum futurum, sed interdum etiam praeteritum tempus demonstrat ». D. Lib. L., tit. XVI, l. 123. Pomponius ad Quintum Muntium.

quod caute ac efficaci necessitate additum est: *exclusa in posterum qualibet communicatione* inter religiones; scilicet: sive in forma aeque principali, sive in forma accessoria, sive quacumque alia distinctione ab Auctoribus excogitata, imo quibuscumque clausulis sit communicatio munita. - Contextus autem non permittit interpretationem huius clausulae, uti comprehendentis privilegium directe concessum Ordini, ad communicandum vel regularibus favores monialibus tributos aut vicissim, vel omnibus Ordinis conventibus, provinciis, privilegia uni vel alteri elargita. Et haec animadversio fulcitur eo quod de huiusmodi communicatione relinquitur generalis concessio in § 2. *Privilegia quibus gaudet* nunc ut in § 1° et ex concessione directa post Codicis vigorem *Ordo regularis* quicumque, *competunt quoque* a) *monialibus eiusdem Ordinis* etiam in quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°, et quamvis illae regularibus Superioribus non sint subiectae, b) *quatenus eorum sint capaces*. Attamen non e converso vi huius canonis, bene autem ex privilegio quod directe fuerit Ordini concessum vi §[i] praecedentis. In hoc toto canone includuntur novitii ad normam can. 567.

690. **Privilegia religiosorum cum clericis communia.** — *Can. 614. Religiosi*, qui nempe: « vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°) *etiam laici* idest: qui primam tonsuram non receperunt, scilicet: viri in religione laicali, mulieres cuiusvis religionis, conversi, *ac novitii*, necessario hi exprimendi, quia nomine religiosorum non veniunt ad normam can. 488, 7°, nec eis suffragatur evidenter in hoc canone praescriptum can. 567 proprie acceptum, nam potius quam frui « privilegiis religioni concessis » ut ibi, dicitur hic de omnibus illis: *fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123;* scilicet: quae hactenus vocabantur privilegia canonis, fori, immunitatis a servitio militari ac beneficium competentiae. Atque ut constaret non solum canones illos memorari, sed etiam extendi, optime verba « etiam laici » addita fuerunt.

691. **Regularium exemptio.** — *Can. 615. Regulares*, a) *novitiis non exclusis*, prout hi excluderentur vi can. 488, 7°, b) *sive viri sive mulieres*, quae nomine monialium potiusquam regularium venirent ad normam cit. can. ac numeri, *cum eorum* c) *domibus et* d) *ecclesiis*, *exceptis* a) *iis monialibus* (earumque novitiae sub exceptione includuntur) b) *quae Superioribus*

regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci, ubi commorentur personae vel sitae sint domus et ecclesiae antea dictae, *iurisdictione exempti sunt*, cum privilegio igitur exemptionis personalis et localis, c) *praeterquam in casibus a iure expressis* circa exemptos vel regulares.

Huc pertinet Dubium Sacrae Congr. de Religiosis propositum [1]: « an Monasteria Monialium, quarum vota ex Instituto sunt sollemnia, sed ex S. Sedis praescripto sunt simplicia, in Gallia et Belgio ab Ordinariis locorum dependeant eadem ratione ac ante Codicis promulgationem ». - S. Congr.,... respondendum censuit: « Supplicandum Ssmo. ut decernere dignaretur nihil innovandum esse in dependentia Monialium praedictarum ab Ordinariis locorum in Gallia et Belgio, prout post restaurationem ab uno saeculo et amplius hucusque observatum est: cauto tamen quod nulla potestas sit Episcopis ad immutandas Regulas antiquorum Ordinum aut Constitutiones Monialium a S. Sede adprobatas... Ssmus. resolutionem adprobavit, et, ut publici iuris fieret, mandavit ».

692. **Limitatio exemptionis personalis.** — Inter alios canones, qui tamquam praecedentis exceptionis exempla possent afferri, statim ponitur sequens *can. 616.* § 1. *Regulares* cum verbi significatione ampliata ut supra, ne videantur melioris esse conditionis hac in re moniales ac novitii quam Ordinis viri professi; sed tantummodo illi expressi sunt, quia in eis frequentius locum habent canonis verba: a) *extra domum illegitime degentes* v. gr. contra praescripta can. 606, § 2, vel can. 587, § 4, aut sine Superiorum licentia, b) *etiam sub praetextu accedendi ad Superiores*, iuxta mentem ac textum cap. 4 sess. XXV de regularibus et monialibus in Conc. Trid., *exemptionis* personalis *privilegio non gaudent*. - En verba Sacrosanctae Trid. Synodi: « Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur ».

[1] 13-22 Maii 1919. CO. XI, 240.

Limitatio exemptionis personalis ampliatur in § seq. qui congruit capiti 14 sess. cit. Concilii Tridentini per quod etiam explicatur. Huius capitis tenor est: « Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore intra tempus, ab episcopo praeficiendum, severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat: sin minus, a suo superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit ». - Considerandus consequenter cans. § 2. *Si* I° *extra domum* religiosam saltem in effectu *delictum*, cuius definitio est: « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1), *commiserint* « regulares » prout in §° 1° hi fuerunt declarati, II° *nec a proprio Superiore* saltem locali a) *praemonito* scilicet ab Ordinario loci iuxta contextum canonis et Concm. Tridm. b) *puniantur*, sub conditione igitur duplici praemonitionis ac non sequutae punitionis *a loci Ordinario puniri possunt*, etiamsi advers[illegible] §m 1m non peccaverint, videlicet ut sequitur in canone: *etsi*, quod nonnunquam eveniet in commissione delicti, a) *e domo* regulari *legitime exierint* imo b) *et domum reversi fuerint* proindeque locali etiam exemptione viderentur muniri.

693. **Limitatio exemptionis localis.** — De locali exemptione limitanda, quicumque sint religiosi qui eadem potiantur, decernit *can. 617*. § 1. *Si in regularium aliorumve religiosorum* etsi Congregationum, modo *exemptorum* ad normam can. 615, 618, § 1, a) *domibus* b) *eorumve ecclesiis abusus* quicumque, ast non conficti *irrepserint*, hoc primo, *et* secundo *Superior* localis *monitus prospicere* remedium apponendo *neglexerit*, quod evincetur ex abusus prosequutione post monitionem; sub praefata duplici conditione *Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam* scilicet: ad S. Congr. de Religiosis vel per Secretariam Status *statim* ac duplicis conditionis certus sit *deferendi*, circa ipsum abusum ac inutilem monitionem informando. - Propter faciliorem praedictae causae occasionem in domibus parvis religiosorum, adiunctus est § 2. *Domus autem non formata* exemptione non privatur, *manet* tamen *sub peculiari* quoad modum *vigilantia Ordinarii loci*, v. gr. per alium prudentem clericum habenda, *qui* scilicet: dictus Ordinarius, *si* a) *abusus irrepserint et* simul b) *fidelibus scandalo fuerint* notabili, propter hoc

enim loci Ordinarii negotium interest, *ipse per se potest interim providere;* omnino iuste sic praescriptum in custodiam gregis sui, a quo scandalum efficaciter removeat. Nec tenetur « rem ad Sedem Apostolicam » deferre, nam haec clausula in §° praesenti omissa ex §° 1 ad 2m irrationabiliter extenderetur.

694. **Exemptio ab homine concessa vel partialis.** - Ita circumscripta exemptione religiosorum personali ac locali, quandocumque ipsa existat, edictaque prius illa ipso iure in regularium favorem, norma subditur generalis quoad ceteros religiosos, scilicet: *can. 618* § 1. *Religiones votorum simplicium* idest Congregationes *exemptionis privilegio non gaudent* pro tempore quo canon applicetur, *nisi specialiter eisdem* singulis *fuerit concessum* in praeteritum respectu applicationis canonis. Quoad futurum patet eodem peculiari modo concedi posse.

Attamen posita erga locorum Ordinarios subiectione, potestas istorum regitur sequenti canonis § 2. *In religionibus tamen,* quod verbum secumfert respectum ad § 1, ac consequenter supplenda sunt verba « votorum simplicium », etsi generaliori verbo utitur canon, nempe: *iuris pontificii*, qua denominatione Ordines etiam designarentur, sed voluit Codex ita excludere iuris dioecesani Congregationes. In his ergo religionibus *Ordinario loci* cuicumque, quamvis in eius dioecesi princeps sit domus, *non licet:* - 1° *Constitutiones* a) *ullatenus immutare* b) *aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535* ibi explicato. - 2° *Sese ingerere,* a) *in regimen internum* scilicet: religiosos respiciens, domos ac res intra religionis societatem, b) *ac disciplinam* videlicet: constitutionum ac votorum observantiam, *exceptis casibus in iure expressis* circa illas Congregationes; additur hac in re sequens religionum votorum simplicium distinctio: *nihilominus in religionibus laicalibus ipse* loci Ordinarius I° *potest* II° *ac debet inquirere* prudenter, ac praecipue in visitatione, ut dictum est in can. 512 § 2, n. 3°, a) *num disciplina ad constitutionum normam vigeat,* b) *num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit,* quod posset ob laicorum imperitiam accidere, c) *num contra clausuram peccatum sit,* quae sub illius custodia constituta est ad normam can. 604, § 3, *num d) Sacramenta* poenitentiae nempe ac communionis I° *aequa* ex ratione II° *stataque* ad normam can. 595 ac per proprias constitutiones *frequentia suscipiantur; et* quod sequitur

cognoscens ex inquisitione, « in religionibus laicalibus » solummodo iuxta idem praescriptum in const. « Conditae » Leonis XIII [1] Part. II, n. XI; nempe: *si Superiores* I° *de gravibus forte abusibus* II° *admoniti* a loci Ordinario III° *opportune non providerint* de remedio, in hac trina hypothesi Ordinarius loci *ipse per se* scilicet: loco Superioris *consulat* abusuum remotioni; concessa insuper eidem Ordinario ampliori facultate sequenti: *si qua tamen* a) *maioris momenti occurrant, quae* b) *moram non patiantur* expectationis necessariae post admonitionem praedictam, I° *decernat statim* pro remedio; II° *decretum vero* huiuscemodi *ad Sanctam Sedem deferat* cognoscendum eiusque S. Congregationis de Religiosis auctoritati subiiciendum.

695. **De potestate Ordinarii loci ad religiosos coercendos.** — Canones de religiosorum exemptione concessa, tum simpliciter iure privilegiove apostolico, tum secundum quid, sequitur completivus *can. 619. In omnibus in quibus religiosi*, sive regulares in expressis iure casibus, sive in eisdem specialiter exempti, sive religiosi votorum simplicium ad normam praec. canonis, sive iuris dioecesani absolute, *subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis* quibuscumque *coerceri.*

Quod memoria retineatur valde utile pro libro V, praesertim in Titulis V et VI.

696. **Indultorum participatio.** — Ne autem a religiosis gravis aestimetur erga loci Ordinarios subiectio, est magna opportunitate praeditus *can. 620. Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum* ex ordinaria vel delegata Sedis Apostolicae iurisdictione, *obligatio* illius *legis communis* idest: canonicae *cessat quoque* a) *pro religiosis omnibus* scilicet: exemptis et non exemptis b) *in dioecesi commorantibus* quacumque de causa, quin propter hoc relaxatio fiat ceterorum vinculorum, videlicet: c) *salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis* quoad earum obligationem.

697. **Privilegium Ordinum mendicantium.** — Distinctio invenitur in can. 582 circa Ordines, eius nempe qui est capax possidendi ab Ordine incapaci possessionis, quae habilitas intelligenda est de rebus in communi habendis praecipue immobilibus. Videlicet: sicuti votum sollemne paupertatis super simplex addit

[1] 8 Dec. 1900.

inhabilitatem professi acquirendi ac ut propria possidendi bona temporalia, ut colligitur ex can. 579, 582; ita sancti fundatores quorundam Ordinum v. gr. S. Franciscus, S. Dominicus instituerunt paupertatem in communi sectandam, ut eorum alumni affectum facilius excuterent a temporalibus et ab eorum cura liberi manerent carentes ipsis, simul et humilitatem atque contemptum figurae huius mundi omnibus ostenderent per necessariam victus emendicationem. Hinc ortum habuit denominatio ordinum mendicantium, eorumque distinctio a non mendicantibus, quamvis illud nomen quibusdam etiam ex his fuerit improprie attributum, quatenus nempe in privilegiis communicarent cum illis.

Conc. autem Trid. in cap. III, sess. XXV de regularibus... edidit decretum: « Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis, et domibus, tam virorum, quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de observantia vocantur, (nunc: ab unione Leoniana vel fratrum Minorum), etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex apostolico privilegio non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat ». Qua concessione usi sunt Ordines mendicantes v. gr. Sti. Dominici, et hinc distinctio horum mendicantium ex instituto ab aliis v. gr. sancti Francisci Capuccinorum vere mendicantium.

Cum ergo in Codice statuat can. 1503... « vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine »; sequitur verum esse privilegium Ordinum mendicantium, ut ex incerta mendicitate victum quaerant. Atque ob connexionem cum exemptione ab Ordinariis locorum, immediate post interpretatos ultimo canones succedunt alii de huiusmodi quaestuatione.

Can. 621. § 1. *Regulares, qui* a) *ex instituto mendicantes vocantur et* b) simul vere mendicantes *sunt* scilicet: iuxta dicta, Fratres minores, S. Francisci Capuccinorum, nec sub illis comprehendantur inter mendicantes ex instituto fratres domuum quae non possident sufficientia in communi, iuxta interpretationem authenticam Commissionis Pontificiae infra referendam. « Regulares » igitur supra declarati *eleemosynas* 1° *in dioecesi*

tota, a) *ubi eorum religiosa domus est constituta*, b) *quaerere valent* c) *de sola Superiorum suorum licentia* localium vel maiorum secundum constitutiones, et recte, nam « Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo domus fundationi consensum praebuerunt », ex Dec°. S. C. de Religiosis (21 Nov. 1908, I, 1°); 2° *extra dioecesim vero* illius domus *indigent praeterea* a) *licentia* b) *scripto data* c) *ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt* praevie igitur « obtinenda per suos Superiores » (ib. 2°).

Interpretatio authentica huius canonis sic data fuit per Pontif. Comunis ad Cod. canones auth. interpretandos[1]: « 10. Utrum can. 621, § 1, intelligendus sit tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dicti; an etiam de illis, qui latiori sensu tales appellantur, uti sunt Fratres Ordinis Praedicatorum.

Et quatenus affirmative ad primam partem.

An dicti mendicantes indigeant Ordinarii licentia, si velint stipem petere in dioecesi pro aedificatione, ornatu, etc., suarum ecclesiarum.

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam: quod vero attinet ad licentiam ab Ordinario obtinendam provisum in cit. can. 621, § 1 ».

Illius Ordinarii normam de huiusmodi licentia exhibet § 2. *Hanc licentiam* a) *Ordinarii locorum* quorumcumque, ast b) *praecipue dioecesium finitimarum* alteri in qua sita est domus religiosa in cuius gratiam stips colligitur, a) *nisi gravibus et urgentibus de causis*, v. gr. ex dioecesis propriae adversis circumstantiis, I° *ne denegent* petitam II° *neve revocent* scripto datam, b) sub conditione: *si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit.*

698. **De Congregationibus stipem quaerentibus.** — Oppositum praec^i^. cap^i^. praescribit *can. 622. § 1. Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si* a) *hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea* b) *licentia scripto data ab Ordinario loci*, in cuius dioecesi domus eorum sita

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 478.

fuerit (ut colligitur ex n. 3°, II Dec[i]. cit[i]. unde hic canon est transcriptus) *nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit* (II, 1°).

§ 2. *Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare nequaquam possunt sine* a) *licentia* b) *scripto data tum* 1° *ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum* 2° *ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.*

In Dec°. S. Congr. de Religiosis 21 Nov. 1908, legitur n. 3: « Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque domo cuiusque religiosi suae dioeceseos Instituti, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare ». Haec pars omissa in canone, sed quae prudenter ad praxim deduci posse videtur, necessario supponenda est pro faciliori intelligentia secundae partis eiusdem numeri cuius verba refert § 3. *Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum* ubi sunt earum domus *licentiam quaeritandae stipis ne concedant,* et hoc observandum *praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium* de quibus est canon praecedens, *nisi sibi constet* a) *de vera domus vel pii operis* eorum *necessitate,* b) *cui alio modo occurri nequeat;* possunt itaque postulare huiusmodi necessitatis probationes praevias elargiendae licentiae; imo sub conditione *quod si necessitati* praedictae *provideri possit stipe quaerenda intra* a) *locum* ubi sit domus b) *seu districtum* plurium locorum viciniorum c) *vel dioecesim in qua iidem commorantur,* eo casu praescriptum est: *ampliorem licentiam ne largiantur.*

Animadvertatur verum esse etiam nunc quod invenitur scriptum in Dec°. S. Congr. EE. et RR. « Singulari quidem »[1] n. IV. « Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae, nulla petita licentia, ad sublevandam domum vel piorum operum, quibus praesunt, inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur ». Haec revera non significantur proprie verbis « stipem petere », « quaeritare stipem », quae posita sunt in canone.

§ 4. *Sine authentico et recenti* quoad tempus applicandi canonis in futurum *rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia*

[1] 27 Mart. 1896.

Orientali, Ordinarii latini a) quoad ritum et *b)* locorum I° *nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis* clericum *et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere,* II° *nec suum subditum in orientales dioeceses ad eumdem finem* stipem colligendi *mittant.*

Hic paragraphus locum obtinuit motivo quaestuationis exercendae, ut plurimum per clericos (non exclusis religiosis), potiusquam ob connexionem ratione personarum. Et interpretatio data est secundum litteras circulares S. Congr. de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis [1], ubi sub n. I. additur de Rescripto: « quo facultas eidem fit, tum a propria dioecesi discedendi, tum eleemosynas colligendi ».

« II. Quod si, neglectis hisce Apostolicae Sedis mandatis, aliquis Orientalis ecclesiasticus vir, etiamsi commendatitiis Praelati sui litteris munitus, Europam, Americam vel alias peragret regiones ad eleemosynas colligendas; Ordinarius loci in quo versatur, eumdem moneat de vetita emendicatione, eumque non admittat ad Missae celebrationem nec ad aliorum ecclesiasticorum munerum exercitium ». Quod, prudentia suadente, adhuc servari poterit.

« III. Si autem pervicacem se prodat, Ordinarius, etiam per publicas ephemerides, clerum et fideles moneat huiusmodi pecuniae quaestus ut illicitos et reprobatos habendos esse.

IV. Demum, si aliquod dubium oriatur, Ordinarii ad hanc sacram Congregationem (pro Ecclesia Orientali) referant, quae opportune providebit ».

699. **Qualitates quaestuantium.** — *Can. 623. Non licet Superioribus* religiosis *stipem colligendam committere, nisi* a) *professis* b) *aetate* c) *animoque maturis,* et hae conditiones iubentur *maxime si de mulieribus agatur* mittendis ad hoc, et absoluta prohibitio sequitur quoad viros: *numquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt* (I, 7°).

700. **Modus et disciplina.** — *Can. 624. Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum* v. gr. de humilitate, modestia, urbanitate, *et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam* v. gr. quoad spiritualia exercitia, hospitium quaerendum, etc., *religiosi utriusque sexus* etiam regulares vere mendicantes *stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis*

[1] 1 Ian. 1912.

et pro tempore vigentibus. Initio vigoris Codicis hae instructiones inveniuntur in Dec°. cit°. num^{s}. I. 6°, 8°, 9°, 11°. 13° (CO. I, 153).

701. **Privilegia Abbatum de regimine.** — Abbatum regularium privilegia ultimo loco huius capitis sunt destinata congruenter connexioni cum sequenti capite, in quo dignitatum ecclesiasticarum mentio fit, eo quod eis accedit Abbatialis dignitas. - *Can. 625. Abbates* a) *regulares*, hinc excluduntur Abbates dicti saeculares, b) *de regimine*: scilicet: actu regimen subditorum habentes, c) *legitime electi*, ut conditio illius canonici regiminis, *debent* a) *intra tres menses ab electione* computandos cum exclusione diei electionis ad normam can. 34, § 3, 3° [1], eo quod confirmatione ipsis opus non sit, necessaria solummodo Abbatibus nullius de quorum benedictione canonem vidimus similem 322 in cap. X « de Praelatis inferioribus » tit. VII Partis primae, b) *benedictionem* Abbatis sub hoc titulo in Pontificali Romano descriptam, *accipere* c) *ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est*, quia de Abbate nullius aliter fuit praescriptum in can. 322, § 2; et quamvis cum praevia canonica officii possessione plenum regimen obtineant, statuit canon: *postquam vero benedictionem receperint, praeterquam* I° *potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1*, videlicet: « Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio nullius », prout in canone quem commentamur: « potest conferre primam tonsuram et ordines minores », non maiores, idque congruit veteri iuri Conc. Trid. in cap. 10 sess. XXIII, « dummodo *a*) promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, *b*) ipse vero (Abbas) sit presbyter *c*) et benedictionem abbatialem legitime acceperit ». Valde notanda verba sequentia: « Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio », etiam salvo in const. « Commissi » Bened. XIII, [2], aut expresso in Decretalibus [3], (vel se gerendi ut benedictum, etiam 1° benedictione

[1] Can. 34. § 3. Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis... et terminus *a quo* explicite... assignetur: - 1° Menses et anni sumantur prout sunt in calendario;... 3° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex gr... *octiduum a vacatione Sedis episcopalis, decendium ad appellandum* etc. primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

[2] 6 Maii 1765.

[3] Cap. 1, tit. 10, Lib. 1.

abbatiali non recepta equidem absolute, vel II° sub conditione decursus temporis ipsam petendi, ac ultra illud quando Episcopus ter humiliter expostulatus renuerit illam conferre); ordinatio igitur secus ac dictum est in can. 964, n. 1° collata « est irrita, nisi ordinans (Abbas) charactere episcopali polleat ». - Sequitur in canone 625 quem commentamur: post Abbatis benedictionem receptam ex praedicti canonis initio « Abbates regulares » II° *fruuntur privilegiis de quibus in can. 325* statutum est ut iisdem potirentur Abbas et Praelatus nullius, ibique illa fuerunt declarata; *excepto pileolo violaceo* ex quo ubicumque discernentur isti ab illis Abbatibus de regimine absque territorio nullius.

Quaeri potest an Abbates regulares de regimine queant semper retinere in propria ecclesia thronum cum baldachino, et etiam ultra tres dies ab Alex. VII concessos officia divina pontificali ritu celebrare? - Ad solutionem iuvat animadvertere quod iuxta can. 2: « omnes liturgicae leges vim suam retinent nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur ». Porro huiusmodi sunt Decreta S. R. C. sub Alex. PP. VII, quae propterea ut vigentes leges fuerunt inserta in collectione eiusdem S. Congregationis [1], atque sic asserta in Dec°. Ordinis Monachorum S. Basilii [2]. Insuper Decreta illa non sunt « expresse correcta » in can. 625, qui solummodo ait: « fruuntur privilegiis de quibus in can. 325 », quae clausula proprie significat eorum conservationem. - Nequidem « expresse » corriguntur in can. 325, quia hic nec implicite innuit dies aut modum quoad pontificalium usum, sed tantum designat a) locum, qui pro Abbatibus regularibus de regimine est propria ecclesia huiusque filiales, b) « utitur insignibus pontificalibus cum throno et baldachino », ut patet quando sollemniter pontificali ritu celebrat, c) « et iure ibidem officia divina (idest: vesperas quoque, matutinas, etc.) pontificali ritu celebrandi ».

Tantummodo implicite correctum invenitur Decretum S. R. C. sub Alex. VII quoad num. 21: « In Missis privatis... neque utantur cruce pectorali », quia statuente can. 325: « crucem autem pectoralem... potest etiam extra territorium deferre »,

[1] Dec. auth. n. 1131.
[2] 18 Dec. 1846, n. 2923.

quod idem sonat ac « ubique ». ratio non deprehenditur. nec conveniens videtur debere ipsam deponere ad missam privatim celebrandam, eo magis quod quibusdam protonotariis (qui ceteroquin eam ubique deferre nequeunt) in Missae celebratione conceditur. Imo haec praefati Decreti derogatio videtur implicite verbo « etiam » esse contenta.

CAPUT III.

De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis.

CAN. 626. - § 1. Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint.

§ 2. Legitime ab aliquo collegio electus, nequit electioni assentiri sine licentia Superioris.

§ 3. Si voto teneatur non acceptandi dignitates, specialis Romani Pontificis dispensatio est necessaria.

CAN. 627. - § 1. Religiosus, renuntiatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis, manet religiosus, particeps privilegiorum suae religionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse, salvo praescripto can. 628.

§ 2. Eximitur tamen a potestate superiorum et, vi voti obedientiae, uni Romano Pontifici manet obnoxius.

CAN. 628. - Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus:

1°. Si per professionem dominium bonorum amiserit, bonorum quae ipsi obveniunt, habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem vero Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae; ceteri, Ordini vel Sanctae Sedi, ad normam can. 582, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 19;

2°. Si per professionem dominium bonorum non amiserit, bonorum quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit;

3°. In utroque autem casu de bonis, quae ipsi obveniunt non intuitu personae, debet disponere secundum offerentium voluntatem.

CAN. 629. - § 1. Dimisso cardinalatu vel episcopatu vel expleto munere extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso, religiosus ad religionem redire tenetur.

§ 2. Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat; sed caret voce activa et passiva.

CAN. 630. - § 1. Religiosus, qui paroeciam regit titulo parochi sive titulo vicarii, manet adstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere.

§ 2. Quare, in iis quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cuius proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in eius agendi rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus ferat, corrigere.

§ 3. Bona quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum.

§ 4. Non obstante voto paupertatis, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas ac-

cipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium.

CAN. 631. - § 1. Idem parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores Superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta.

§ 2. Ordinarius loci, ubi eum suo muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest; in quo nihilominus Ordinarii facultates minime privativae sunt, sed Superior ius cumulativum cum ipso habet, ita tamen ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decerni contingat, decretum Ordinarii praevalere debeat.

§ 3. Quod attinet ad parochi vel vicarii religiosi remotionem e paroecia, servetur praescriptum can. 454, § 5; et quod ad bona temporalia, praescriptum can. 533, § 1, n. 4, et can. 535, § 3, n. 2.

702. **Inscriptio capitis ordoque canonum.** — Sequitur *Caput III* tractans *De obligationibus et privilegiis*, utrisque peculiaribus *religiosi ad ecclesiasticam dignitatem* v. gr. Episcopatus, Cardinalatus *promoti vel paroeciam regentis*, alterutra de causa promanantibus, praeter eas obligationes ac privilegia illa quae in relativis canonibus earum dignitatum vel officiorum exposita fuerunt de huiusmodi religiosis, vel communia etiam Episcopis, Cardinalibus, parochis ac vicariis ex clero saeculari assumptis.

Respondet generaliter capitis inscriptioni can. 626 quoad promotionem religiosi: can^s^. 627, 628, effectus promotionis religiosi ad dignitatem extra proprium ordinem declarant tum generaliter tum quoad votum paupertatis: et quid iuris dimissa dignitate vel expleto munere observandum tradit can. 629; alii duo canones religiosum, qui paroeciam regit, considerant, canones 630 ut religiosum, et can. 631 ut parochum vel vicarium paroecialem.

703. **Licentia vel dispensatio necessaria.** — *Can. 626.* § 1. *Religiosus nequit*, ex susceptis obligationibus, *sine Sedis Apostolicae auctoritate* (quandoque Christi stricte vicaria), sive implicita in promotione, sive quoad paroecias domui religiosae non unitas concedenda per S. Congr. Concilii iuxta declarationem S. Congr. Consist. [1], *ad dignitates*, scilicet: quae a Praelatura proprie nullius inferiorem limitem sortiuntur, *officia*

[1] 5 Jul. 1915, C O. VII, 327.

quolibet sensu ad normam can. 145, § 2, *aut beneficia*, quorum definitio est in can. 1409[1], ad normam can. 1412[2], *promoveri*, (quatemus hoc fit « provisione canonica »), *quae cum statu religioso* iuridico in can. 488, 1° definito *componi non possint*. Et ratio patet, cum illae obligationes coram Deo susceptae iure canonico comprobatae sint.

Insuper ad quaecumque, etsi cum praefato statu compatibilia, propter obedientiae votum est sapienter positus § 2. *Legitime* idest: ad ss. canonum normam *ab aliquo collegio electus* sicut vidimus in Art°. « de electione » II, cap[s]. I, tit[i]. IV, Partis primae, *nequit* religiosus *electioni* de se factae *assentiri* ad normam canonis 175, *sine licentia Superioris* sui ad hoc competentis iuxta proprias constitutiones. Ita scriptum est in cap. 27 « de electione et electi potestate » (I, 6): « Si religiosus (cuius arbitrium non ex sua, cum velle vel nolle non habeat: sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, et cuius imperio se subiecit, voluntate dependet) electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium, vel suam ecclesiam celebratae, sui superioris, qui dare ipsam valeat, non petita licentia et obtenta, praesumpserit consentire, consensus sic praestitus non teneat ». Unde post « octiduum utile omne ius ex electione quaesitum amittit » congruenter cap. 2 « de electione » in Extrav. com. - Atque DD. vocabant *postulationem simplicem* actum requirendi per electores talem licentiam, ad discernendum illum a postulatione subsidiaria electioni, quam appellabant *postulationem solemnem*. Sed melius Codex attribuit religioso electo necessitatem obtinendi licentiam praedictam, illi enim potius quam electoribus instat motivum illius necessitatis.

Denique pro quibusdam religiosis monitum continet § 3. *Si voto teneatur*, supple religiosus ex §° 1°, *non acceptandi dignitates*, illa de causa *specialis Romani Pontificis* ut Christi in terris Vicarii *dispensatio* illius voti *est necessaria*, ut licite consentiat promotioni.

704. **Effectus generales promotionis.** — *Can. 627*. § 1. *Religiosus, renuntiatus* scilicet: in Consistorio, vel per decretum

[1] Can. 1409. Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.

[2] Can. 1412. Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt...

nuntiatus tamquam revera creatus *Cardinalis aut* promotus *Episcopus sive residentialis sive titularis, manet* a) *religiosus* b) *particeps privilegiorum suae religionis* forsan concessorum peculiariter eiusdem episcopis, c) *votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse, salvo praescripto can. 628*, scilicet: sequentis.

Rationem ac expositionem canonis optimas referimus ex D Th. (II-II q. CLXXXV art. 8 corp.) « Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (in alio art.), status religionis ad perfectionem pertinet, quasi quaedam via in perfectionem tendendi; status autem episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisterium ». Et huius participes sunt S. R. E. Cardinales ad normam can. 230. « Unde status religionis comparatur ad statum episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, et dispositio ad perfectionem. Dispositio autem non tollitur, perfectione adveniente, nisi forte quantum ad id in quo perfectioni repugnat; quantum autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur; sicut discipulo, cum ad magisterium pervenerit, non congruit quod sit auditor; congruit tamen ipsi quod legat et meditetur etiam magis quam ante. Sic ergo dicendum est quod si qua sunt in regularibus observantiis, quae non impediant pontificale officium, (vel dignitatis), sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas et alia huiusmodi, ad haec remanet religiosus etiam factus episcopus obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae religionis » (scilicet ex iure praec. vestes quoad formam secundum adeptam dignitatem, quoad colorem conformes habitui religioso), « qui est huius obligationis signum. - Si qua vero sunt in observantiis regularibus, quae officio pontificali (vel dignitati cardinalitiae) repugnant, sicut est solitudo, silentium et aliquae abstinentiae, vel vigiliae graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium, ad huiusmodi observanda non tenetur. In aliis autem potest dispensatione uti, secundum quod requirit necessitas personae vel officii, et conditio hominum cum quibus vivit, per modum quo etiam praelati religionum in talibus secum dispensant ».

Praescriptum explicati §i congruit veteri iuri, nempe: consti « Custodes » Benedicti XIII iuxta declarationem S. Congr. EE. et RR. [1] quae sic censuit: « ad praescriptum Const. Bened. XIII " Custodes ".... Episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen ut in peculiaribus casibus prodenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.

Atque Bened. fel. regn. PP. XV in suo Motu proprio « Episcopis e regularibus » [2] statuit: « ut omnes Episcopi regulares iam nunc rocheto utantur (loco superpellicei), atque eodem prosus modo induti incedant ac saeculares Episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate. Itaque, praeter casus in quibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta, mozzeta tantum super rocheto, aut mozzeta cum mantelleto gestari debet aut potest, alias, uti omnes Episcopi, semper in hac alma Urbe mantelleto tantum super rocheto gerant ».

[1] 6 Maii 1864, A. S. S. I., p. 645.
[2] 25 Apr. 1920. CO. XII, 149.

De obedientiae voto in praxi restringendae continet declarationem sequens canonis § 2. *Eximitur tamen a potestate Superiorum* propriae religionis *et vi voti obedientiae. uni Romano Pontifici manet obnoxius* ad normam can. 499, § 1. De hoc iam scripserat D. Th. loc. cit. in resp. « ad 3m dicendum quod hoc est per accidens quod episcopi religiosi obedire praelatis suarum religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut et ipsi praelati religionum, manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter; ita scilicet quod si eis legitime aliquis praeficeretur, obedire tenerentur, inquantum tenentur obedire statutis regulae per modum praedictum, et suis superioribus, si quos habent ». Et vidimus in can. paulo ante cit°. illud a D. Thoma fuisse assertum respectu ad Romanum Pontificem.

705. **Circa votum paupertatis** distincte ac palam statuit canonicos promotionis effectus *can. 628. Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam*, ut infra, altiorem praedicta vel eidem iure accedentem v. gr. Legati Romani Pontificis *extra propriam religionem evectus*: - *1° Si per professionem dominium bonorum amiserit*, sicut evenit per solemnem professionem etiam quoad capacitatem iuridicam eadem acquirendi, *bonorum quae ipsi obveniunt*, clausula declarata in can. 582, *habet* a) *usum, usumfructum et administrationem* per se vel per alios ad libitum exercendam; b) *proprietatem vero Episcopus residentialis*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2) *Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, acquirit dioecesi, vicariatui, praefecturae; ceteri* scilicet: Episcopi titulares, Cardinalis, Legatus Romani Pontificis, *Ordini vel Sanctae Sedi*, correcta editione Comment. officialis, *ad normam can. 582*, loquentis cum eadem distinctione de regulari, c) *salvo praescripto can. 239*, § 1, *n. 19;* scilicet: privilegio Cardinalium « de reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can. 1298 ». Huic 1° numero consentit antiqua doctrina iuris et D. Th. in responsione cita. sub can. praec. ubi ait: « Proprium autem nullo modo habere possunt (Episcopi regulares). Non enim paternam haereditatem vindicant quasi propriam, sed quasi Ecclesiae debitam, (et citat ius ex Dec°. Gratiani). Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quae morte finitur, ex qua

incipit testamentum valere, ut Apostolus dicit (Hebr. IX). Si tamen ex concessione Papae testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum; sed apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suae dispensationis, ut eius dispensatio possit valere post mortem ». Haec Angelicus.

Econtra 2° *Si* religiosus evectus ut supra, *per professionem* (simplicem quidem) *dominium bonorum non amiserit, bonorum quae habebat*, et quorum consequenter proprietatem servat, *recuperat* a) *usum, usumfructum* de quibus disposuit ad normam can. 569 *et administrationem* quam cessit (ex eod. can.) alteri; et similiter bona b) *quae postea ipsi obveniant* etiam ex industria sua, non « religioni » ad normam can. 580, § 2, sed *sibi plene acquirit* coram Ecclesia et in conscientia. Quod explicari potest, vel facilius et congruenter proprietati verborum ex voti a iure dispensatione, vel etiam voto integro ad normam can. 627, § 1 « votis adstrictus », sed ut administrator secundum paupertatem fidelis Deo.

Monetur autem 3° *In utroque autem casu* scilicet: sub n[is]. 1° et 2° *de bonis quae ipsi* regulari vel religioso votorum simplicium, ut supra, evecto, *obveniunt non intuitu personae* eiusdemque laboris, *debet disponere secundum offerentium voluntatem* acceptatam saltem ex quasi-contractu.

706. **Regressus in religionem.** — Consequenter dictis in can. 627 « manet religiosus » etc. praescribit *can. 629*. § 1. *Dimisso cardinalatu vel episcopatu*, scilicet: per renuntiationem dignitatis acceptatam, alterutriusve privationem, aut saltem dimisso officio etsi retenta dignitate congruenter iuri praec[i]., *vel expleto munere* v. gr. Legati Romani Pontificis *extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso* quolibet, forsitan quod « cum statu religioso componi non possit » ad normam canon. 626, § 1, *religiosus ad religionem redire tenetur* vi huius canonis et illius obligationum, quibus « manet adstrictus » (canon 627, § 1). - Idque intelligendum autem cum facultate ac limitatione quas exprimit § 2. *Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat*, scilicet: quoad hoc a Superioribus eximitur rediens in religionem qualibet ex causa; *sed caret voce activa et passiva* congruenter iuri praec[i]. Videlicet: inhabilis est ad ferendum suffragium in religionis electionibus, atque etiam ut pro eodem suffragia in ipsis dentur ad diversa religionis munera.

707. **Parochus et vicarius prouti est religiosus.** — *Can. 630*, § 1. *Religiosus, qui paroeciam regit sive titulo* idest ex canonica provisione officii *parochi* cuius nomine in iure venit quasi parochus ex can. 451, § 2, 1°, *sive* (titulo, ut antea) *vicarii* cuiuslibet; ac praesertim personae moralis et oeconomi, *manet adstrictus ad observantiam votorum et constitutionum* ad normam can. 593 ibi explicatam, *quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis* idest: obligationibus *consistere.*

Cum igitur in his habeat subiectionem erga Superiores et Capitula ad normam can. 501, § 1, additur consequenter § 2. *Quare in iis quae ad religiosam disciplinam* idest: ad actiones religionis observantiis conformes *attinent, subest Superiori* etiam locali, *cuius proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci*, ita ut hic exclusus maneat, a) *in eius* religiosi parochi seu vicarii *agendi rationem circa haec omnia* qua religiosi officia *inquirere* ad informationem sui, b) *eumque* religiosum, *si casus ferat*, scilicet: si deviet, *corrigere.*

Admonet autem Bened. XIV in const. « Firmandis »[1] Episcopos quoad personalem parochi visitationem, et statuit congruenter §°. quem commentamur: « Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt ».

§ 3. *Bona quae ipsi* religioso praedicto a) *obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur*, scilicet: ex intentione dantium favendi paroeciae, non ratione ministerii paroecialis a seipso exerciti, *ipsi paroeciae acquirit;* b) *cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum.* Scilicet: si est professus votorum simplicium, ad normam sub distinctione modi acquirendi in canon. 580, §§ 1, 2; si est professus votorum solemnium ad normam can. 582.

Huic praescripto lucem afferunt, quae Leo XIII fel. rec. in const. « Romanos Pontifices »[2] sic exponit: « Tandem ne quis obrepat error aut dissensus... definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missio-

[1] 6 Nov., 1744 § 8. — [2] 8 Maii 1881.

num (paroeciae) intelligantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, placuit parocho vel rectori Ecclesiae collatam donationem praesumi. At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem.... cuius vi hodie pene solae oblationes quae in Ecclesia sub missis ad altare fiunt et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicantes ».

Et infra scriptum est: « Legis porro sese interponens auctoritas, si largitionum tempora et causas praestituat, illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu ».

§ 4. *Non obstante voto paupertatis*, quod vetat dominii actus saltem a Superiorum consensu independentes, *eidem* religioso de quo in can. *licet* ratione officii paroecialis, quin alia indigeat licentia, *eleemosynae* a) *in bonum paroecianorum*, b) *vel pro scholis catholicis* c) *aut locis piis paroeciae* his et istis *coniunctis*, I° *quovis modo* licito sed dantibus beneviso a) *oblatas accipere* b) *aut* « modo » sibi placito *colligere* movens alios ad eas dandas, II° *et acceptas sive collectas* ut supra *administrare* quoad conservationem, collocationem servato canon. 533, § 1, 4°, et § 2, reddituum exactionem, *itemque* III° *servata offerentium voluntate pro prudenti suo arbitrio*, in determinatas personas, vel scholam, vel locum pium, *erogare*, quae liceitas explicari potest ob tacitum vel praesumptum Superioris consensum, quando ad eius praesentationem suscepit paroeciale munus, *salva semper vigilantia sui Superioris*, ut extra praedictos limites parochus aut vicarius non excurrat, et adhuc diversitas sequens notanda: *sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali* a) *aedificanda* b) *conservanda*, ne in ruinam vergat, c) *instauranda* quando reparationibus indigeat, d) *exornanda* quomodolibet, I° *accipere*, II° *apud se*, scilicet: cui tribuentur infra, *retinere*, III° *colligere* uti hoc verbum declaratum est antea, IV° *aut administrare pertinet ad Superiores*,

inter quos venit localis, sub conditione: *si ecclesia sit communitatis religiosae*, et heic implicite continetur, quod S. Congr. disciplinae regularis interdixit [1] ne quis Regularis simul parochus et Prior existat; - *secus* idest: deficiente illa conditione, pertinent antedicta *ad loci Ordinarium*, qui potest eadem agere per religiosum parochum aut vicarium, velut per ministrum.

Ex postrema clausula sequitur canonem esse quoque applicandum illis religiosis, qui paroecias saeculares regunt eis commissas ex concessione S. Congr. Conc. vel alia contra ius commune.

708. **Religiosus parochus vel vicarius qua talis.** — *Canon 631.* § 1. *Idem parochus vel vicarius religiosus* declaratus in § 1° can. praec^s., *licet ministerium* paroeciale *exerceat* habitans *in domo seu loco*, cui adnexa sit paroecia, *ubi maiores sui Superiores religiosi ordinariam sedem* scilicet: residentiae *habent*, *subest immediate omnimodae* a) *iurisdictioni*, b) *visitationi et* c) *correctioni Ordinarii loci*, *non secus ac parochi saeculares*, *regulari observantia unice excepta*, cui provisum est per can. praec. explicatum. Hinc Superiori religioso non licet se intromittere in paroeciae regimen, nisi quantum eidem conceditur sub hypothesi per §. sequentem.

Hic et sequens paragraphus iuri veteri omnino congruunt vindicato et explicato quoad eorum determinationes in Const. « Firmandis » Bened. XIV [2]. § 2. *Ordinarius loci*, *ubi eum religiosum suo muneri* paroeciali ad normam cap. IX tit. VIII « de parochis » *defecisse compererit*, a) *opportuna decreta condere ac* b) *meritas in eum poenas statuere potest; in quo nihilominus* exercendo *Ordinarii* praedicti *facultates minime privativae sunt* ipsius, excluso religiosi Superiore, sicut contrarium praescriptum est in can^s. praec^s. § 2 de hoc Superiore respectu Ordinarii loci, *sed Superior ius cumulativum cum ipso habet*, scilicet: eisdem facultatibus potitur in opportunis decretis edendis ac poenis infligendis erga religiosum parochum vel vicarium ac propter culpas easdem, et quamvis oporteat ut unus eorum alteri deferat praeoccupanti exercitium eiusdem potestatis, *ita tamen* subiungit canon: *ut*, *si aliter a Superiore*, *aliter ab Ordinario decerni contingat*, *decretum Ordinarii*, cui oves com-

[1] 28 Maii 1715.
[2] VIII idus Nov. 1744.

missae sunt, quarum curam gerit religiosus, *praevalere debeat*, et servandum unice.

Ob connexionem rememorat § 3. *Quod attinet* a) *ad parochi vel vicarii religiosi remotionem a paroecia, servetur praescriptum can. 454*, § *5* ibi explicatum; b) *et quod ad bona temporalia, praescriptum can. 533*, § *1*, *n. 4*, de collocatione pecuniae, quae « data sit paroeciae, aut religiosis intuitu paroeciae » pro qua « praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur », uti adnotavimus ad §. 4 can^s. 630, *et can. 535*, § *3*, *n. 2*, quoad reddendam Ordinario loci rationem « de administratione sive fundorum legatorumve qui tributi sint ad Dei cultum beneficientiamve eo ipso loco impendendam, sive pecuniae datae paroeciae, aut religioso intuitu paroeciae ».

TITULUS XIV.

De transitu ad aliam religionem.

CAN. 632. - Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel a monasterio suis iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis.

CAN. 633. - § 1. Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet: quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae.

§ 2. Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit.

§ 3. Transiens ad aliud monasterium eiusdem Ordinis nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem.

CAN. 634. - Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiori eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu.

CAN. 635. - Transeuntes ad aliud monasterium eiusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione;

1°. Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et officia suscipiunt;

2°. Religio vel monasterium *a quo* bona servat, quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551, § 2; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1.

CAN. 636. - Sollemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur.

709. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — Iuxta explicatam prius Titulorum coordinationem consequenter considerandus venit *Titulus XIV. De transitu* professi unius religionis ab ea *ad aliam religionem*, servato inde iuridice statu religioso; normae autem considerant quoque casus transeundi de uno sui iuris Monasterio in aliud, etsi hoc sit eiusdem religionis ac primum v. gr. Sti Benedicti. — Posita generali transitus prohibitione in can. 632, quid transiens peragere debeat ex his quae iure facienda didicimus ad plenam admissionem in novam religionem, quidque interim de prioribus obligationibus servandum sit ab illo, decernit can. 633, quandonam et quae professio temporaria sit praetermittenda concedit can. 634; deinde propter gradatam novae religionis susceptionem effectus recensentur in can. 635, 636, in hoc autem ultimo quoad praecedentem votorum solemnitatem quidquam notabile decernitur.

710. **Vetitum transitus.** — *Can. 632. Religiosus*, nempe: « qui vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 7°), his vigentibus forsan temporaneis, *nequit ad aliam religionem* diversam iuxta can. 488, n. 1° quamcumque *etiam strictiorem*, contra ius praecedens, *vel e monasterio sui iuris* virorum vel mulierum scilicet: non unito aliis in provinciam religionis (canon 488, n. 8°), quod semper verum est de monasteriis monialium, etiam « quarum vota pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia » (can. 488, 7°) *ad aliud* etsi eiusdem religionis *transire sine auctoritate Apostolicae Sedis*.

711. **Iura et obligationes transeuntis.** — Praedicti vero cuiuslibet transitus permissione obtenta, sequentes canones sunt in illo perficiendo applicandi. - *Can 633*, § 1. *Transiens ad aliam religionem* ad normam can. 488, 1°, unde « transiens » quoque a Congregatione religiosa tertii ordinis ad monialium monasteria vel ad domos regulares eiusdem Ordinis, non « postulatum peragant » (can. 539) de quo silet canon praesens, sed *novitiatum* in ea religione ad quam transit *peragere debet*, de quo tractatur in cap. II, tit. XI; *quo durante*, I° *manentibus votis* quoad vim actu obligandi, II° *iura et obligationes particulares*, secus si harum aliquae sint etiam novae religioni communes, a) *quas in religione* per transitum *derelicta habuit*, b) *suspensa manent* quoad iuris usum et obligationis observantiam, III° *et ipse obligatione tenetur*, a) *Superioribus*

novae religionis quibus subiiciatur b) *et ipsi novitiorum Magistro* iuxta uniuscuiusque potestatem *parendi* non solum ad normam can. 561, § 2, sed *etiam ratione voti obedientiae*, veluti Superioribus eidem datis per hunc canonem a « supremo Superiore » religiosorum (can. 499, § 1).

Consequenter ad normam can. 571 necessarius fuit § 2. *Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem* nempe: a qua transiit *redire debet*, propter dicta in § 1, proindeque cum exceptione: *nisi interim votorum tempus exspiraverit*, tunc enim applicandus esset can. 637 postea exponendus.

Ob distinctionem transitus in can. 632 explicatam, opus fuit complere hunc canonem § 3. *Transiens* religiosus vir aut mulier *ad aliud* a) *Monasterium* sui iuris, sed b) *eiusdem Ordinis* quamvis alterius Congregationis monasticae, a) *nec novitiatum peragit* b) *nec novam emittit professionem*, quia solum personae Superiorum sociorumque mutantur et locus, manentibus quoad substantiam eisdem omnino iuribus et obligationibus status religiosi in concreto, propter identitatem religionis.

712. **Professio temporaria praetermittenda.** — Vidimus in canone 574, professionem post novitiatum temporariam praemittendam necessario professioni perpetuae: si ergo in perpetuum professus transeat in aliam religionem, quaeri poterat num sicut novitiatum peragere debet ad normam can. praec., professionem quoque temporariam praemittere debeat. Propter hoc subiicitur opportune respondens negative *can 634. Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si* alteruter *transierit ad aliam religionem* a) *cum votis sollemnibus vel* b) *simplicibus perpetuis, post novitiatum* in religione ad quam transiit, *praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574*, et hoc ibi fuit adnotatum, *vel* I° *admittatur ad professionem* respectu habito ad litteras a) et b) praecedentes a) *solemnem aut* b) *simplicem perpetuam vel* II° *ad pristinam redeat religionem:* congruenter autem can. 571, § 2 et can. 574, § 2, de prorogando novitiatu « non ultra sex menses », atque de prorogando tempore professionis temporariae, « non tamen ultra aliud triennium »; in casu canonis quem commentamur est praescriptum: *ius tamen est Superiori*, ad admissionem competenti ad normam can. 543,

a) *eum probandi diutius*, b) *sed non ultra annum ab expleto novitiatu*, computandum ad normam can. 34, § 3, n. 2° [1], eo quod annus novitiatus expletur quoad liceitatem professionis cum fine diei ut dictum est in can^s. 555 explicatione.

713. **De bonis temporalibus transeuntis.** — *Can. 635. Transeuntes* viri ac mulieres a) *ad aliud monasterium* sui iuris *eiusdem religionis* quamvis pro viris esse possit diversae Congregationis monasticae, *a die transitus* perfecti per ingressum in istud, idest: cum hac « die » computando propter parallelum cit^i. can^i. [1] exemplum, sequuntur effectus postea enumerandi, b) *ad aliam vero religionem* transeuntes etiamsi de uno Monasterio in aliud, *ab edita nova professione* scilicet: ab illius momento: — *1° Amittunt* a) *omnia iura et obligationes* b) *prioris religionis*, nec in hoc casu adest difficultas, secus in sequenti a) *vel monasterii*, ita ut post egressum maneant illa suspensa, *et alterius* ad quam vel ad quod respective transeunt b) *iura et officia suscipiunt* ingredientes « in novum monasterium eiusdem religionis »; et sic numquam determinatis iuribus et officiis destituuntur; - *2° Religio vel monasterium a quo* a) *bona servat, quae ipsius religiosi ratione* ad normam can. 580, § 2 vel 582, n. 1° vel ex renuntiatione ad normam can. 581 *iam ei quaesita fuerunt;* b) *quod spectat* I°. *ad dotem* religiosae II° *eiusve fructus et* III° *alia bona personalia*, quae vi huius canonis doti aequiparantur circa servandum praescriptum, *si qua habeat religiosus* votorum simplicium etiamsi professus in Ordine, *servandum praescriptum can. 551*, § *2* circa dotem, ab hoc canone quem commentamur ampliatum ad alia bona, quae fortassis religioni cesserat in usum et administrationem; *demum* c) *nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem* pro mulieribus forsitan sumendam ex dotis fructibus, si eidem retributioni *locus sit ad normam can. 570*, § *1* ibi declaratam.

714. **Cessatio solemnitatis votorum in casibus.** — Valde notabilis est canonici iuris sequens declaratio, utpote nova omnino. *Can. 636. Sollemnitas votorum in eo qui* a) *legitime*

[1] Can. 34, § 3 n. 2°. Si terminus a quo coincidat cum initio diei, ex. gr. *duo vacationum menses a die 15 augusti,* primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri.

secundum superiores canones b) *vota simplicia* equidem perpetua secundum can. 634, c) *in Congregatione religiosa* ad quam transiit *nuncupat, eo ipso extinguitur*, tamquam regula generalis, *nisi aliud in Apostolico* transitus *indulto* regulari vel moniali concesso *expresse caveatur*. Cuius statuti connexio cum can. 640, § 1, n. 2° est plene logica, illiusque dispensationis, velut in maiori minor, seu in ampliori pars iuridice contenta est hoc statutum, speciali proinde ratione non indigens probari.

TITULUS XV.

De egressu e religione.

CAN. 637. - Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

CAN. 638. - Indultum manendi extra claustra sive temporarium, idest indultum *exclaustrationis*, sive perpetuum, idest indultum *saecularizationis*, sola Sedes Apostolica in religionibus iuris pontificii dare potest: in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius.

CAN. 639. - Qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus: exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere; perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti obedientiae.

CAN. 640. - § 1. Qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem relinquit:

1° A sua religione separatur, habitus eiusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus assimilatur;

2°. A votis liberatus manet, firmis oneribus ordini maiori adnexis, si in sacris fuerit; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur.

§ 2. Si ex apostolico indulto in religionem rursus recipiatur, novitiatum ac professionem instaurat et locum inter professos obtinet a die novae professionis.

CAN. 641. - § 1. Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam can. 585 non amiserit, debet, non renovatis votis, vel obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim, et a proprio Ordinario recipi; si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit.

§ 2. Episcopus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium; in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero, Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet.

CAN. 642. - § 1. Quilibet professus, ad saeculum regressus, licet valeat ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto:

1º. Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2º Quolibet magisterio et officio in Seminariis maioribus et minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos;

3º Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis.

§ 2. Haec valent quoque de iis qui vota temporaria, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint.

CAN. 643. - § 1. Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto egrediantur vel ex eadem fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam.

§ 2. Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit.

CAN. 644. - § 1. Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat.

§ 2. Malitiosus animus, de quo in § 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit.

§ 3. Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi.

CAN. 645. - § 1. Apostata et fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur et debent sine mora ad religionem redire.

§ 2. Superiores debent eos sollicite requirere, et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere; reditum vero monialis apostatae vel fugitivae caute curet loci Ordinarius, et, si agatur de monasterio exempto, etiam Superior regularis.

715. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — Sequitur *Titulus XV. De egressu* voluntario, qui sine culpa vel cum peccato fiat, prout opponitur dimissioni, *e religione* sumpta ad normam can. 488, 1º, quin ad aliam fiat transitus, cui egressui quandoque coniungitur eodem in canone praescriptum relativum de dimissione egressuque forsitan involuntario qui ex ipsa consequitur. — Hoc iam contingit in can. 637, qui considerat illum egressum, eveniente votorum temporariorum termino; duplex postea distinguitur indultum egrediendi e religione, atque singulorum effectus traduntur generales, hinc tres canones 638-640; casus egrediendi in perpetuum perpenditur, si religiosus in sacris fuerit constitutus, sub can. 641;

ac saecularizati recensentur prohibitiones in can. 642 ad alios ibidem determinatos extensae; quid non possint egredientes repetere a religione, ac vicissim quid eis quandoque religio dare debeat, explicat can. 643; duo vero postremi canones de culpabili egressu praescribunt, tum accurate definiendo apostatas et fugitivos in 644, tum normas tradendo sequendas ab eis et a respectivis Superioribus vel Episcopis in can. 645.

716. **De egressu post expletum votorum tempus.** — *Can. 637. Professus a votis temporariis*, vel in Congregatione absque votis perpetuis, vel in religione votorum quorumlibet perpetuorum, a) *expleto votorum tempore*, ad quod nempe illa emissa sunt, *libere potest religionem deserere*, ac sic providetur inconstantiae humanae voluntatis nostris temporibus frequenti; aequa vero est dispositio addita: b) *pariter religio ob iustas* idest proportionatas *ac rationabiles causas*, secus si hae desint ut explicatum est in can. 571 post exactum novitiatum, *eundem* professum de quo antea *potest* α) *a renovandis votis temporariis* v. gr. in Congregatione quae non habeat vota perpetua, β) *vel ab emittenda professione perpetua excludere*, cum exceptione sequenti quoad causas, *non tamen ratione infirmitatis*, sub limitatione hac posita: *nisi* I° *certo probetur eam ante professionem fuisse* II° *dolose*, quod supponit voluntatem decipiendi ex circumstantiis deducendam, ac. III° disiunctive: *reticitam* si erat occulta *aut dissimulatam*, ne quadantenus vere apparens deprehenderetur. Justa prorsus est haec secunda pars apparenter solum dissonans a prima, propter definitionem religionis: « elapso nempe tempore renovanda » esse vota.

Memorari oportet ex Decreto « Cum in Codice » S. Congr. de Religiosis [1] sub n. 2) quod « ad normam (huius) canonis 637 alumnus (qui, perdurante militari servitio, membrum religionis esse perseverat) potest libere religionem deserere, praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in Archivo Ordinis vel Instituti servetur. Religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare ».

[1] 15 Iun. 1919. CO. XI, 322.

717. **Indulta exclaustrationis et saecularizationis.** — *Canon 638. Induttum manendi extra claustra*, scilicet: extra domus religionis, sic dictas respectu habito ad clausuram, a) *sive temporarium*, quod verbo canonico designatur: *idest « indultum exclaustrationis »*, b) *sive perpetuum*, et subditur vocabulum iuridicum: *idest « indultum saecularizationis », sola Sedes Apostolica* a) *in religionibus iuris pontificii dare potest;* hinc antiiuridice appellaretur indultum exclaustrationis illa licentia quam Superiores dare possunt ad normam can. 606, § 2, ut subditi « extra domum propriae religionis degant » infra sex menses, atque ultra illos « studiorum causa » secundum can. 587, § 4. Explicit canon 638 sic: b) *in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius* unum alterumque indultum praefatum concedere potest.

718. **Effectus indulti exclaustrationis.** — *Can. 639. Qui indultum exclaustrationis ab Apostolica Sede impetravit* scilicet: cum effectu, eo quod illo utitur indulto, canon igitur tacet de indulto simili ab Ordinario loci obtento, a) *votis* b) *ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu* scilicet modo vivendi extra claustra diuturno *componi possunt, manet obstrictus:* α) *exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere*, nec sufficit occultare, sed exterior dicitur respectu ad interiores vestes forsan laneas ex praescripto constitutionum, vel parvum habitum religionis distinctivum; *perdurante tempore indulti* quamvis in religiosam domum se receperit β) *caret voce activa et passiva, sed* c) *gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis*, v. gr. quoad lucrandas indulgentias, et aliis quae statum exteriorem non afficiunt, d) *et Ordinario territorii ubi commoratur* etiamsi absque quasi-domicilio extra claustra manens, *loco Superiorum propriae religionis*, quoad eas etiam obligationes « suae religionis » urgendas, cum ex praec. clausula Superiores ab hoc removeantur, *subditur etiam ratione voti obedientiae*, « quamvis in Rescripto desit consueta formula » hanc edicens subiectionem [1]. Obligationes positivas et huiusmodi privilegia sub quatuor litteris indicavi, sub duabus graecis prohibitionem ac privationem retuli.

[1] S. C. de religiosis 1 Sept. 1912. CO. IV, 627.

719. **Effectus indulti saecularizationis.** — *Can. 640.* § 1. *Qui, impetrato saecularizationis indulto* (manente impetrandi externa voluntate, quando illud effectum habet ad normam can. 38 [1] ab Apostolica Sede vel a loci Ordinario ad normam can. 638, dicitur enim: *religionem relinquit* respective iuris pontificii vel iuris dioecesani: - *1° A sua religione* (can. 488, 1°) *separatur*, idest: cessat iure ad illam pertinere, b) *habitus eiusdem exteriorem formam debet deponere* ad normam canon. 492, § 3, ut haec clausula est in praec. §° declarata, c) *et in Missa et horis canonicis*, si illam celebret aut ad istas obligetur, *in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus* tum sacerdotibus vel ordinatis in sacris circa dispensationem, tum laicis quoad usum sacramentorum, iure *assimilatur: - 2° A votis liberatus manet*, quod novum est, ut canonica norma, *firmis oneribus* quoad castitatem ex voto et obedientiam forsitan ex promissione quoque ordinationis in presbyterum, servandas ad normam tamen ss. canonum, *ordini maiori adnexis* etiam aliis ultra declaratas; b) *non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi*, quamvis huiusmodi obligationem vi sacri ordinis recepti servare debeat, c) *nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur*. Uno verbo: ad religionem non tenetur, sicut ante ingressum in eam, econtra debet obligationes servare ordinatorum in sacris vel laicorum, eo quod respective in unum vel alium statum transeat.

Consequens omnino habendus est § 2. *Si ex apostolico indulto* necessario ad normam can. 542, 1° *in religionem* eandem *rursus recipiatur* a) *novitiatum ac* b) *professionem*, etiam temporariam ad normam can. 574, *instaurat*, c) *et locum inter professos obtinet a die novae professionis*. Digna conditio apposita propter suam a religione defectionem.

720. **Quoad sacros ordines extra exercendos.** — *Can. 641.* § 1. *Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam can. 585* ibi explicatam I° *non amiserit*, quia nondum professus a votis perpetuis, *debet*, a) *non renovatis votis* (canon 637) b) *vel obtento saecularizationis indulto* (can. 640), canon praeterit silentio eum qui exclaustrationis indultum ob-

[1] Can. 38. Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto executore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

tineat, *ad propriam* α) *redire dioecesim* domicilii vel ultimae incardinationis, prouti ab ea recessit laicus vel clericus, β) *et a proprio Ordinario recipi;* II° *si amiserit* supple: propriam dioecesim, v. gr. propter amissum domicilium necessarium (can. 93, § 1) vel proprium domicilium (can. 95) ac demum quia professus fuit a votis perpetuis (can. 585), ille de quo supra seu « religiosus in sacris constitutus », *nequit extra religionem*, sub litteris a) et b) cum effectu, *sacros ordines exercere, donec* α) Episcopum benevolum *receptorem invenerit*, de quo statim in § 2°, β) *aut Sedes Apostolica aliter providerit* in eodem indulto vel alio modo.

§ 2. *Episcopus* benevolus de quo in praec. §° necessarius ad sacros ordines extra religionem exercendos *religiosum* de quo praescribit can^s^. § 1us *recipere potest* a) *sive pure et simpliciter* absque ulla designatione temporis, conditionis, etc. b) *sive pro experimento ad triennium*, quin brevius tempus excludatur: *in priore casu* nempe: sub littera a) *religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus*, ob exceptionem quoad canonem 112, sicut in eodem fuit adnotatum; *in altero* casu sub littera b), *Episcopus potest* α) *probationis tempus prorogare*, cum hac limitatione: β) *non ultra tamen aliud triennium*; γ) *quo etiam transacto, religiosus, nisi antea* durante nempe secundo triennio *dimissus fuerit, ipso facto dioecesi* Episcopi illius incardinatus manet. Valde ita mutata est atque in melius disciplina iuris praec. contenti in nn^is^. IV et V Dec. S. C. EE. et RR. « Auctis admodum »[1].

721. **Prohibitiones quae respiciunt saecularizatos aliosque similes ipsis.** — Dec. S. C. de Religiosis[2] ex quo desumptus est can^s^. seq^s^. § 1us sic exorditur: « Quum minoris esse soleat aedificationis, salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo Ordine regulari vota solemnia professi, indultum saecularizationis... obtinuerint, vel in Instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint, ne alii inde Religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet »; decrevit fere prout praescriptum est in *can. 642.* § 1. *Quilibet*

[1] 4 Nov. 1896.
[2] 15 Iun. 1909. CO. I, 523.

professus, ut supra « in sacris ordinibus constitutus » (Cit. Dec[i]. proenium), ac prout ex contextu eruitur sequenti, *ad saeculum regressus*, scilicet: obtento saecularizationis indulto. *licet valeat, ad normam can. 641* in eiusdem duplici casu. *sacros ordines exercere, prohibetur tamen* per praesentem canonem, *sine novo* seu distincto *et speciali* ad hoc *S. Sedis indulto*: - *1° Quolibet beneficio*, ut istud definitur in can. 1409 propter can. 1412 [1], non etiam « quolibet officio » de quo mentio fiebat in n. 1° Dec[i]. cit[i]. *in basilicis* a) *maioribus*, b) *vel minoribus* definiendis ad can. 1180 [2] c) *et in ecclesiis cathedralibus*, non autem in aliis collegiatis; - *2° Quolibet* a) *magisterio* b) *et officio*, ex contextu huius canonis lato sensu ad normam can. 145, *in Seminariis* I° *maioribus* II° *et minoribus*, III° *seu collegiis, in quibus clerici educantur*, quamvis haec non vocentur Seminaria minora, dummodo sub collegiorum in can[s]. determinatione comprehendantur, *itemque* IV° *in Universitatibus et Institutis quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos* scilicet: sicut eruitur ex can. 1377, 1380 « in re philosophica, theologica et canonica », quamvis in earum una vel altera; (Dec. cit. n. 2°) - *3° Quocumque* a) *officio* scilicet: stricto sensu ad normam can. 145 ob sequens vocabulum: b) *vel munere* I° *in Curiis episcopalibus* « ad quas pertinent Vicarius generalis, officialis... cursores et apparitores » (can. 363, § 2), *et* II° *in religiosis domibus sive virorum, sive mulierum* v. gr. « officio Visitatoris et Moderatoris » (Dec. cit. n. 4°), *etiamsi agatur* III° *de Congregationibus dioecesanis*. - Deest solum in canone vetitum cit. Dec[i]. sub n. 5°. « Habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae, vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, adscriptus erat ». Hoc igitur abrogatum est ad normam can. 6[i]. n. 6°.

Ex audientia SSmi diei 5 Aprilis 1910, S. C. de Religiosis edidit hoc Decretum: « Quum in aliquibus Congregationibus et

[1] Can. 1409. Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.

Can. 1412. Licet aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant, in iure tamen beneficii nomine non veniunt...

[2] Can. 1180. Nulla ecclesia potest basilicae titulo decorari, nisi ex apostolica concessione aut immemorabili consuetudine; cuiusque vero privilegia ex alterutro capite colligantur.

Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur »; ad hos extendit suum praecitatum Decretum [1], in illius casibus, sub conditione quam simul cum extensione in terminis refert ex illo Decreto [2] interpretandus § 2. *Haec* §[i] 1[i] omnia *praescripta valent quoque de iis qui* a) *vota temporaria*, b) *vel iuramentum perseverantiae*, c) *vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et* I° *ab eisdem dispensati fuerunt*, bene notandum quoad vota temporaria, secus, si post tempus eorum votorum vel iuramenti recedant illi, II° *si per sex integros annos eisdem ligati fuerint;* cum ad summum post huiusmodi lapsum temporis, professio perpetua in Congregationibus fiat et, quam vidimus ratio Decreti in earum favorem militans, etiam pro Institutis praefatis urgeat.

Pontificia Commissio ad Cod[s]. canones auth. interpretandos solvit dubium [3] « V. Utrum prohibitiones, de quibus in can. 642, obstent quominus religiosi officia vel beneficia adipiscantur, tantum si ad saeculum post promulgationem codicis sint regressi; an etiam eos complectantur qui iam ante promulgationem codicis extra religionem, venia pontificia, versabantur, non obstante canone 10. - Rep.: Negative ad 1[am] partem, affirmative ad 2[am]. ».

722. **Bona egredienti non tradenda.** — *Can. 643.* § 1. *Qui* I° *e religione* qualibet, a) *expleto votorum temporariorum tempore* b) *aut obtento saecularizationis indulto*, non exclaustrationis (can. 638), scilicet: « perpetuo manendi extra claustra », *egrediantur* de facto, *vel* II° *ex eadem fuerint dimissi* aliis modis, ut in titulo sequenti, *nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam* personalem, vel ad normam can. 580, § 2 et can. 582. Et iuste omnino, quia durante professione voluntas et opera religiosi sunt dicata religioni fructuose ad modum servitii feudalis.

Nec legislator potuit charitatis Christi oblivisci proindeque monet § 2. *Si tamen religiosa* a) *sine dote recepta fuerit* ante

[1] 15 Iun. 1919. CO. I, 523. — [2] 5 Apr. 1910. CO II. 232.
[3] 24 Nov. 1920. CO. XII, 575.

Codicem, vel ex condonatione ad normam can. 547, § 4, vel quia dos pro recipiendis in antecessum constituta fuit eidem applicata, et b) *nec ex propriis bonis sibimet providere valeat*: ne quodammodo in viam proiiciatur coacta emendicare, *religio ex caritate* I° *eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat*, ac II° *providere ut*, a) *naturali aequitate servata*, cum id per regulam generalem statui nequeat, b) *per aliquod tempus*, de hoc vero subditur: *mutuo consensu* religionis per Superiorissam et egredientis religiosae, *vel in casu dissensus* inter eas *ab Ordinario loci determinandum*, c) *honeste vivere possit*.

723. **Apostata et fugitivus.** — Oportet accurate perpendere definitiones traditas in sequenti canone, quia propter diversos valde canonicos effectus in Codicis decursu discendos, non est apostasia confundenda sed solerter discernenda a religiosi fuga. — *Can. 644*. § 1. *Apostata a religione*, praeter quem datur apostata a fide catholica de quo in can. 1325, 2314, et apostata ab ordine sacro; ille *dicitur* 1° *professus* 2° *a votis perpetuis*, parum refert *sive sollemnibus sive simplicibus*, *qui* 3° *e domo religiosa*, non ex mentecaptorum domo vel ex reclusionis domo ad quam ductus fuit, 4° *illegitime* secundum constitutiones, 5° *egreditur*, non sufficit quod, etsi ex pravo motivo, in recessu horti occultetur, 6° et praecipue *cum animo non redeundi*: quartum vero requisitum non est adeo necessarium coniungi cum 5° ad existentiam huius apostasiae, sequitur enim in canone: *vel qui*, 4° *etsi legitime egressus* e domo religiosa, 5° *non redit* ac pro, 6° requisito *ex animo ut religiosae obedientiae se subtrahat*.

Quia, ut monui, praecipuum in apostasia requisitum est animus, quo egressus illegitimus fiat, vel quo regresus omittatur, et « homines vident ea quae patent, solus autem Deus intuetur cor », Codex providet normam iustam pro foro externo sequendam, quam sciant Superiores in canonum applicatione, nec eam ignorent illegitime egredientes vel non redeuntes ad normam can. 16, § 2. « Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur »: seu quod idem est ac reg. iuris XIII in 6°. « Ignorantia facti, non iuris excusat ». - Norma illa est § 2. *Malitiosus animus*, alteruter *de quo in § 1*,

iure praesumitur, contra quam praesumptionem « admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826) v. gr. ex circumstantiis tum egressus e domo religiosa illegitime. tum omissi regressus, *si Religiosus intra mensem* a) *nec reversus fuerit* b) *nec Superiori animum redeundi manifestaverit*, quae omissiones alia de causa possent in hodiernis ex intermisso bello circumstantiis contingere, praesumptioque elideretur.

§ 3. *Fugitivus est qui*, 1° *sine Superiorum licentia*, quod est praecipuum in egressus illegitimitate de qua in §° praec[i]., 2° *domum religiosam* non solum egreditur, sed etiam 3° *deserit*, veluti excutiens obedientiae iugum ad tempus, idest: 4° *cum animo ad religionem*, etsi non ad eamdem domum, *redeundi*. Hinc qui egreditur a domo cui assignatus est, ex. gr. quia ei adversus est Superior, et pergit ad aliam eiusdem religionis extantis in civitate, quamvis contra Superioris voluntatem ac praeceptum, non videtur esse fugitivus quoad effectus canonicos, quia proprie non deserit domum religiosam, sed transit de una in aliam suae religionis.

724. **Praedictorum obligationes ac Superiorum.** — *Canon 645*. § 1. *Apostata et fugitivus* a) *ab obligatione regulae et votorum*, scilicet: ad normam can. 593 ibi explicatam, *minime solvuntur* b) *et debent sine mora* voluntaria *ad religionem redire*: alias sunt in statu peccati.

§ 2. *Superiores* a) *debent* I° *eos sollicite* hoc est: diligenti studio *requirere*, perscrutando ubinam sint et curando ut revertantur, II° *et ipsos*, sub conditione: *si vera poenitentia* ex circumstantiis deprehendenda *acti redeant*, *suscipere* in consortium domus; nec dicitur semel faciendum hoc ipsum, sed quoties casus eiusdem etiam religiosi idipsum postulet; salvis tamen constitutionibus propriae religionis et ss. canonibus quoad poenas eisdem redeuntibus infligendas. Sequitur in canone; b) *reditum vero monialis*, in quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°, quia Superiorissa in casu non posset curare illum reditum, *apostatae vel fugitivae caute* ad vitandum scandalum et inconvenientia *curet loci Ordinarius*, *et, si agatur de monasterio exempto*, simul *etiam Superior regularis*.

TITULUS XVI.

De dimissione religiosorum.

Can. 646. - § 1. Ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi:

1° Publici apostatae a fide catholica;

2° Religiosus, qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro;

3° Attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.

§ 2. In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare.

725. **Inscriptio Tituli.** — Consequenter *Titulus XVI* inscribitur *De dimissione religiosorum*, quae ut talis est religioso involuntaria, atque fit ex competentis Superioris ecclesiastici auctoritate. Praemittuntur autem dimissiones ipso iure ac facto statutae.

726. **Casus dimissionis ipso iure.** — *Can. 646.* § 1. *Ipso facto habendi sunt* coram Ecclesia et respectiva religione *tamquam legitime* scilicet: ad normam ss. canonum ideoque cum iuris effectibus *dimissi religiosi*, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°): - *1° Publici apostatae a fide catholica*, qui nempe abiecerunt hanc fidem; seu, ut definitur in can. 1325, § 2: « Post receptum baptismum... si quis a fide christiana totaliter recedit, apostata est », quamvis ad aliquam sectam acatholicam non transeat saltem per adhaesionem, sed in canone cavetur « publici », nempe: quando huiusmodi recessus factum « divulgatum sit, aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit ac debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, 1°); - *2° Religiosus* ut supra, *qui* a) *fugam* ad normam can. 644, § 3 *arripuerit* b) *cum muliere* scilicet: cum dicatur in Dec. S. C. de religiosis [1], cui canon congruit: « suscepta secum muliere », veluti ad hoc, recte canonis clausula est interpretanda: « muliere ex condicto vel de facto comitatus qualibet sive virgine, sive coniugata, sive vidua, sive apparenter honesta, sive prava, etc. etiamsi minoris fuerit aetatis, non enim in ea consideratur crimen; quae interpretatio corroboratur, quia, Dec. prosequitur sic: « c) et multo magis contractus... etc. »: *aut religiosa, quae* a) parem fugam

[1] 16 Maii 1911, n. 18, CO. III, 237.

arripuerit b) *cum viro* quolibet, ut supra; - 3° *Attentantes* invalidum *aut contrahentes* validum a) *matrimonium* fortassis coram Ecclesia vel clandestine ast maritali animo, b) *aut etiam vinculum, ut aiunt, civile*, verum concubinatum ineuntes sub civilium legum pallio, sive vir sive mulier vota religiosa nuncupaverit.

De modo procedendi cavet § 2. *In his casibus sufficit*, a) *ut Superior maior*, v. gr. provincialis etc. ad normam can. 488, 8°. exclusis forsan ad normam can. 501, § 3, « Abbate Primate, et Superiore Congregationis monasticae », *cum suo Capitulo vel Consilio*, alterutro *ad normam constitutionum* coadunando et procedente ac votum deliberativum vel consultivum conferente, *emittat declarationem facti*; scilicet: religiosum talem revera perpetravisse unum determinatum ex factis in prae. § 1° recensitis, idque sufficit; b) *curet autem probationes facti* viro prudenti sufficientes ac praevie *collectas in domus regestis* conscriptas, vel si documenta sint, indicata ibidem atque custodienda in archivo *asservare*.

CAPUT I.

De dimissione religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt.

CAN. 647. - § 1. Professum a votis temporariis sive in Ordinibus sive in Congregationibus iuris pontificii dimittere potest supremus religionis Moderator vel Abbas monasterii sui iuris cum consensu sui cuiusque Consilii per secreta suffragia manifestato, vel, si agatur de monialibus, Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; in Congregationibus vero iuris dioecesani, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est, qui tamen iure suo ne utatur Moderatoribus insciis vel iuste dissentientibus.

§ 2. Ii omnes, graviter eorum onerata conscientia, religiosum dimittere nequeunt, nisi servatis quae sequuntur:

1°. Casusae dimissionis debent esse graves;

2° Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi. Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, est sufficiens dimissionis causa, si repetita monitio una cum salutari poenitentia incassum cesserit, non vero infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam;

3° Licet Superiori dimittenti certo innotescere debeant, non est tamen necesse ut formali iudicio comprobentur. At religioso semper manifestari debent, data eidem plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur.

4° Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam; et pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum;

5° Si de mulieribus agatur, servari debet praescriptum can. 643, § 2.

CAN. 648. - Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641, § 1. 642: clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem.

727. **Distributio tituli in capita.** — Dimissio religiosorum, praeter casus iure designatos in canone 646, est decernenda in singulis casibus cum observantia normae diversae iuxta votorum ac religionum diversitatem. Hinc tres diversi modi procedendi ansam dederunt tituli divisioni; nam vota religiosa vel sunt temporaria vel perpetua, haec vero possunt esse simplicia vel sollemnia sed posterior distinctio non discernit processum servandum, sed isti substituitur religionum duplex ditinctio *a*) in exemptas et non exemptas et *b*) in clericalem et laïcalem. Sic igitur « Caput I » moderatur « dimissionem religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt », ac « Caput tertium dimissionem eorum qui vota perpetua emiserunt in religione exempta simul et clericali » ; relicta religiosorum dimissione Capiti II regulanda, quando illi sunt professi perpetuo in religione laicali sive exempta sive non exempta et in religione clericali non exempta, seu quod idem est: « Caput II. De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali ». Aliud vero Caput IV additur « De religiosis dimissis » sed solummodo de his « qui vota perpetua nuncuparunt », idest: iuxta processum ex capite II aut III propter rationem in illius capitis IV inscriptione afferendam.

728. **Inscriptio capitis eiusque canones.** — Quoad dimissiones ab homine in singulis casibus decernendas, primo inseritur *Caput I. De dimissione religiosorum* declarata in Tituli inscriptione, *qui vota* solum *temporaria nuncuparunt* in quacumque religione; atque solos duos canones habet, complectentes quaelibet huiusmodi statuta, et quidem de ipsa dimissione sub can. 647, nam can. alter 648 recenset tantummodo huius dimissionis effectus.

729. **Potestas et modus dimittendi.** — *Can. 647. § 1. Professum a votis temporariis* quibuscumque legitime emissis *sive in Ordinibus sive in Congregationibus* (can. 488, 2°) sed a) *iuris pontificii*, scilicet: infra statuet canon circa Congregationes

iuris diocesani; illum *dimittere potest* I° *supremus religionis Moderator*, *quod* « valet etiam pari iure de mulieribus » (can. 490), idest: suprema religionis Moderatrix, non quilibet religionis Superior maior, II° *vel Abbas monasterii sui iuris*, sed sub conditione a singulis ad validitatem servanda ad normam can. 105, 1°; nempe: a) *cum consensu sui cuiusque Consilii*, b) *per secreta suffragia manifestato* ad liceitatem vi ss. canonum, *vel*, III° *si agatur de monialibus* in quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°, non iam Superiorissa vel Abbatissa, quamvis dicerentur monasteria sui iuris, sed *Ordinarius loci et*, idest: simul cum illo, *si monasterium sit regularibus obnoxium* subiectione, IV *Superior regularis* eius, sub conditione ut supra ex can. 105, 1°, diverso tamen modo, servanda: *postquam* a) *Monasterii Antistita cum suo Consilio fidem* β) *de causis scripto fecerit* illa de his Consilio praefato consentienti seu approbanti subiectis; b) *in Congregationibus vero iuris diocesani*, praedictum professum dimittendi facultatem habet *Ordinarius loci in quo domus* professi propria *sita est*, *qui tamen iure suo ne utatur* ex canonis simplici vetito, *Moderatoribus* α) *insciis* β) *vel iuste dissentientibus*. Nam si taliter fiat, « laedetur ius alienum idest: Moderatorum, quod cavendum esse » patet, atque dicitur in const. « Conditae » Leonis XIII [1], propter quod illi possent recursum ad Sedem Aplcam. interponere.

De legitimitate ac modo servando ad praedictos religiosos dimittendos decernit § 2. *Ii omnes*, quibus singulis potestas dimittendi est attributa, *graviter eorum onerata conscientia*, circa sequentium praescriptionum observantiam, pro licito igitur potestatis illius exercitio, *religiosum dimittere nequeunt*, *nisi servatis* praevie singulis *quae sequuntur*; - *1° Causae dimissionis debent esse graves;* nec peccata gravia requiruntur, ut patet, quia *2° Possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi*. Respectu istius additur: *Defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit* proindeque gravis, α) *est sufficiens dimissionis causa*, sub conditione: *si* a) *repetita monitio*, ergo una non sufficit; nec solae monitiones satis sunt, sed b) *una cum salutari poenitentia* c) *incassum cesserit*, eo quod defectus ille perseveret. E converso scriptum est: β) *non vero*

[1] 8 Dec. 1900, § 1, n. VIII.

est sufficiens dimissionis causa *infirma valetudo, nisi* a) *certo constet* b) *eam ante professionem* c) *fuisse dolose* idest: voluntaria cum deceptione *reticitam*, si erat occulta, *aut dissimulatam*, si aliquantulum apparens. - *3° Licet Superiori dimittenti*, cui consiliarii de causarum veritate deferre possunt, a) *certo innotescere* illae *debeant*, b) *non est tamen necesse ut formali iudicio comprobentur. At religioso* a) *semper manifestari debent*, b) *data eidem plena licentia respondendi* ad illas infirmandas, nec illa manifestatio per Superiorem dimittentem necessario est facienda, sequitur enim: c) *eiusque* religiosi *responsiones Superiori dimittenti fideliter subiiciantur.* - Imo huius Superioris interest collectas habere probationes causarum quae virum prudentem suadeant, quia *4° Contra dimissionis decretum* a) *est religioso facultas recurrendi ad Sedem Apostolicam* scilicet: ad S. C. de Religiosis; b) *et pendente recursu:* scilicet: usquequo S. Congr. rescribat definitive, *dimissio nullum habet iuridicum effectum*, tamquam si decreta non fuisset: — *5° Si de mulieribus agatur, servari debet praescriptum can. 643*, § 2 de religiosa quae « sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibi providere valeat » ibidem explicatum.

Porro vota praemittenda professioni solemni tam virorum quam mulierum fuerunt ante Codicem ad triennium. sed ex parte solum voventis perpetua. De his in hoc Titulo non tractatur, utpote quod cessabunt omnino post aliquod tempus. Hinc fuit interim utile sciscitari sequens quaesitum. Commiss. Pontif. ad interpretandos auth^ss^. canones propositum [1]. « 2. Utrum vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem Codicis in Religionibus votorum sollemnium, sive virorum sive mulierum, sint moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a iure antiquo vigente ante Codicem. Resp. Affirmative ». Proinde: dimitti deinceps possunt, sicut olim, vi decr. « Sanctissimus » S. Congr. super statu Regularium [2] n. IV, in casibus quoque vi decr. « Inter reliquas » S. C. de Religiosis [3] n. VIII; vel, si agatur de Monialibus, ad normam Decreti « Perpensis » S. Congr. EE. et RR. [3] n. XII, ita ut, data dimissione, ab omni vinculo dictorum votorum et obligatione liberi fiant.

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 476.
[2] 1 Ian. 1911. CO. III, 37, -- [3] 2 Iul. 1858. -- [4] 3 Maii 1902,

730. **Praecedentis dimissionis effectus.** — *Can 648. Religosus* valide *dimissus* cum effectu *ad normam can. 647* nunc interpretatam, *ipso facto* vel subiectionis decreto dimissionis propter omissum recursum, vel confirmationis decreti eiusdem per S. Congregationem, *solvitur ab omnibus votis religiosis*, proinde quamvis aliquod sit speciale in religione, sed qua talibus, eo quod additur: 1° *salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto* II° *can. 641*, § *1*, quoad conditionem ad ordines exercendos necessariam, ac. III° can. *642* de prohibitione obtinendi quaedam beneficia. officia ac munera, sicut ibidem fuit declaratum, et hucusque circa ordinatos in sacris; *clericus autem* ob primam saltem tonsuram (can. 108, § 1) *in minoribus ordinibus constitutus*, quod fuit adiunctum respectu habito ad immediate praecedentem canonis partem, non ad excludendum clericum mere tonsuratum, *eo ipso* quod dimissus est modo supra dicto *redactus est in statum clericalem.* Et est unus ex casibus contentis sub illa clausula can. 211, § 2. « Clericus minor ad statum laicalem regreditur, non solum ipso facto ob causas in iure descriptas », quarum plures invenimus recensitas in Partis primae « Tit. III. De obligationibus clericorum ». Ad complementum huius capitis addere oportet sequens dubium solutum authentice a Pont. Commissione [1]: « In quibusdam Institutis votorum simplicium vota emittuntur sub hac vel simili conditione apposita: « Donec in Congregatione vivam », ita ut alumnus, sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat. Hinc quaeritur: 2° In dimissione alumnorum, qui similem professionem emiserunt, debente servari cann. 647-648 de dimissione religiosorum qui vota temporanea emiserunt, vel can. 649 et sequentes de dimissione eorum, qui vota perpetua emisserunt? Resp.: Ad 2^{m} Pro iis qui vota iam emiserunt sub hac conditione, serventur canones 646, 647 et 648 ».

CAPUT II.

De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali.

CAN. 649 - In virorum religionibus clericalibus non exemptis et laicalibus, ut professus a votis perpetuis dimitti possit, praecedant necesse est tria delicta cum duplici monitione ac defectu emendationis ad normam canonum 656-662.

CAN. 650. - § 1. Haec si constite-

[1] 1 Martii 1921, CO. XIII, 177.

rint, supremus religionis Moderator cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adiunctis, deliberet num locus sit dimissioni.

§ 2. Si maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit:

1° In religione iuris dioecesani res tota deferatur ad Ordinarium loci in quo religiosa professi domus sita est, cuius est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam can. 647;

2° In religione iuris pontificii ipse supremus religionis Moderator dimissionis decretum ferat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, debet a Sede Apostolica confirmari.

§ 3. Religioso ius est suas rationes libere exponendi; eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt.

CAN. 651. - § 1. Etiam ad dimittendas religiosas professas a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus exiguntur graves causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento prius habito ita ut spes resipiscentiae evanuerit, iudicio Antistitae.

§ 2. Praescriptum can. 650, § 3 etiam in religiosarum dimissione servandum est.

CAN. 652. - § 1. Si agitur de religiosis iuris dioecesani, Ordinarii loci in quo sita est sororis professae domus, est causas dimissionis expendere et decretum dimissionis ferre.

§ 2. Si de monialibus, Ordinarius loci omnia acta et documenta transmittat ad Sacram Congregationem cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium regularibus sit subiectum.

§ 3. Si de aliis religiosis iuris pontificii, suprema religionis Moderatrix rem totam ad Congregationem pariter deferat cum omnibus actis et documentis; Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu quod magis expedire censuerit, decernet, firmo praescripto can. 643, § 2.

CAN. 653. - In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus statim potest a Superiore maiore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur.

731. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — Subsequitur *Caput II. De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt* a) *in religione clericali non exempta* scilicet: votorum simplicium ad normam can. 618, § 1, quia « Regulares exempti sunt » (can. 615), b) *vel in religione laicali*, quae potest esse tum exempta et vota eius sunt solemnia, tum non exempta et illius vota sunt simplicia. Sub religione laicali proprie veniunt omnes religiones sororum ac monasteria monialium, et planum est. — De his igitur religiosis mulieribus dimittendis ad normam inscriptionis capitis tractant can. 651, 652, quos praecedunt can. 649 de causis dimissionis ac modo procedendi quoad viros, et can. 650 circa dimissionem religiosorum eorum decernendam, ac postremum capitis obtinet locum can. 653 pro casu extraordinario.

732. **Causae ac modus procedendi quoad viros.** — *Can 649. In virorum religionibus* a) *clericalibus non exemptis* b) *et lai-*

calibus declaratis iuxta inscriptionem, *ut professus a votis perpetuis dimitti possit*, idest: valide ad normam iuris, *praecedant necesse est* a) *tria delicta* proprie dicta, quae definiuntur in can. 2195, b) *cum duplici monitione* c) ac ipsis monitionibus sequuto *defectu emendationis ad normam can. 656-662* in quibus tunc interpretandis haec omnia singulatim pertractantur.

733. **Decretum dimissionis.** — *Can. 650.* § 1. *Haec* a) *si constiterint* certo ex documentis receptis, b) *supremus religionis* etsi laicalis *Moderator cum suo Consilio*, idest: coetu consiliariorum, c) *perpensis omnibus facti adiunctis*, ad haec igitur praeter alia dicta can. praec., respicere debent consiliarii, et cum his Moderator illa omnia considerans d) *deliberet num* iuxta canones *locus sit dimissioni.* — Sumpta decisione ad constitutionum normam de ipso consilio, § 2. *Si maior suffragiorum numerus*, Moderatoris suffragio computato, *pro dimissione steterit*: — 1° *In religione iuris dioecesani* a) *res tota* seu plene quoad facta eorumque adiuncta et acta cetera *deferatur ad Ordinarium loci in quo*, non Moderatoris residentia cum eius consilio, sed *religiosa* dimittendi *professi domus sita est*, b) *cuius* Ordinarii loci ius *est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam can. 647*, scilicet: « graviter eius onerata conscientia » nisi serventur quae in § 2 illius canonis statuuntur, praesertim de certitudine causarum, de harum manifestatione religioso facienda, « data eidem plena respondendi licentia », et quoad « facultátem recurrendi ad Sedem Apostolicam » ex parte religiosi cum effectu suspensivo; — 2° *In religione iuris pontificii*, sive Congregatione non exempta quacumque, etiam clericali, sive Ordine laicali a) *ipse supremus religionis Moderator dimissionis decretum ferat:* uti eorum Praesidum esse edixerat, Leo XIII [1], b) *quod tamen* decretum *ut suum sortiatur effectum, debet a Sede Apostolica confirmari* semper, scilicet: quamvis dimissus religiosus ad eam non recurrerit.

Pro utroque vero casu §i praecedentis, deservit monitio servandi iuris naturalis confirmati per § 3. *Religioso* a) *ius est suas rationes* pro defensione sui *libere exponendi;* b) *eiusque responsiones* adversus dimissionis causas ei patefaciendas *in*

[1] Const. cit. « Conditae » § 2 n. 1.

actis ad Ordinarium loci vel ad S. Congr. de Religiosis mittendis *fideliter* hoc est: nihil mutato vel occultato *referendae sunt.*

734. **Causae dimissionis religiosarum.** — *Can. 651.* § 1. *Etiam ad dimittendas religiosas professas a votis perpetuis sive sollemnibus* monasterii monialium sensu stricto (can. 488, 7°), *sive simplicibus* monasterii monialium sensu lato (loc. cit.) et Congregationum, non iam « tria delicta » etc., ut dictum est de viris dimittendis (can. 649), sed analoga quaedam *exiguntur*, scilicet: 1° *graves causae exteriores*, quae proinde cognoscantur in communitate, 2° *una cum incorrigibilitate*, quae constare debet 3° experimento prius habito per monitiones ac iniunctas poenitentias, *ita ut spes resipiscentiae evanuerit iudicio Antistitae* quoad haec tria, ut evidens fit ex Dec°. S. Congregationis de Religiosis [1], unde iste translatus est paragraphus omittens petendum Consilii Antistitae iudicium, atque clausulam in Dec°. subiunctam: « et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant Monasterio vel Instituto », quod proinde nunc specialiter considerare opus non est.

Etiam religiosis mulieribus vindicatur praedictum naturale ius per canonis § 2. *Praescriptum can. 650, § 3 etiam in religiosarum dimissione servandum est.*

735. **Dimissionis decernendae modus.** — De ipso actu dimissionis decernit cum distinctione *can. 652.* § 1. *Si agatur de religiosis* mulieribus *iuris dioecesani*, pariter ac in can. 650 § 2 n. 1° pro viris declaratum est, *Ordinarii loci in quo sita est sororis professae* dimittendae *domus*, ius *est* 1° *causas dimissionis expendere* nam « iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci » (ex Dec.[1] cit. loc.), 2° *et decretum dimissionis ferre*, quod efficax erit, nisi professa soror recursum porrigat ad Sedem Aplcam.

§ 2. *Si* e contra *de monialibus* agatur in quibuscumque locis ad normam can. 488, 7°, *Ordinarius loci* ad § 1 normam a) *omnia acta et documenta*, quae ad rem pertinent, nullo retento, *transmittat ad Sacram Congregationem* de Religiosis b) *cum suo* simul *et* c) *Superioris regularis voto*, istius tamen sub conditione: *si Monasterium regularibus sit subiectum.* Non refert utrum actis adiungat votum, quod magis est conveniens, vel

[1] 16 Maii 1911, n. 21. CO. III. 235.

separatim transmittat. § 3. *Si de aliis religiosis* Congregationum *iuris pontificii* agatur, *suprema religionis Moderatrix* a) *rem totam* idest: plene *ad Sacram Congregationem* de Religiosis *pariter deferat* scilicet: ut declaratum est §° 2° a), *cum omnibus actibus et documentis;* complementum addit canon: *Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu* § 2ⁱ, igitur excluso casu § 1ⁱ ut diximus, atque abrogato quoad hanc partem cit. ibid. Dec.°, *quod magis expedire censuerit, decernet* cum effectibus ad normam seq. Capitis IV, *firmo praescripto can. 643*, § *2*, scilicet: quando « religiosa, etiam monialis, sine dote recepta fuerit, nec ex propriis bonis sibimet providere valeat », ibique explicato.

736. **Casus excepti.** — Cum sequens canon de religioso loquatur « masculino vocabulo », ad normam can. 490 « valet etiam pari iure de mulieribus », quia positus est immediate post canones agentes de monialibus et sororibus, sic innuens naturam generalis canonis induere respectu inscriptionis tituli. Opus fuit haec, quae videntur inutilia, praemittere quia canonis interpretatio de monialibus difficultate non caret. — *Can. 653. In casu* a) *gravis scandali*, quod necessario externum est, *exterioris* scilicet: extra religiosam domum prodeuntis, b) *vel gravissimi nocumenti*, sive propter scandalum interius domui sive absque eo, *communitati*, alterutrius casus sub a) et b) *imminentis*, scilicet: secundum prudentis iudicium, *religiosus statim potest* I° *a Superiore maiore cum consensu sui Consilii* ad normam can. 105, 1°, *vel etiam*, sub hac vero conditione: *si* a) *periculum sit in mora et* b) *tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem*, cui duplici conditioni aequipollet defectus Superioris maioris, uti accidit in monialium monasteriis, quae regularibus subiectae non sint, sub illa igitur duplici conditione: II° *a Superiore locali cum consensu* (can. 105, 1°) a) *sui Consilii et* b) *Ordinarii loci, ad saeculum* a) *remitti*, observato tum concomitanter hoc quod subditur: b) *habitu religioso illico deposito*, (cuius clausulae observatio sive Superiorem sive dimissum religiosum urget) tum subsequenter sequenti praescripto: a) *ita tamen ut res per ipsum Ordinarium* loci de quo antea, quando ipse intervenit ad dimissionem praedictam, *aut per Superiorem maiorem, si adsit*, hoc est: in aliis casibus, b) *Sanctae Sedis iudicio* scilicet: S. Congr. de Religiosis c) *sine*

mora culpabili *subiiciatur*, et quidem ad confirmationem, cum narratione tum peractae dimissionis tum causae huiusque probationum, quae ad ipsam dimissionem impulerunt. Quod diximus de canonis applicatione ad monialem quae regularibus non subiiciatur, iure veteri fulcitur, videlicet: n.° 21 cit. Dec.[1] ubi legitur: « Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur ».

CAPUT III.

De processu iudiciali in dimissione religiosorum qui vota perpetua sive solemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta.

CAN. 654. - Vir professus a votis sollemnibus aut a votis simplicibus perpetuis in religione clericali exempta ne dimittatur, nisi processu instituto, salvo praescripto can. 646, 668, et revocato quolibet contrario privilegio.

CAN. 655. - § 1. Ad sententiam dimissionis ferendam competens est supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator cum suo Consilio seu Capitulo, quod quatuor saltem religiosis constet; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses de consensu aliorum qui cum ipso tribunal collegiale constituant.

§ 2. Praeses de aliorum consensu promotorem iustitiae nominet ad normam can. 1589, § 2.

CAN. 656. - Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint:

1° Gravia delicta externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius;

2° Monitiones;

3° Defectus emendationis.

CAN. 657. - Delicta debent esse saltem tria eiusdem speciei, vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat.

CAN. 658. - § 1. Ad monitionem faciendam necesse est ut aut delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extraiudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit.

§ 2. In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939, seqq.

CAN. 659. - Monitio fieri debet ab immediato Superiore maiore per se vel per alium de eius mandato; sed Superior mandatum ne det, nisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1; datum vero mandatum pro prima monitione valeat etiam pro altera.

CAN. 660. - Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium.

CAN. 661. - § 1. Monitionibus Superior addat opportunas exhortationes et correctiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem.

§ 2. Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio.

§ 3. Singulis monitionibus adiiciatur dimissionis comminatio.

Can. 662. - Religiosus censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanente perstiterit: post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

Can. 663. - Immediatus Superior maior, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat; hic autem ea tradere debet promotori iustitiae, qui ea examinet et suas conclusiones proponat.

Can. 664. - § 1. Si promotor iustitiae, cui fas est etiam ulteriores inquisitiones, quas opportunas iudicaverit peragere, accusationem proponat, instruatur processus, servatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri Quarti, congrua congruis referendo.

Caput III. De processu iudiciali in dimissione religiosorum

- necessarie servando — Can. 654
- tribunal collegiale competens — » 655
- praevie requisita
  - in genere — » 656
  - in specie
    - quot et quae delicta — » 657
    - quoad monitiones
      - quid antea necessarium sit — » 658
      - a quo faciendae — » 659
      - quot faciendae — » 660
      - quaenam ipsis addantur — » 661
    - quoad emendationis defectum — » 662
  - acta et documenta colligenda et transmittenda — » 663
- instruendo
  - quibusnam servatis — » 664
  - quoad sententiam ferendam — » 665
  - circa sententiae exequutionem — » 666
- committendo pro dissitis regionibus — » 667
- subsequuturo dimissioni peractae — » 668

§ 2. Ex processu constare debet de delictis patratis, de praemissa duplici monitione et de defectu emendationis.

Can. 665. - Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum promotoris iustititae tum rei, si quidem iudicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664, § 2, sententiam dimissionis pronuntiet.

Can. 666. - Sententia executioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata; ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit.

Can. 667. - Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi Moderatores cum consensu

sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, firmo praescripto can. 663-666.

CAN. 668. - In casu, de quo in canone 653, religiosus statim potest a Superiore maiore, vel si periculum sit in mora et tempus non adsit recurrendi ad Superiorem maiorem, a Superiore quoque locali, cum consensu sui Consilii, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito; religioso autem dimisso, statim processus, si nondum fuerit institutus, instituatur ad normam canonum qui praecedunt.

737. **Inscriptio tituli ac ratio.** — Considerandum *Caput III* remanet: *De processu iudiciali* scilicet: de serie actuum qui pro legitima coram tribunali ecclesiastico disceptatione ac definitione sunt servandi *in dimissione religiosorum qui* I° *vota perpetua* a) *sive sollemnia* scilicet: in Ordine b) *sive simplicia* scilicet: in Congregatione *nuncuparunt* II° *in religione clericali exempta.*

Canones huius Capitis desumpti sunt, quandoque adhibita mutatione, ex Decreto S. C. de Religiosis sub die 16 Maii 1911, per quod inductus est in iure ordinatus iste processus summarius, cum hac Decreti introductione: « Quum singulae praescriptiones ac solemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis religiosis, commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas ».

738. **Ordinata distributio canonum** haec est: statuitur necessitas huius processus in can. 654, constitutionem tribunalis tradit can. 655, quaenam praecedere debeant instructioni processus summarie sub tribus numeris enuntiat can. 656, de requisitis sub unoquoque numero sunt canones 657-662, qui, exceptis primo et ultimo, considerant monitiones peragendas; de processu autem ipso statuunt canones 663-666, facultatem delegandi canon 667 moderatur, et postremus can. 668 permittit dimissionem in casu extraordinario antequam processus instruatur.

739. **Necessitas processus.** — *Can. 654. Vir professus* a) *a votis sollemnibus aut* b) *a votis simplicibus perpetuis*, alteruter *in religione* a) *clericali* b) *exempta ne dimittatur, nisi processu instituto*, scilicet: illo de quo decernit praesens Caput, *salvo praescripto* a) *can. 646*, de legitime dimissis ipso facto delicto-

rum ibi enumeratorum, pro quibus sufficit determinata ibi facti declaratio, b) et can. *668* ultimi in praesenti Capite. Explicit canon sic: *et revocato quolibet* huic canoni *contrario privilegio*. Quod cessat solum a Codicis vigore ad normam exceptionis canon. 4[1]; Dec^m^. enim cit. inserebat oppositam clausulam « salvis privilegiis, quibus Ordo vel Institutum gaudeat ».

740. **Tribunal competens constituendum.** — *Can. 655. § 1. Ad sententiam dimissionis* de qua in hoc capite *ferendam*, ac proinde ad processuales actus in eam ordinatos *competens est* vi huius canonis, scilicet: « est » subiectum iurisdictionis « ad hoc iudicium criminale » (can. 1552) *supremus*, qualis « est quem nemo sequitur » ultra[2] a) *religionis* uniuscuiusque ex comprehensis sub capitis inscriptione, b) *vel monasticae Congregationis* etiam uniuscuiusque ut prius, *Moderator*, sive hic dicatur Abbas huius Congregationis aut Visitator, sive ille vocetur Magister, Ministerve generalis, Praepositus generalis, etc., Vicarius quoque alicuius eorum non existentis, proindeque cum iuribus ac obligationibus illorum; talis autem non est Abbas Primas in Ordine S. Benedicti. - Moderator quilibet declaratus non est iudex singularis, sed a) *cum suo* ratione officii *Consilio, seu Capitulo* qua talibus. - Serventur regulae ac constitutiones sive circa ipsius membra uniuscuiusque personae moralis supradictae rite constituenda sive circa numerum eorum qui debeant convenire ut actus Consilii seu Capituli vere habeatur, *quod* (alterutro designetur nomine) b) *quatuor saltem religiosis* simul convenientibus *constet*, Moderatore non computato; dicitur enim de illis quatuor: a) *si qui deficiant* qualibet de causa v. gr. absentia, morte, sola infirmitate, quae ipsum adire coetum impediat, *eorum loco* b) *totidem* ad explendum religiosorum praedictorum numerum Tribunalis collegialis propriam iurisdictionem exercentis *religiosos eligat* quoad personae designationem praeses distinctus ab his et a sequentibus c) *de consensu aliorum* non deficientium (can. 105, 1°), *qui* semper quatuor antea dicti, *cum ipso* praeter illos *tribunal collegiale constituant* (Dec. n. 1).

[1] Can. 4. Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

[2] l. 92 D. tit. XVI L. 50.

Si plures sint consiliarii in processus initio praesentes, omnes constituunt tribunal. Quid vero dicendum processu perdurante usque ad sententiam, si tales iudices legitime desinant esse consiliarii, alii forsan absentes supervenerint, vel horum numerus augeatur, aut ob admissam rei exceptionem suspicionis minuatur? - R. Imprimis haec iurisdictio est ordinaria; utpote « quae ipso iure (huius canonis) adnexa est officio » (can. 197, § 1) omnium illorum; praeterea est illis tributa « collegialiter » nempe: « Supremo Moderatori cum suo Consilio seu Capitulo ». Hinc arguimus, cum hac « de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis norma sumenda est... a legibus latis in similibus » (can. 20), nempe: a can^s. 207 § 3°, statuente: « Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet », prout accidit in quaestione proposita, quando ex hac deficientia numerus quinque cum praeside judicum habeatur vel secus. Hinc iuxta canonem provideatur. Salvo autem hoc numero, quicumque Consilium aut Capitulum successive integrant vel ab alterutro cadunt, ita pariter in tribunal recipiantur vel ab eo arceantur.

Nec obiiciatur personarum mutationem officere causae tum processui tum rectae cognitioni ad ipsius solutionem. Ad hoc enim dicendum, quod « requisitam in iudicis animo moralem certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis » (canon 1869). Haec porro manent atque complentur usque « ad pronunciationem cuiuslibet sententiae ». Ergo quicumque superinducti iudices prae manibus eadem habebunt. Imo per huiusmodi amplexam doctrinam providetur casui non infrequenti, quod processu pendente supremum alicuius religionis Consilium ob supervenientem lapsus temporis finem sit per canonicas electiones mutandum.

Propter easdem rationes, videlicet: quia iurisdictio est ordinaria, et sufficiunt quinque iudices, Praeside computato, non est alius extra Consilium designandus hac solum de causa quia in decursu processus minuatur iudicum numerus. Et si peior fiat rei conditio, est hoc tribuendum iuri cum circumstantiis, unde subeunda est illa sequela.

Item quaeri potest: an possit his iudicibus apponi a reo exceptio suspicionis, et a quibus sit iudicanda. Respondendum

absdubio affirmative, cum hoc dictet ius naturale expostulans in iudice immunitatem a studio partium, et generaliter loquatur can. 1614 id concedens quoque « si ipsemet Ordinarius sit iudex ». Cum vero hac « de re desit expressum praescriptum legis sive generalis, sive particularis, norma sumenda est... » a can^s. cit^i. § 1. « Cum iudex, etsi competens, a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio, si proponatur contra... collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem, definienda est a delegante », seu in casu nostro a S. C. de Religiosis sententiam confirmatura; « si contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis, etsi Collegii praesidem, a ceteris iudicibus delegatis et non suspectis », quod fortiori motivo valet de collegio iudicum ordinario. In casu vero nostro idipsum servare oportet, etsi numerus iudicum non suspectorum sit infra quinque, cum non agatur de iurisdictionis exercitio in causa, sed de tribunalis constitutione atque congruenter can^i. 655, §° 1^ae. Huiusmodi exceptio admittenda esset in casu quo unus ex consiliariis perfecisset vel inquisitionem de qua loquitur can. 658, § 2, nam « inquisitor nequit in eadem causa iudicem agere » (can. 1941, § 3), vel monitiones « quae fieri debent, ab immediato Superiore maiore per se vel per alium de eius mandato » (can. 659), et qui « omnia acta et documenta diligenter colligat et ad supremum Moderatorem transmittat ». Etenim Superior monitiones faciens ac informationem facti acceptans uti sufficientem ad illas, praevie ad processum et efformavit iudicium circa reum, et monitiones posuit, quae partiale processus obiectum constituunt. Quocirca idem absdubio est obiective suspectus quoad sententiam ex processu pronuntiandam, sicut deberet ad normam can. 1869, § 2. Supremus autem Moderator in casu subditi eidem immediate subiecti praedictas inquisitionem vel monitiones peragens non excluderetur a iudicando eadem in causa, eo quod can. 1941 supra citatus loquitur de inquisitore delegato; non vero de Ordinario, a quo etiam « inquisitio peragi potest » ad normam can. 1940.

§ 2. *Praeses de aliorum consensu* (can. 105 1°) et cum hi possint esse diversi pro singulis eiusdem religionis processibus, qui ceteroquin consentire debent quamvis per solam votorum maioritatem, sequitur quod quoties processus instituendus sit, toties *promotorem iustitiae* « pro iuris et legis tutela » *nominet* forsitan eundem iam in religione pro quibuslibet processibus institutum,

ad normam can. 1589, § 2; scilicet: « qui sit eiusdem religionis alumnus ». (Dec. n. 2).

741. **Praevia instructioni processus.** — *Can. 656. Ad processum instruendum* coram tribunali praedicto *deveniri nequit, nisi praecesserint: - 1°* a) *Gravia* ob mortale peccatum [1] b) *delicta* scilicet: « legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata, seu praecepti violatio cui poenalis sanctio adnexa sit » ad normam can. 2195, c) *externa*, quamvis nondum « publica » ad normam can. 2197[2], scilicet: externa quoad forum, ita ut in foro externo tamquam delicta gravia probari queant equidem in iudicio; disiunctive autem: d) *sive contra ius commune* religiosorum cum clericis aut cum laicis, *sive contra speciale religiosorum ius* scilicet: pro ipsis qua talibus specialiter conditum, nec refert utrum a S. Sede fuerit latum in Codice vel extra ipsum, et palam est; - *2° Monitiones* de quibus sequuntur can. 658-661; - *3° Defectus emendationis.*

742. **Delictorum numerus.** — *Can. 657. Delicta debent esse* I° *saltem tria* a) *eiusdem speciei* ad normam can. 2196. scilicet: « qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis », b) *vel, si diversae*, quia legum diversi obiecti violationes, sint *talia ut simul sumpta* cum consideratione etiam circumstantiarum *manifestent* viro prudenti *perversam voluntatem in malo pervicacem* scilicet: eidem firmiter adhaerentem. II° *aut unum tantum* delictum sed a) *permanens* v. gr. libri per apostolicas litteras nominatim prohibiti retentio scienter sine licentia, ita vero b) *quod ex repetitis* monitionibus de quibus infra *virtualiter triplex fiat*, ex continuatione illius delicti (Dec°. num. 10).

743. **Praevia monitionibus.** — *Can. 658. § 1. Ad monitionem faciendam necesse est ut α) aut delictum sit notorium* scilicet: ad normam can. 2197, 3° « si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit », β) *aut de eodem* delicto *constet* a) *ex rei confessione extraiudiciali* scilicet: « sive scriptis sive oretenus, aliis extra iudicium facta » iuxta can. 1753,

[1] Quae « gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati » (Dec. n. 9 conformis can. 2196).

[2] Can. 2197. Delictum est: 1°. *Publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri.

b) *vel ex aliis sufficientibus probationibus* v. gr. « ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis adminiculis roborata, aut ex authenticis documentis » (Dec[i]. n. 8) etc., *quas* probationes *praevia inquisitio suppeditaverit.*

Ea propter opportune ac necessario adiungitur § 2. *In inquisitione peragenda serventur*, proindeque obligatorium est, sed *congrua congruis referendo*, idest prudenter aptando ad hanc inquisitionem remote iudicialem. *praescripta can. 1939 seqq.*

744. **A quonam faciendae monitiones.** — *Can. 659. Monitio fieri debet ad immediato Superiore maiore* scilicet: Provinciali vel Abbate locali de regimine a) *per se* b) *vel per alium eius mandato* proinde expresso; de quo subiungitur ad liceitatem: *sed Superior* praefatus *mandatum ne det, nisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1* habita; *datum vero mandatum pro prima monitione valeat etiam pro altera.* Scilicet: novum non requiritur, nisi Superior maior aliter expresserit. (Dec. n. 5).

745. **Correctionum numerus.** — *Can. 660. Duae debent esse monitiones*, et in hac parte Dec. (n. 7) fuit correctum requirens triplicem monitionem, a) *scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis*, quae constare debent praevie monitionibus singulis ad normam can. 658, § 1; b) *in delictis autem continuatis seu permanentibus* de quorum continuatione facilius constat, *intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum*, qui « constant 24 horis supputandis a media nocte » (can. 32, § 1), *integrum spatium.*

In hoc fuit correctum Dec[i]. cit[i]. n. 6.

746. **Addenda monitionibus.** — *Can. 661. § 1. Monitionibus Superior* eas faciens α) *addat opportunas exhortationes* seu motiva et rationes ad bonum perficiendum *et correctiones* idest: increpationes ad malum vitandum, β) *praescriptis insuper* idest: impositis *poenitentiis aliisque remediis poenalibus*, quae inveniuntur in Tit. X, Libri V, sequenti clausula prae oculis habita: *quae apta censeantur* a) *ad emendationem rei* b) *et scandali reparationem*, scilicet: ex his sumens mensuram prudenter servandam in huius normae adimplemento.

§ 2. *Praeterea tenetur Superior* maior, ad quem ex iure pertinent monitiones (can. 659) α) *reum ab occasionibus relabendi* ei magis vel minus proximis *removere* β) *etiam per translationem*, sed hoc *si opus fuerit*, *ad aliam domum* religionis, *ubi*

a) *facilior sit vigilantia et* b) *remotior delinquendi occasio*, quae Superiori suadebunt praeeligendam.

§ 3. *Singulis monitionibus adiiciatur*, ab eas peragente Superiore, *dimissionis comminatio*. Quae adiecto est nunc obligatoria, et diversimode ac legitur in n. 5 cit. Dec[i]. : « qui (Provincialis seu quasi-Provincialis) postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem ».

747. **Defectus emendationis.** — *Can. 662. Religiosus* iure *censetur* α) *se non emendasse, si post secundam monitionem*, duobus praecedentibus distinctis delictis, a) *novum delictum commiserit*, *vel* uno continuato delicto praevio b) *in eodem permanenter*, scilicet : absque emendatione, aut ex reincidentia in illud delictum, *perstiterit* nempe : ipsius « delinquentis pervicax et obdurata agendi ratio » (Dec. cit. n. 12); quod ut constet sufficienter, vel in casu novi delicti ne videatur praecipitanter agi, praescribit canon : β) *post ultimam monitionem sex saltem dies erit expectandum* computandos ad normam can. 34, § 3, 3°, *antequam ad ulteriora progressus fiat;* scilicet : mittendi acta et documenta ad Superiorem maiorem immediatum, vel illa colligendi omnia per istum prout iubetur in canone sequenti, cui opportune praemittentur normae directivae in Dec°. expressae sub n. 11. « Ut constet de facto triplicis (nunc duplicis) monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet : - a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii, - b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis, vel Tabulario, servandum : vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum ».

748. **Actorum et documentorum remissio.** — *Can. 663. Immediatus Superior maior*, a quo sunt monitiones faciendae (can. 659), *postquam monitiones* de quibus can. 658-660 *et correctiones* praescriptae in can. 661 *incassum cesserint* ad normam can. 662, *omnia* I° *acta* in adimplemento illorum canonum, *et* II° *documenta*, quaenam vero sint haec oportet ediscere in canone 1813, ex his autem quae ad causam instruendam pertineant illaque acta *colligat* a) *et* simul *ad supremum Moderato-*

rem declaratum in can. 655 velut Tribunalis praesidem *transmittat;* cuius sequitur obligatio; b) *hic autem ea* scilicet: omnia acta et documenta sibi transmissa *tradere debet promotori iustitiae* designato vi can. 655 § 2, huiusque munus in causa incipit explicari: c) *qui ea* a) *examinet* b) *et suas conclusiones proponat*. (Dec. n. 13).

749. **Processus instruendus.** — *Can. 664. § 1. Si promotor iustitiae*, ac notetur: *cui fas est etiam ulteriores inquisitiones*, praeter aliam factam ad normam can. 658, § 2, *quas opportunas iudicaverit*, ipse *peragere* modo sibi beneviso (sed ad normam saltem directivam can. 1939 seqq.) ad sui animi et causae informationem, *accusationem proponat:* sub dicta conditione iussum est: *instruatur processus, servatis praescriptis canonum in Parte prima, Libri Quarti*, scilicet: can. 1954-1958 et praecedentium *congrua congruis referendo:* scilicet: seligendo et aptando huic processui praescripta opportuna tum ad eruendum quae requiruntur erui iuxta seq. §^{m}., tum ad provocandam sententiam dimissionis de qua in seq. canone.

§ 2. *Ex processu* scilicet: ex actis et probatis in eo propter fundamentum actorum et documentorum remissorum *constare debet* I° *de delictis patratis* ad normam can. 656 1°, 657, II° *de praemissa duplici mononitione* moderata per can. 658-661, *et* III° *de defectu emendationis* ad normam can. 662.

750. **Sententiae prolatio.** — *Can. 665. Tribunal*, constitutum ex quinque saltem iudicibus ad normam can. 655 § 1°, vel ex tribus ad normam can. 667, cuius munus adscribitur: *diligenter perpensis allegationibus tum promotoris iustitiae tum rei*, « accusatione namque a Procuratore iustitiae propositae et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio iudicis determinando concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem Ordinis vel Instituti religiosum exhibere valeat: quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet ». (Dec. cit. n. 14). Igitur decernit canon: Tribunal,... *si quidem iudicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664*, § 2 ibidem explicita, *sententiam dimissionis pronuntiet*, de qua sententia iudiciali adest tit. XIII Libri Quarti. Hic memorari oportet can. 1577, § 1. « Tribunal collegiale collegialiter pro-

cedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre ».

751. **Sententiae executio.** — Dec. cit. in n. 15 aiebat: « sententiam pronuntiare poterit », et prosequebatur de suspensione exequutionis sententiae illius tantummodo « si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congrationem de religiosis appellaverit »; quae omnia mutata sunt per sequentem *can. 666. Sententia exsecutioni mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione* regulariter de Religiosis *confirmata;* et propter hoc sequitur praescriptum: *ad quam tribunalis praeses*, videlicet: ad normam can. 655 « supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator », aut ad normam can. 667 constitutus praeses « ex tribus saltem probis ac prudentibus religiosis », a) *et sententiam* b) *et omnia acta processus* videlicet: huius (secundum inscriptionem capitis) « acta iudicialia » quae ad normam can. 1642 comprehendunt « acta causae » atque « acta processus »; *quamprimum* scilicet: cum omni diligentia *transmittere curabit.*

752. **Processus committendi facultas.** — *Can. 667. Pro díssitis regionibus*, v. gr. in America vel in hodiernis circumstantiis absdubio in Imperiis centralibus, *etiam in casibus ordinariis* scilicet: quamvis extraordinariis circumstantiis non vestiantur casus, *supremi Moderatores* ad normam can. 655, § 1 *cum consensu sui Consilii seu Capituli* (can. 105 1°) *possunt dimittendi facultatem* etiam habitualem *demandare* a) *probis* b) *ac prudentibus religiosis*, *qui* c) *saltem tres esse debent*, eis adiungendo promotorem iustitiae nominandum ad normam can. 655, § 2 utpote necessarium, quia hic canon 667 sic explicit: *firmo praescripto can. 663-666*, nihil cavens peculiariter de nominatione promotoris iustitiae, qui ex his canonibus necessario exigitur. Et haec concessio est nova respectu ad Dec. cit.

753. **Remissio ad saeculum in casibus.** — In praelaudato Decreto legitur etiam: « 16. Non obstante autem appellatione, (tunc necessaria), reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui Capituli vel Consilii, si ex eius praesentia periculum gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore provinciali vel Abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant ». Haec praescripta Decreti coniuncta sunt evidenter in *can. 668. In casu, de quo in can. 653*, scilicet: prout ibi expositum est; in causa a) gravis scandali, quod necessario externum est, et exterioris, videlicet: extra religiosam domum prodeuntis, b) vel gravissimi nocumenti propter scandalum interius domui vel absque eo communitati; in casu alterutrius imminentis; (quod potest provenire ob patratum etiam unicum delictum) praescribit canon: *statim potest* I° *a Superiore* etiam immediato, *maiore, vel* sub conditione autem duplici: *si* a) *periculum sit in mora* scilicet: expulsio exequenda urgeat, b) *et tempus non* adsit sufficiens *recurrendi ad Superiorem maiorem* praedictum, II° *a Superiore quoque locali* domus in qua commoratur sic delinquens religiosus, *cum consensu sui Consilii* (can. 105, 1°), *ad saeculum remitti*, servata praevie tum expressa in alterius utrius remissionis casu, conditione, a) *habitu religioso illico deposito*, tum alia tacita: « dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate » (iuxta Dec. cit.), quae conditio necessario includitur in canonis hypothesi, et in praescripto quod statim additur: b) *religioso autem dimisso statim* moraliter *processus, si nondum fuerit institutus*, quae clausula confirmat quod diximus de expulsione ob unum tantum delictum, sed verificari quoque potest inter praevias monitiones trium delictorum, *instituatur ad normam canonum qui praecedunt;* scilicet: can. 663-667, quia ceteri sunt « praecedentes ut deveniatur ad processum instruendum » (can. 656). Nec ad normam can. 664, § 2 « ex processu constare debet de tribus delictis », quando non adsunt, nec « de praemissa duplici monitione », cum hoc verum non fuerit, nec demum « de defectu emendationis », quae experta non fuit; sed « constare debet » illud de quo fit processus et propter quod « statim ad saeculum fuit reus remissus », ac ita iudicialiter constet « de ipso delicto et de religiosi, cui illud imputatur reitate », servatis praescriptis aliis.

A fortiori hunc canonem 668 sequi debent in praxi Superiores, post dimissionis sententiam interim ac ista confirmatur a S. Congr. de religiosis.

CAPUT IV.

De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt.

Can. 669. - § 1. Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant.

§ 2. Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem.

Can. 670. - Clericus in sacris qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646, aut dimissus est ob delictum quod iure communi punitur infamia iuris vel depositione vel degradatione, perpetuo prohibetur deferre habitum ecclesiasticum.

Can. 671. - Si vero dimittatur ob delicta minora iis de quibus in canone 670:

1° Ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit;

2° Sacra Congregatio, si id expedire iudicaverit, dimisso praecipiat ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus fuit;

3° Si dimissus praecepto de quo n. 2 non paruerit, religio ad nihil tenetur, et dimissus eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum;

4° Ordinarius dioecesis pro eius commoratione designatae, religiosum in domum poenitentiae mittat, vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; et si religiosus non paruerit, servetur praescriptum num. 3;

5° Religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere valeat;

6° Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignam non agat, transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, eiiciatur e domo poenitentiae eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittere curet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem;

7° Si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius eius preces apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, et, ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittat, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam, pro suo arbitrio et prudentia, aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat; quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quod si agatur de diacono aut subdiacono, res ad Sanctam Sedem deferatur.

Can. 672. - § 1. Dimissus, votis in religione emissis non solutus, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, res iudicio Sedis Apostolicae subiiciatur.

§ 2. Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto can. 642; secus res ad Sanctam Sedem deferatur.

754. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — In huius tituli capite I, postquam posita est norma « de dimissione religiosorum a votis temporariis », statim subnexus est can. 648 de huius dimissionis effectibus: non sic in duobus aliis capitibus, eo quod eorum dimissionis aequales effectus simul pertractat *Caput IV*, propterea inscriptum: *De religiosis dimissis* quoad canonicos in eis effectus, *qui vota perpetua*, in quacumque sive clericali, sive laicali et quamvis exempta religione, solemnia vel simplicia *nuncuparunt*. - Atque solos quatuor canones continet; nempe: utrum votorum obligatio maneat, et de status clericalis amissione decernit can. 669, de diversis effectibus quoad clericum in sacris, propter diversa delicta ob quae dimittatur, statuunt can. 670, 671, et ultimus can. 672 praescribit quidnam in futurum, pro diversis circumstantiis illorum religiosorum qui dimittuntur, sit ex iure decretum.

755. **De votorum obligatione et ad statum laicalem reductione.** — *Can. 669. § 1. Professus qui vota perpetua emisit* quamvis simplicia, *a religione dimissus* ad normam canonum in Cap^{s}. II et III, sine processu iudiciali vel cum tali processu, *votis religiosis manet obstrictus*, et hoc ex norma generali canonis, sed consideranda duplex exceptio: 1° *salvis constitutionibus*, quae contrarium statuant vel aliter, et secundum quas proinde religiosus vota emisit sub hac implicita conditione resolutiva, *aut* II° *Sedis Apostolicae indultis* pariter salvis, vel quod alicui religioni concessum sit fortassis ad tempus, vel quod expulsionis sententiae adiungatur, scilicet: *quae aliud ferant* diversum ab enunciata regula.

§ 2. *Si* professus praedictus *clericus est*, nempe: propter « primam saltem tonsuram » receptam (can. 108, § 1) *in minoribus ordinibus constitutus*, scilicet: nondum in sacris ordinatus, *eo ipso* quod est a religione dimissus, ut supra in § 1, *reducitur ad statum laicalem*, sicut etiam praescriptum est in canone 648 de religioso a votis temporariis dimisso: casus igitur referendi ad illam clausulam can. 211, § 2 « Clericus minor ad statum laicalem regreditur... ipso facto ob causas in iure descriptas ».

756. **Effectus dimissionis a iure vel ob delictum maius.** — *Can. 670 Clericus in sacris* simul et professus a votis perpetuis, iuxta cap^{s}. inscriptionem, *qui* I° *aliquod delictum* ex tri-

bus *commisit de quo in can. 646*, scilicet: propter quod « ipso facto habendus est tamquam legitime dimissus », *aut* II° *dimissus est* legitime ad normam canonum Cap. II aut III praecedentis, *ob delictum*, trinum vel unicum, secundum quae ibi exposuimus, *quod iure communi* scilicet: Sedis Apostolicae a qua sola ferri queunt poenae sequentes: *punitur* a) *infamia iuris* b) *vel depositione* c) *vel degradatione*, quorum exempla sunt in Lib. V. Parte tertia, et quae poenae explicantur in Tit. de poenis vindicativis can. 2293-2295 et can. 2303-2305; in unoquoque ex praedictis casibus *perpetuo prohibetur* ab hoc canone *deferre habitum ecclesiasticum*, « quae privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2 », sicut statuitur in can. 2304, § 2, quae cessatio in casu nostro sic est intelligenda, quod ex silentio praesentis canonis implicite sequitur. Non tenetur « religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditari pro necessariis ad vitae sustentationem, etsi ipse aliunde sibimet providere non valeat », quod statutum inveniemus sub n. 5° pro aliis dimissis de quibus in canone sequenti.

757. **Effectus dimissionis ob delicta minora.** — *Can. 671. Si vero dimittatur*, supplendo: religiosus clericus in sacris, *ob delicta minora iis de quibus in can. 670*, sclicet: obiective, non subiective ob conditiones deliquentis; quae distinctio est data ad normam can. 1296: « Qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis, quantitas vero (delicti) dimetienda non solum ex diversa gravitate legis laesae, quae dignoscitur « etiam gravitate poenae a lege sancitae » (Dec. n. 9) sed etiam ex maiore minorive imputabilitate aut damno illato »; igitur praefatus dimissus propter delictum *a*) quod adversetur legi minoris gravitatis ex obiecto eius, quam illae leges quibus contradicunt delicta can. 646, aut *b*) quod in ss. canonibus puniatur poenis infra depositionem vel infamiam iuris: - 1° *Ipso facto suspensus manet*, quae suspensio censura vocatur infra n. 7°, *donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit;* ita ut hanc recipere ab aliis nequeat, utpote iuridice contumax usquequo « merito haberi possit vere emendatus » Sanctae Sedis iudicio ad normam n^{i}. 7^{i}; - 2° *Sacra Congregatio* de Religiosis, sub conditione; *si id expedire iudicaverit, dimisso* de quo hic canon *praecipiat ut*, a) *habitu cleri saecularis indutus*, b) *commoretur in certa dioecesi*,

c) *indicatis Ordinario* huius loci *causis ob quas* religiosus talis *dimissus fuit*; - In hac vero hypothesi, 3° *Si dimissus praecepto de quo n. 2 non paruerit*, a) *religio ad nihil tenetur* erga dimissum, inde illi non urget praescriptum sub n. 5° infra positum, imo b) *et dimissus eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum* quod servasset, si praecepto de quo n. 2 paruerit, et « quae privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium » vi can. 2304, § 2; - In eadem hypothesi sub n. 2° servandum est: 4° *Ordinarius diecesis pro eius* dimissi *commoratione designatae*, a) *religiosum in domum poenitentiae mittat*, b) *vel eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis;* alterutrum facere debet in casu; *et si religiosus* praedictus *non paruerit, servetur praescriptum n. 3*, ibi explicatum quoad inobedientiam Sacrae Congregationis praecepto. 5° *Religio*, a) *per manus Ordinarii loci commorationis* (propter hoc verbum et alia n^{i}. seq^{s}. videtur hoc praescriptum sicuti et sequens servandum in hypothesi sub n. 2° posita), b) *caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem*, sub conditione: *nisi ipse aliunde sibimet providere valeat;* - 6° *Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro* suae miserae conditionis *dignam non agat, transacto anno aut etiam prius*, *iudicio Ordinarii* hoc ipsum determinante, a) *privetur caritativo subsidio*, cuius praescriptum edixit n^{us}. praec^{s}., b) *eiiciatur e domo poenitentiae*, quo missus fuerit ad normam n^{i}. 4^{i}, c) *eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum* dimisso religioso competens tum ratione sacri ordinis, tum ad normam n^{i}. 2^{i}; quae poena infligenda est *ab ipso Ordinario*, ut videtur ex relatione ad numeros praecedentes, illius dioecesis pro dimissi commoratione designatae; d) *qui* Ordinarius *statim* ac perfecerit praedicta *mittere curet opportunam relationem, tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem;* - E contrario autem: 7° *Si vero dimissus praedicto tempore*, unius anni aut etiam breviori, *tam laudabiliter se gesserit ut merito haberi possit vere emendatus* ex prudenti iudicio, *Ordinarius* declaratus supra in n. 6°, I° *eius preces* dimissi *apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, et*, II° *ea obtenta* absolutione, *eidem* dimisso *in sua dioecesi permittat*, cum hac prudentiae admonitione: *adhibitis opportunis* casui a) *cautelis et* b) *limitationibus*, a) *Missae celebrationem et etiam*, sed hoc aliud

b) *pro suo arbitrio et prudentia*, dum alia praecedentia iubentur, *aliud sacrum ministerium* permittat eidem, *unde honeste vivere queat: quo in casu* honestae sustentationis ex ministerio sacerdotali *religio caritativum subsidium* ad quod tenebatur ex n. 5° *intermittere potest*, scilicet: ab illius obligatione exoneratur. *Quod si agatur de diacono aut subdiacono* ad hunc numerum 7m quod spectat,*res ad Sanctam Sedem referatur*.

758. **Dimissorum provisio a lege in futurum.** — *Can. 672. § 1. Dimissus*, qui vota perpetua emisit, a) *votis in religione emissis non solutus* ad generalem normam can. 669. § 1, *tenetur ad claustra redire*, opportuno tempore secundum ea quae sequuntur, proindeque hac de causa etiam tenetur indirecte curare suam emendationem, ac verificata conditione: *et si argumenta plenae emendationis per triennium* a dimissione, vel a posterius incoepta emendatione *dederit*, quod poterit constare Ordinarii loci commorationis testimonio aliisve probationibus, b) *religio tenetur eum recipere;* attamen cum circumstantiae facile huic receptioni obstare possint, cavet canon: *quod si graves obstent rationes*, aliae non graves sunt contemnendae atque parendum praescripto, *sive ex parte religionis sive ex parte religiosi* profluant illae, *res iudicio Sedis Apostolicae subiiciatur;* scilicet: dirimenda quaestio per S. Congr. de religiosis.

Ratione autem exceptionum canonis 669, § 1, est subiectus hic § 2. *Quoties vero vota in religione emissa* quamvis perpetua *cessaverint* per sequutam dimissionem, *si dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit*, de quo accipienda norma ex can. 641, § 2, *sub* a) *eius iurisdictione et* b) *speciali vigilantia* ob dimissionis causas necessaria *maneat*, durante experimento vel tamquam incardinatus, sicut distinctum est in cit. can., *servato praescripto can. 642;* scilicet: de prohibitione obtinendi quaedam beneficia, magisterium, officia et munera ibidem designata, quod praescriptum ceteroquin ex textu ipso hunc etiam dimissum respiciebat, utpote qui est proprie « professus ad saeculum regressus », saltem « si per sex integros annos eisdem votis ligatus fuerit » atque sic explicit paragraphus: secus, idest: « si dimissus Episcopum benevolum receptorem non invenerit », *res ad Sanctam Sedem referatur* ad adhibendum eidem remedium vel quidquam decernendum pro circumstantiis.

TITULUS XVII.

De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

CAN. 673. - § 1. Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio, nec eius sodales nomine religiosorum proprie designantur.

§ 2. Huiusmodi societas est clericalis vel laicalis, iuris pontificii vel dioecesani ad normam can. 488, nn. 3, 4.

CAN. 674. - Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt.

CAN. 675. - Regimen determinatur in uniuscuiusque societatis constitutionibus; sed in omnibus serventur, congrua congruis referendo, can. 499-530.

CAN. 676. - § 1. Societas eiusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia.

§ 2. Administratio bonorum regitur praescripto can. 532-537.

§ 3. Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant.

CAN. 677. - In admittendis candidatis serventur constitutiones, salvo praescripto can. 542.

CAN. 678. - In iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvis peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis.

CAN. 679. - § 1. Sodales societatis praeter obligationes quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet, pariterque stare debent praescriptis can. 595-612, nisi constitutiones aliud ferant.

§ 2. Clausuram servent ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia.

CAN. 680. - Iidem, etiam laici, gaudent clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123, aliisque societati directe concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto.

CAN. 681. - Praeter proprias cuiusque societatis constitutiones, circa transitum ad aliam societatem vel ad aliquam religionem aut circa sodalium exitum a societate etiam iuris pontificii, serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 632-635, 645; circa eorum dimissionem, praescripta canonum 646-672.

759. **Inscriptio tituli et canonum ordo.** — Remanet exponendus *Titulus XVII* secundae huius Partis ultimus, *De societatibus* imperfectis in Ecclesia *sive virorum sive mulierum in communi* quidem *viventium* sicut religiosi, sed *sine votis* religionis tribus ac publicis. - Canones sub illo sequuntur praecedentium ordinem titulorum de religiosis; videlicet: can. 673 definit has societates, earumque assignat duas divisiones, can. 674 loquitur de illarum erectione ac suppressione, de regimine ipsarum can. 675, reservata canoni 676 temporalium bonorum admini-

stratione, de admissione in societatem est unicus canon 677, privilegia sodalium determinant respective can. 679, 670, ac demum de transitu, de sodalium egressu et dimissione coadunantur praescripta sub can. postremo 681.

760. **Descriptio ac divisiones.** — *Can. 673. § 1. Societas*, idest coadunatio fidelium in Ecclesia Christi ad aliquem finem ipsius partialem communibus mediis consequendum, *sive virorum sive mulierum, in qua sodales*, idest: illius membra, *vivendi rationem religiosorum* nobis iam cognitam ex praecedenti secunda parte huius Libri *imitantur* propter sequentes conditiones: a) *in communi degentes* domo, b) *sub regimine Superiorum* ex societatis natura, c) *secundum probatas constitutiones* per ecclesiasticam auctoritatem, *sed*, distinguuntur autem a religiosis, eo quod *tribus consuetis votis publicis non obstringuntur*, etsi privata illa tria emittant, vel aliquod eorum, ac fere semper votum vel promissionem perseverantiae dent; de huiusmodi societate statuit canon: a) *non est proprie religio* ad normam canon 488, 1°, *nec* b) *eius sodales nomine religiosorum* (can. cod., 7°) *proprie designantur*. Nec in Codice sub praedictis nominibus veniunt, eo quod (ex can. 18) « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem ».

Divisiones completas exhibet § 2. *Huiusmodi societas est* I° *clericalis vel laicalis*, II° *iuris pontificii vel dioecesani ad normam can. 488, nn. 3, 4*, et hinc propter Episcopi erectionem vel insuper S. Sedis approbationem, « personae moralis rationem in Ecclesia sortiuntur » ad normam can. 100, § 1.

761. **Erectio ac suppressio.** — *Can. 674. Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum*, in quas proinde distribui potest illa, *eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt*, non alia praescripta eiusdem Tituli circa Ordines.

762. **Regimen.** — *Can. 675. Regimen determinatur in uniuscuiusque societatis constitutionibus*, prout societatis natura postulat, *sed in omnibus* illis societatibus *serventur, congrua congruis referendo* scilicet: quae applicari queunt aptando *canon. 499-530* sub inscriptionibus: « de Superioribus et Capitulis », « de confessariis et cappellanis ». Congrua ergo eis praescripta praedictorum canonum obligatoria sunt.

763. **Temporalium acquisitio et administratio.** — *Can. 676.* § 1. *Societas* ut talis moralis persona, *eiusque provinciae et domus* legitime erectae *capaces sunt*, propter societatem perfectam Ecclesiae ad quam pertinent, *acquirendi et possidendi bona temporalia.*

§ 2. *Administratio bonorum regitur praescripto can. 532-537* sub inscriptione: « De bonis temporalibus eorumque administratione ».

§ 3. *Quidquid sodalibus* a) *obvenit intuitu societatis* sive ob acquisitionis naturam sive ob elargientium intentionem, societati *eidem acquiritur*, equidem ipsi ut tali vel provinciae vel domui iuxta constitutiones, salva elargientium voluntate; b) *cetera bona* ex propria industria, ex testamento, donatione, etc. *sodales secundum constitutiones*, de his determinantes forsitan eo quod paupertatis votum non emiserunt, *retinent* quoad usumfructum, *acquirunt* quoad proprietatem, *et administrant* quoad ceteros dominii actus.

764. **Servanda in admissione.** — *Can. 677. In admittendis candidatis* propter societatis naturam *serventur constitutiones, salvo praescripto can. 542* ad hos extenso, tum quoad requisita ut valide admittantur, tum quoad cetera ut licite; non autem quae ante n^m^. 1^m^ memorantur veluti praescripta aliorum canonum vel constitutionum.

765. **Quoad studia et ordines.** — *Can. 678. In iis quae I° ad studiorum rationem et* II° *ad suscipiendos ordines pertinent, sodales* a) *iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici*, unde in his per exceptionem legislationi religiosorum non subduntur prout contrarium regulariter fit in hoc Titulo, quae leges inveniuntur in Tit. XXI « de Seminariis » lib. III, et in eiusdem Libri Tit. VI « de Ordine », exclusis quorumdam capitum uno vel altero canone; additur tamen in canonis fine: b) *salvis peculiaribus* pro unaquaque societate vel omnibus huiusmodi, *praescriptionibus a Sancta Sede datis* sive iam nunc sive pro tempore dum canon vigebit.

766. **Obligationes et clausura.** — *Can. 679*, § 1. *Sodales societatis*, I° *praeter obligationes*, servandas igitur utpote a Codice recognitas, *quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones* ac earum vi, II° *tenentur communibus clericorum obligationibus*, quas recenset Tit. III Lib. I, *nisi* a) *ex natura*

rei, eo quod mulieribus non aptantur pro earum societatibus, vel quia ordines receptos supponunt alienos a laicali societate, b) *vel ex sermonis contextu aliud constet*, v. gr. de muneribus suscipiendis in dioecesi, quae societati clericali non congruant, c) *pariterque* idest, cum praedicta duplici limitatione, III° *stare debent prascriptis can. 595-612* in Tit. XIII sub capite I « de obligationibus religiosorum », exceptis eiusdem Capitis tribus primis canonibus; addita limitatione sequenti *nisi constitutiones aliud ferant:* quae igitur illis praescriptis praevalere debent ob legislatoris expressam hic dispositionem.

Specialiter cuiuscumque societatis sodales viri sicut et mulieres, ut ait § 2, *clausuram servent*, quoad egressum e domo et quoad ingressum extraneorum alterius sexus, a) *ad normam constitutionum*, igitur ex vi earum, b) *sub Ordinarii loci vigilantia*, etsi societas sit iuris pontificii. - *Can. 680. Iidem* sodales de quibus in praec. can., *etiam laici* viri ac mulieres, *gaudent* I° *clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123*, sicut explicatum est in canone 614 idem praescribente quoad religiosos, II° *aliisque societati* singulariter *directe concessis*, et canon tacet de aliis modis acquirendi privilegia recensitis in can. 63, § 1 [1], qui proinde can. plenum servat vigorem pro his societatibus earumque sodalibus, ac solummodo cavet legislator: III° *non autem* gaudent *privilegiis religiosorum*, quae perpendimus in Tit. XIII cap. II et III, *sine speciali indulto* concessionis directae, vel communicationis, a S. Sede elargitae.

767. **De egressu e societate.** — *Can. 681. Praeter proprias cuiusque societatis constitutiones*, unde his salvis, a) *circa transitum ad aliam* huiusmodi *societatem vel ad aliquam religionem* (canon 488, 1°) b) *aut circa sodalium exitum a societate etiam iuris pontificii* voluntarium *serventur*, utpote obligatoria ex eorum decreta extensione ad hos sodales, *congrua congruis referendo*, quae verba addenda sunt editioni Codicis officiali (17 Oct. 1917), scilicet: quae applicari queant eis aptando, *praescripta can. 632-635* Tit. XIV « de transitu ad aliam religionem », excepto ult. canone evidenter ipsis non congruo, *645* de obligationibus apostatae ac fugitivi e societate; c) *circa*

[1] Can. 63. § 1. Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem competentis auctoritatis et per communicationem, sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem.

eorum dimissionem, praescripta can. 646-672, scilicet: Tit[i]. XVI « de dimissione religiosorum » congrua tantummodo ipsisque aptanda.

« Cum vero hi canones (postremae citationis) diversa praescribant, pro diversitate casuum votorum temporaneorum aut perpetuorum, quaeritur ad quemnam casum referri debeat praescriptio praedicti can. 681, cum in eo agatur de alumnis qui nulla vota emittunt? - Resp.: Si vinculum quo adstringuntur sodales Societatis sine votis est temporale, serventur canones qui agunt de dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt; si sit perpetuum, serventur canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt ». Ita solutum est authentice hoc dubium a Pontificia Commissione [1].

Huc referre oportet aliud dubium solutum ab eadem Pontif. Commissione ad Cod. cann. auth. interpretandos [2] n. VI. « An societatibus sine votis applicentur can. 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413.

Resp.: Affirmative quoad cann. 2386 (de fugitivis), 2387 (ut ob declaratum dolum in professione admissum decidant ab statu clericali in minoribus ordinati, et de incurrenda censura ab ordinato in sacris), 2389 (de violante notabiliter vitam communem puniendo, propterea dicitur « quoad hos canones »), quatenus sodales vitam communem degant; quoad can. (vero) 2410, quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad ordines suis subditis, (quia poena respicit Superiores dimissorias huiusmodi ad alienum Episcopum illegitime mittentes); quoad primam partem can. 2411, (nempe: quoad Superiores harum societatum, « qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542... receperint »), salvis quoad reliqua constitutionibus; et quoad can. 2413 (occasione visitationis canonicae).

Et sic explicit Pars secunda huius Secundi Libri.

[1] 1 Martii 1921. CO. XIII, 177. — [2] 2-3 Iun. 1918. CO. XII, 347.

PARS TERTIA.

De Laicis.

Can. 682. - Laici ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria.

Can. 683. - Non licet laicis habitum clericalem deferre, nisi agatur vel de Seminariorum alumnis aliisque adspirantibus ad ordines de quibus in can. 972, § 2, vel de laicis, servitio ecclesiae legitime addictis, dum intra eandem ecclesiam sunt aut extra ipsam in aliquo ministerio ecclesiastico partem habent.

768. **Inscriptio partis ac divisio in titulos.** — In hac *tertia Parte de laicis* inscripta considerantur hi, ut « baptismate constituti in Ecclesia Christi personae cum omnibus christianorum iuribus et officiis » (can. 87), quae tamen non amittunt, sed cum aliis cumulant vel commutant, quando *a*) « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipantur » (can. 108, § 1) vel *b*) religiosum statum amplectentes « religiosi » fiunt (can. 107). - In hac vero Codicis parte solummodo generale iurium eorum principium statuitur, et quaedam prohibitio, quae urget eos ut laici sunt, remissis peculiaribus iuribus eorum atque obligationibus ad alios canones pro materiae diversitate opportuniores: personas tamen morales atque associationes, quae ex laicis coalescunt, moderantur tamquam in proprio earum loco sequentes canones sub duobus quidem Titulis; videlicet: « XVIII. De fidelium associationibus in genere » ac « XIX. De fidelium associationibus in specie ».

769. **Generale laicorum ius.** — *Can. 682. Laici* sensu paulo ante explicato *ius habent* a) *recipiendi a clero* b) *ad normam ecclesiasticae disciplinae* legibus divina et canonica et consuetudinibus moderatae, quoad requisita ex parte subiecti ac obiecti, quoad circumstantias, et praecipue quoad determinatas cleri personas, quae debitum adimpleant praefato iuri relativum habenti ut obiectum c) *spiritualia bona* in Ecclesiae dispensatione posita, *et potissimum adiumenta ad salutem necessaria*: et dicitur « potissimum », quia erga ista illud ius est accipiendum veluti stricte dictum.

770. **Habitus clericalis delatio vetita.** — *Can. 683. Non licet laicis* qua talibus *habitum clericalem deferre* intellectum ad normam can. 136, § 1 ibi explicatam, *nisi agatur vel* I° *de Seminariorum alumnis* scilicet: a) in Seminario commorantibus, b) *aliisque adspirantibus ad ordines de quibus in can. 972, § 2,* videlicet: « extra Seminarium legitime morantes » ad normam eiusdem can. § 1, hisque omnibus licet absolute illum habitum deferre: altera exceptio hoc in canone posita est: *vel* II° *de laicis*, a) *servitio ecclesiae* materialis *legitime* ad normam can. 1185 *addictis*, b) *dum* disiunctive *intra eamdem ecclesiam*, ut locum sacrum, *sunt aut extra ipsam in aliquo ministerio ecclesiastico* v. gr. in officio ceroferarii quoad processiones vel in deferendo lumine dum Viaticum ad infirmos geritur, etc., sic *partem habent*. Scilicet: sub qualibet harum tantummodo suppositionum clericalem induere vestem eis permittitur, equidem in sacris functionibus consuetam.

TITULUS XVIII.

De fidelium associationibus in genere.

CAN. 684. - Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere.

CAN. 685. - Associationes distinctae a religionibus vel societatibus de quibus in can. 487-681, ab Ecclesia constitui possunt vel ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam, vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, vel denique ad incrementum publici cultus.

CAN. 686. - § 1. Nulla in Ecclesia recognoscitur associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit.

§ 2. Associationes erigere vel approbare pertinet, praeter Romanum Pontificem, ad loci Ordinarium, exceptis illis quarum instituendarum ius, apostolico ex privilegio, aliis reservatum est.

§ 3. Licet privilegium concessum probetur, semper tamen, nisi aliud in ipso privilegio cautum sit requiritur ad validitatem erectionis consensus Ordinarii loci scripto datus; consensus tamen ab Ordinario praestitus pro erectione domus religiosae valet etiam pro erigenda in eadem domo vel ecclesia ei adnexa associatione, quae non sit constituta ad modum organici corporis et illius religionis sit propria.

§ 4. Vicarius Generalis ex solo mandato generali, et Vicarius Capitularis nequeunt associationes erigere aut consensum praebere pro earum erectione aut aggregatione.

§ 5. Erectionis litterae ab iis qui ex privilegio apostolico associationem erigunt, gratis concedantur, sola excepta taxa pro expensis necessariis.

CAN. 687. - Ad normam can. 100, tunc tantum fidelium associationes iuridicam in Ecclesia personam acquirunt, cum a legitimo Superiore ecclesiastico formale obtinuerunt erectionis decretum.

CAN. 688. - Associatio titulum seu nomen ne assumat quod levitatem aut absonam novitatem sapiat, vel speciem devotionis a Sede Apostolica non probatam exprimat.

CAN. 689. - § 1. Quaelibet associatio sua statuta habeat, a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata.

§ 2. Statuta quae non sint confirmata a Sede Apostolica, moderationi et correctioni Ordinarii loci semper subiecta manent.

CAN. 690. - § 1. Omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi speciale obstet privilegium, iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus.

§ 2. Associationes tamen, quae vi privilegii apostolici a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt, Ordinariis locorum fas non est visitare quod attinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritualem associationis directionem spectant.

CAN. 691. - § 1. Associatio legitime erecta, nisi aliud expresse cautum sit, bona temporalia possidere et administrare potest sub auctoritate Ordinarii loci cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet, ad normam can. 1525, minime vero parochi, licet in eius territorio erecta sit, nisi aliud Ordinarius ipse statuerit.

§ 2. Potest, ad normam statutorum, oblationes recipere, et recep-

Tit. XVIII. De fidelium associationibus in genere —

- commendatis aut vitandis — Can. 684
- diversi fines in Ecclesia — » 685
- erigendis —
  - per quamnam auctoritatem — » 686
  - ut sint personae morales — » 687
  - servanda circa —
    - titulum et nomen — » 688
    - statuta — » 689
    - subiectionem erga loci Ordinarium — » 690
- quoad temporalia bona — » 691
- quoad sodales —
  - necessaria ut sint tales — » 692
  - adscribendos vel secus — » 693
  - receptionis —
    - modus — » 694
    - gratuitas — » 695
  - dimittendos — » 696
- ius ad comitia celebranda, et electiones — » 697
- moderatoris aut cappellani nominatio, munus et revocatio — » 698
- supprimendis — » 699

tas erogare ad pios ipsius associationis usus, salva semper offerentium voluntate.

§ 3. Nulli associationi eleemosynas colligere licet, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet, et loci Ordinarii consensus accedat ac servetur forma ab eodem praescripta.

§ 4. Ad eleemosynas extra territorium colligendas uniuscuiusque Ordinarii venia, scripto data, requiritur.

§ 5. Oblationum quoque ac eleemosynarum fidelis erogationis rationem associatio reddat Ordinario loci.

CAN. 692. - Ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus, necesse est et sufficit ut quis in eam valide receptus sit, secundum propria associationis statuta et ab ea legitime non expulsus.

CAN. 693. - § 1. Acatholici et damnatae sectae adscripti aut censura notorie irretiti et in genere publici peccatores valide recipi nequeunt.

§ 2. Eadem persona potest adscribi pluribus associationibus, salvo praescripto can. 705.

§ 3. Absentes ne adscribantur associationibus ad modum organici corporis constitutis: praesentes autem, nonnisi scientes ac volentes adscribi possunt.

§ 4. Salvo praescripto can. 704, religiosi possunt piis associationibus nomen dare, exceptis iis quarum leges, Superiorum iudicio, cum observantia regulae et constitutionum conciliari nequeant.

CAN. 694. - § 1. Receptio fiat ad normam iuris ac statutorum uniuscuiusque associationis.

§ 2. Ut autem de receptione constet, inscriptio in albo associationis fieri omnino debet; imo haec inscriptio, si associatio in personam moralem erecta fuerit, est ad validitatem necessaria.

CAN. 695. - Occasione receptionis in associationem nihil directe vel indirecte exigatur, praeter id quod in statutis legitime approbatis designatum sit, aut ab Ordinario loci, ratione specialium circumstantiarum, expresse permissum in associationis favorem.

CAN. 696. - § 1. Nemo, legitime adscriptus, ab associatione dimittatur, nisi iusta de causa ad normam statutorum.

§ 2. Qui in casum inciderint, de quo in can. 693, § 1, expungantur, praemissa monitione, servatis propriis statutis et salvo iure recursus ad Ordinarium.

§ 3. Etiamsi in statutis nihil expresse caveatur, etiam loci Ordinarius quod ad omnes associationes, et Superior religiosus quod ad associationes ex apostolico indulto a religiosis erectas attinet, possunt socios dimittere.

CAN. 697. - § 1. Associationes legitime erectae ius habent, ad normam statutorum et sacrorum canonum, celebrandi comitia, edendi peculiares normas quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores bonorum, officiales et ministros, firmo praescripto can. 715.

§ 2. In iis quae convocationem ad comitia et electiones respiciunt, serventur ius commune, quod prostat in can. 161-182 et statuta iuri communi non contraria.

CAN. 698. - § 1. Nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, nominatio moderatoris et cappellani pertinet ad loci Ordinarium in associationibus ab ipso vel ab Apostolica Sede erectis aut approbatis, et in associationibus a religiosis vi apostolici privilegii erectis extra proprias ecclesias; in associationibus vero erectis a religiosis in propriis ecclesiis requiritur tantum Ordinarii loci consensus, si a Superiore moderator et cappellanus e clero saeculari eligantur.

§ 2. Moderator et cappellanus possunt, durante munere, benedicere associationis habitum seu insignia, scapularia, etc., eaque adscribendis imponere; quod vero ad conciones attinet, serventur praescripta can. 1337-1342.

§ 3. Moderatorem et cappellanum revocare ex iusta causa possunt qui illos nominaverunt eorumque successores vel Superiores.

§ 4. Idem potest esse moderator et cappellanus.

CAN. 699. - § 1. Ob graves causas et salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem, potest loci Ordinarius supprimere non solum associationem a se vel a decessoribus suis erectam, sed etiam associationem ex apostolico indulto a religiosis erectam de consensu Ordinarii loci.

§ 2. Associationes vero ab ipsa Apostolica Sede erectae nonnisi ab eadem supprimi possunt.

771. **Inscriptio tituli et ordo canonum.** — Sequitur *Titulus XVIII* inscriptus *De fidelium* qua talium, scilicet: quod attinet ad finem salutis eorum, iuvantibus vel eidem fini obstantibus *associationibus* quibuscumque seu *in genere*. - Quaenam sint associationes proficuae fidelibus aut nocivae, edicitur in canone 684, diversi fines, quos sibi praestituere possunt associationes in Ecclesia, recensentur in can. 685, deinde canones successive statuunt: 686 apud quem resideat potestas erigendi huiusmodi associationes, et 687 quandonam fiunt etiam personae morales in Ecclesia, cann. 688, 689 conditiones in associationum erectione servandas praestituunt, earumque subiectionem Ordinariis locorum can. 690; de ipsarum capacitate quoad temporalia bona loquitur can. 691, de adscriptione fidelium in ipsas sunt can. 692-696, ac denique iura exercenda per ipsas associationes vel per earum officiales constituunt obiectum can. 697, 698; quos omnes excipit can. 699 de associationum legitima suppressione.

772. **Associationes commendatae aut vitandae.** — *Can. 684. Fideles laude digni sunt*, nullo autem modo obligati, *si sua dent nomina associationibus* cum aliquo morali vinculo, *ab Ecclesia*, ut societate perfecta, per suos Praelatos *erectis vel saltem commendatis; caveant autem* e contrario, scilicet: prohibentur *ab associationibus* a) *secretis*, cum iuxta Salvatoris sententiam: « qui male agit odit lucem », b) *damnatis*, utpote quae nocivae sunt certe, c) *seditiosis*, utpote contrariis Divino Spiritui, qui est Deus pacis, d) *suspectis*, iuxta commendationem Apostoli: « ab omni specie mali abstinete vos », e) *aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere*, hoc ipso indisciplinam monstrantes erga ducem a Iesu Christo fidelibus propositum.

773. **Associationum fines.** — *Can. 685. Associationes distinctae a religionibus* definitis can. 448, 1° quae statum religiosum prae se ferunt, *vel societatibus* religiones imitantibus per

conditiones declaratas in can. 673, § 1, *de quibus* omnibus *in can. 487-681* Codex praescripta digessit, illae *ab Ecclesia constitui possunt*, ut imperfectae societates in ipsa, quae tamen sint destinatae a) *vel ad perfectiorem vitam christianam*, quae praeceptis concluditur, *inter socios promovendam* per adimplementum actionum supererogationis, b) *vel ad aliqua pietatis* erga Deum v. gr. Marialis rosarii frequentationem, *aut caritatis* erga proximos v. gr. invisendi ac iuvandi degentes in hospitalibus, *opera exercenda, vel denique* c) *ad incrementum publici cultus* v. gr. associatio ad vigilias nocturnas coram Ssmo. Sacramento publice exposito. Si enim omnes isti fines exclusi maneant in fidelium associatione, haec utpote fini Ecclesiae extranea, civili societati non ecclesiasticae attribuenda erit.

774. **Facultas erigendi atque conditiones servandae.** — Praeterea, ut privatae omnino associationis limites excedat, adhuc requiritur quoad ita exprimit *can. 686*. § 1. *Nulla in Ecclesia recognoscitur associatio quae a legitima* idest: iuxta canones competente *auctoritate ecclesiastica*, scilicet: ab hanc exercente persona a) *erecta* per aliquod documentum b) *vel saltem approbata non fuerit* iam prius constituta.

Determinat competentiam pro singulis huiusmodi associationibus § 2. *Associationes erigere vel approbare pertinet*, I° *praeter Romanum Pontificem* quoad omnes et in quibuscumque locis, II° *ad loci Ordinarium* quoad propriam dioecesim vel quasidioecesim, *exceptis illis quarum instituendarum ius*, III° *apostolico ex privilegio*, non aliter, *aliis reservatum est* [1].

Attamen circa praefatas exceptiones servandus in Ordinariorum locorum reverentiam § 3. *Licet privilegium concessum probetur* ad normam can. 79 [2], *semper tamen*, cum exceptione sequentis praescripti: *nisi aliud in ipso privilegio cautum sit, requiritur ad validitatem erectionis* a) *consensus Ordinarii loci*,

[1] Nunc S. Congr. de Prop. Fide adiungit Formulae maiori suarum facultatum, illam « 1. *Erigendi* illas etiam *Confraternitates* a S. Sede approbatas (definitas in can. 707) quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est (can. 686, §. 2), una excepta Confraternitate Ssmi. Rosarii (ad normam const. « Ubi primum » Leonis XIII, 2 Octobris 1898, II.) iisque (cum eadem exceptione, ut videtur ex cit. const. n. X) adscribendi Christifideles ».

[2] Can. 79. Quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usus adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat.

b) *scripto datus*, igitur esset insufficiens ad validitatem, si oretenus detur; imo explicitus pro unaquaque erectione, nam de implicito consensu quandonam sufficiat stricte canon sic enunciat: *consensus tamen ab Ordinario* supple loci *praestitus pro erectione domus religiosae*, necessarius ad normam can. 497, § 1 ibi expositam, *valet etiam pro erigenda* I° *in eadem domo vel ecclesia ei adnexa*, non tamen si haec ab illa sit distans, ut ad illam non pertineat, quamvis a religiosis deserviatur; *associatione* tamen *quae* II° *non sit constituta ad modum organici corporis* cum suis diversis officialibus ad normam can. 697, et dummodo III° *illius religionis sit propria*, eo quod ex privilegio Apostolico ab eadem religione rite erigatur.

Quisnam in §§ 2 et 3 veniat nomine Ordinarii loci, propter can^s. 198 § 1 clausulam: « nisi quis expresse excipiatur », decernit sequens § 4. *Vicarius Generalis ex solo mandato generali*, aliter cum speciali ad hoc mandato, *et Vicarius Capitularis* absolute, *nequeunt* I° *associationes* praedictas *erigere* ad § 2 quod attinet, *aut* II° *consensum praebere* a) *pro earum erectione* de quo in § 3, *aut* b) pro illarum *aggregatione* « ad cuius validitatem requiritur ut... 2° Fiat de consensu Ordinarii loci », prout praescribit can. 723.

Paragrapho 3° huius canonis connectitur sequens § 5. *Erectionis litterae ab iis qui ex privilegio apostolico associationem erigunt, gratis concedantur, sola excepta taxa pro expensis necessariis*, scilicet: in Dec°. Congr. Cardinalium sub Paulo V 6 Martii 1608 « titulo expensarum permissum fuit instituentibus vel aggregantibus scutatum unum aureum percipere sub poena, inter cetera, nullitatis », iam statutae per Const. « Quaecumque » Clem. VIII [1], quae agit de confraternitatibus erigendis per Regulares, et de confraternitatis existentis aggregatione alicui Archiconfraternitati vel confraternitati ad hoc competenti. De his agitur in Tit. sequenti; hic notare oportet clausulam irritantem in canone quem commentamur omissam fuisse. De litteris erectionis faciendae per locorum Ordinarios tacet canon, quia est can. 1507, qui respicit « taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae » in Curiis dioecesanis.

775. **Rationis personae moralis acquisitio.** — Valde notandus *can. 687*. *Ad normam can. 100*, qui est primus de personis

[1] 7 Dec. 1604.

moralibus, cuius praesens hic canon est applicatio, *tunc tantum fidelium associationes* de quibus tractat iste titulus, *iuridicam in Ecclesia personam acquirunt* scilicet: moralem, quae hoc in loco etiam collegialis est, *cum a legitimo* ad hoc *Superiore ecclesiastico* cognoscendo ex can. 686, §§ 2, 3, 4, *formale*, non aequipollens, *obtinuerint erectionis*, non laudis tantum vel approbationis, *decretum:* scilicet: documentum in quo erectio statuitur.

776. **Titulus seu nomen.** — Cum associationes ad invicem discernantur propria uniuscuiusque appellatione, praescribit *can. 688. Associatio titulum seu nomen*, quo ex associationis scopo vel ex Sancto aut mysterio denominatur, *ne assumat quod* a) *levitatem* utpote rationis vacuam *aut* b) *absonam novitatem* scilicet: ridiculam vel offensivam *sapiat, vel* c) *speciem devotionis a Sede Apostolica* adhuc *non probatam* et a fortiori improbatam *exprimat*. Prudenter illud statutum est, ne iudicium Ecclesiae antevertatur, aut nomen titulumve huiusmodi oporteat postea mutare.

777. **Statuta.** — *Can. 689.* § 1. *Quaelibet associatio sua statuta*, seu normas illius ac sodalium *habeat*, hoc praescribitur, et quae insuper sint a) *a Sede Apostolica* b) *vel ab Ordinario loci* pro diversitate auctoritatis, quae ipsas erexit; (nempe: *a*) Sedes Aplca. directe aut ex privilegio ab eadem concesso, *b*) loci Ordinarius), *examinata et approbata*.

De statutis ab Ordinario loci approbatis tantum intelligendus est § 2. *Statuta quae non sint* postea *confirmata a Sede Apostolica moderationi* pro diversitate temporis, circumstantiarum, etc. quae opus sit eis in praxi, *Ordinarii loci* in quo sita est associatio, *semper subiecta manent*. Contrarium asserere oportet de his quae a Sede Aplca. fuere confirmata.

778. **Subiectio erga loci Ordinarium.** — *Can. 690*, § 1. *Omnes associationes*, adeo absolute ut intelligantur *etiam ab Apostolica Sede erectae*, sub hac omnium limitatione: *nisi speciale obstet privilegium* a sequenti praescripto eximens. a) *iurisdictioni* scilicet: regimini quoad associationem et sodales *subsunt et* b) *vigilantiae Ordinarii loci*, ubi sita est, *qui ad normas sacrorum canonum* v. gr. 343-346 et aliorum, c) *eas invisendi ius habet*, cui respondet debitum in ipsis, *et munus* ex officio ac lege, ad hoc quidem curandum ut finis earum legitime ac pro posse obtineatur.

Limitatio quaedam est addita in § 2. *Associationes tamen, quae* a) *vi privilegii apostolici* b) *a religiosis exemptis* c) *in suis ecclesiis*, secus quae in aliis, *instituta sunt, Ordinariis locorum fas non est visitare*, tantummodo *quod attinet ad ea quae* a) *internam disciplinam* observantiae statutorum, b) *seu spiritualem associationis directionem*, opera fortassis subalternorum ministrorum directoris ipsius, *spectant*.

779. **Possessio et administratio temporalium.** — *Can. 691. Associatio legitime erecta* ad normam can. 686, 687, *nisi aliud expresse cautum fuerit* in erectione ipsa vel in eius statutis oppositum sequenti concessioni, *bona temporalia possidere et administrare potest*, ut distincta persona moralis in Ecclesia, *sub auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet, ad normam can. 1525*, scilicet: « § 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici » et « § 2. Si peculiari iure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur, ea lege ut aliter factae liberationes ipsis administratoribus minime suffragentur ». Explicit canonis 691 § 1: *minime vero* sub auctoritate *parochi* administratio illa geratur, *licet in eius* paroeciali *territorio erecta sit*, scilicet: in aliqua illius ecclesia vel sanctuario, *nisi aliud Ordinarius ipse statuerit* expresse tamquam exceptionem.

§ 2. *Potest, ad normam statutorum*, quae circa hoc debent disponere, I° *oblationes* equidem ultroneas *recipere*, II° *et receptas erogare* a) *ad pios* cultus vel caritatis *ipsius associationis usus*, b) *salva semper offerentium voluntate* quoad usus designationem unius prae alio, vel circa modum, vel alium usum. E contra § 3. *Nulli associationi eleemosynas colligere licet* hoc est: expostulare, quaestuare, *nisi id* a) *aut statuta permittant* ab auctoritate competente iuxta can. 689 approbata, *aut necessitas postulet*, in quo alterutro casu simul b) *et loci* ubi sita est *Ordinarii consensus accedat*, c) *ac servetur forma ab eodem praescripta*.

Hoc etiam praesupposito, addit: § 4. *Ad eleemosynas extra territorium* dioecesis *colligendas* idest: quaeritandas, *uniuscuisque* loci *Ordinarii* a) *venia*, b) *scripto data, requiritur*.

Praescriptumque § 1^i^ extendit statuens § 5. *Oblationum quoque* de quibus disposuit §^us^ 2us *ac eleemosynarum* de quibus agunt §§ 3 et 4, *fidelis erogationis* ad debitos usus *rationem associatio reddat Ordinario loci* sicut explicatum fuit in § 1°.

780. **Conditiones ut quis ad associationem pertineat.** — *Can. 692.* *Ad fruendum associationis* a) *iuribus*, forsitan recipiendi subsidia quaedam, b) *privilegiis*, c) *indulgentiis*, d) *aliisque gratiis spiritualibus* v. gr. suffragiis sodalium, *necesse est et sufficit* I° *ut quis in eam valide receptus sit, secundum propria associationis statuta* de quibus in can. 689 *et* II° *ab ea legitime* ad normam can. 696 *non expulsus*.

Hinc necesse fuit cognoscere conditiones validae receptionis ac legitimae dimissionis. Hoc edocent sequentes canones.

781. **Qualitates adscribendi.** — *Can. 693.* § 1. a) *Acatholici*, eo quod non baptizati, vel apostatae a christiana fide, vel in haeresi educati, *et* b) *damnatae* ab Ecclesia *sectae* v. gr. carbonariorum, massonicae, *adscripti aut* c) *censura* excommunicationis, suspensionis, interdicti *notorie irretiti*, sic, ut nulla tergiversatione celari possit, *et in genere* d) *publici peccatores* v. gr. usurarii, meretrices, etc. sub conditione publicitatis, hi singuli *valide recipi nequeunt*.

De aliis cavet § 2. *Eadem persona potest adscribi pluribus* praesertim diversis ex fine *associationibus, salvo praescripto can. 705* de tertiis ordinibus tunc explicando.

§ 3. *Absentes* a) *ne adscribantur associationibus ad modum organici corporis* scilicet: iuxta can. 697 *constitutis*, unde prohibitio haec non urget pro aliis associationibus; quod sequitur respicit quascumque, nempe: *praesentes autem*, multo magis absentes, b) *nonnisi scientes ac volentes adscribi possunt*: contrarium enim esset contra associationis naturam, hinc pueri ante usum rationis adscribi nequeunt.

§ 4. *Salvo praescripto can. 704* quoad tertios ordines ibi explicando, *religiosi* « qui vota noncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°) *possunt piis associationibus*, sic vocantur illae de quibus est Titulus, *nomen dare*, tamquam generalis regula, *exceptis iis quarum leges, Superiorum* (etiamsi localis Superior sit) *iudicio, cum observantia regulae et constitutionum conciliari nequeant*, quo iudicio praecedente, nomen valide non dant, ac si subsequatur inscriptioni, haec irrita fit.

782. **Receptionis modus.** — *Can. 694.* § 1. *Receptio fiat ad normam iuris* ecclesiastici vigentis etiam particularis *ac statutorum uniuscuiusque associationis*, forsitan cum sola inscriptione, aut addita scapularis impositione, etc. quandoque necessario praescripta ad receptionis validitatem.

De hac edicit § 2. *Ut autem de receptione constet*, scilicet: ad probationis effectum a) *inscriptio in albo* seu regesto sodalium *associationis fieri omnino debet;* unde pro qualibet associatione « firma remanet in conscientia obligatio inscribendi et transmittendi nomina, (nempe) pro sacerdotibus alicuius ex relativis Confraternitatibus rectoris munere carentibus, quamprimum commode possunt, transmittendi ad Superiores respective Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in album ipsius Sodalitatis referantur, iuxta decreta aliasque S. Sedis praescriptiones »[1] ac prosequitur canon: *imo haec inscriptio*, sub conditione: b) *si associatio in personam moralem erecta fuerit* ad normam can. 687, *est ad* receptionis *validitatem*, nempe: ut revera in associationem persona cooptetur *necessaria.* Hinc pro his postremis associationibus, non pro aliis, derogatum est cit°. Dec°. declaranti: « fideles eo ipso quo a legitime deputato admittuntur, rite adscriptos censeri, ad effectum tantummodo ut indulgentias lucrari aliarumque gratiarum spiritualium participes fieri valeant, etiamsi eorum nomina, quacumque ex causa, in album Sodalitatis relata non fuerint ». Quod plene viget post Codicem pro illis associationibus, quae in personam moralem erecta non fuerunt; sicut de similibus Decretis circa indulgentiarum concessiones probandum erit sub Titulo IV « de poenitentia », Cap. V « de indulgentiis » in Lib. III.

783 **Gratuitas.** — De facienda gratuita receptione est *canon 695. Occasione receptionis in associationem nihil directe vel indirecte exigatur*, quamvis sponte oblatum accipere non prohibeatur, praefata autem prohibitio sic restringitur: *praeter id quod* a) *in statutis legitime approbatis* hoc est « a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci » (can. 689), *designatum sit*, b) *aut ab Ordinario loci*, sed solummodo I° *ratione specialium circumstantiarum* proindeque ad tempus, II° *expresse permissum* III° *in associationis favorem.*

[1] Dec. S. C. S. Officii. 23 Apr. 1914. CO. VI, 308.

784. **Sodalium dimissio.** — Quoad dimissionem adscriptorum est unicus *can. 696. § 1. Nemo, legitime adscriptus, ab associatione dimittatur*, prout associationis natura exigit, *nisi iusta de causa ad normam statutorum.*

Praeterea § *2. Qui in casum inciderint, de quo in can. 693, § 1*, scilicet: quando valide recipi nequeunt, *expunguntur* ex huius canonis praescripto, a) *praemissa monitione* auferendi illud impedimentum, b) *servatis propriis statutis* quoad dimissionis circumstantias servandas, *et* c) *salvo iure recursus ad Ordinarium*, cui subiiciatur associatio, si dimissus se gravatum existimat.

Quisnam potestate dimittendi polleat est determinatum in § 3. *Etiamsi in statutis nihil expresse caveatur*, vel in eis attributa sit praedicta potestas alicui, a) *etiam loci Ordinarius quod ad omnes associationes*, proinde quoque ad sequentes quod attinet, b) *et Superior religiosus* attamen *quod ad associationes ex apostolico indulto a religiosis attinet*, ubicumque *erectas possunt socios dimittere.*

785. **Comitia et electiones.** — *Can. 697.* § 1. *Associationes legitime erectae* scilicet: ad normam can. 686, 687 *ius habent, ad normam* a) *statutorum et* b) *sacrorum canonum* I° *celebrandi comitia* pro diversis associationis negotiis, II° *edendi peculiares normas*, ultra statuta, *quae ipsum sodalitium respiciant*, III° *eligendi administratores bonorum, officiales et ministros*, et cum haec facienda sint ad normam statutorum, supponit canon associationem fuisse erectam ad modum organici corporis, in quo sunt membra cum diversis officiis in utilitatem associationis, *firmo praescripto can. 715* de interventu Ordinarii loci quoad omnia praedicta.

Specialiter cavet § 2. *In iis quae convocationem ad comitia et electiones respiciunt, serventur* I° *ius commune, quod prostat in can. 161-182*, extensum quoad illius obligationem vi huius canonis ad praedicta electionum comitia, etsi talia munera non sint officia sensu stricto dicta; *et* II° *statuta iuri communi* praefato *non contraria.* Hinc pro ceteris sub praec. §° permissis, cum ibi dicatur « ad normam statutorum et sacrorum canonum », videntur horum praescripta per illa utpote particularia derogari, iuxta reg. 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur ».

786. **Moderator et cappellanus.** — *Can. 698. Nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, nominatio* seu designatio *moderatoris* velut directoris, *et cappellani* forsitan distincti ab eo ad functiones cultus peragendas, *pertinet* I° *ad loci Ordinarium* a) *in associationibus ab ipso vel ab Apostolica Sede erectis* forsan in personam moralem *vel approbatis* post erectionem, *et* b) *in associationibus a religiosis vi apostolici privilegii erectis extra proprias ecclesias;* II° *in associationibus vero erectis a religiosis in propriis ecclesiis requiritur tantum Ordinarii loci consensus* circa personae designationem, in sequenti hypothesi solum: *si a Superiore* religioso *moderator et cappellanus* supra declarati *e clero saeculari eligantur;* secus si e numero religiosorum sumantur.

§ 2. *Moderator et cappellanus possunt*, praeter alios qui forsitan obtinuerunt delegatam potestatem eadem faciendi, a) *durante munere*, huius causa b) *benedicere associationis habitum seu insignia*, quo distinguantur a sodalibus alterius associationis, *scapularia* ipsius, etc., c) *eaque adscribendis* per seipsos *imponere; quod vero ad conciones attinet, serventur praescripta can. 1337-1342* ibidem explicanda in Lib. III[1].

§ 3. *Moderatorem et cappellanum revocare*, ab eis munus auferendo, *ex iusta causa*, non solo arbitrio, *possunt* a) *qui illos nominaverunt*, scilicet: loci Ordinarius vel Superior religiosus ad normam §i 1i, b) *eorumque successores* c) *vel Superiores* competentes quoad hanc rem, v. gr. respectu Ordinarii Sacra Congr. Concilii, respectu Superioris provincialis Moderator supremus religionis.

Monet § 4. *Idem potest esse moderator et cappellanus.*

787. **Suppressio.** — *Can. 699.* § 1. *Ob graves causas* solum, in seipsis vel ex circumstantiis tales, insuper *et salvo iure re-*

[1] Huc pertinet facultas quae a S. Congr. de P. F. additur Formulae maiori, et qua Ordinarius pollet: « *benedicendi Coronas et Scapularia earumdem* (ut videtur ex contextu « excepta Confraternitate Ssmi. Rosari ») *Confraternitatum propria,* cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt. — 2 Subdelegandi suis Missionariis facultatem adscribendi *Confraternitatibus,* de quibus supra n. 1, (iuxta declarationem ad can. 686 n. 1), ac *benedicendi Coronas et Scapularia earumdem Confraternitatum propria,* cum applicatione omnium Indulgentiarum et Privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt ».

cursus ad Apostolicam Sedem ob gravamen inde sequutum vel ob causarum defectum, equidem cum effectu suppressionis suspensivo, *potest loci Ordinarius supprimere* a) *non solum associationem a se vel a decessoribus suis erectam*, quod evidens est iuxta reg. 1[m] iuris: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », *sed etiam* b) *associationem ex apostolico indulto a religiosis erectam de consensu Ordinarii loci*, scilicet: extra eorum ecclesias, vel in eorum propriis « erectam » solum « quae sit constituta ad modum organici corporis » (can. 686, § 3), alioquin postrema paragraphi verba fuissent vane addita.

§ 2. *Associationes vero ab ipsa Apostolica Sede erectae*, quatenus ad normam can. 686, § 2 discernuntur ab aliis apostolico ex privilegio erectis, *nonnisi ab eadem supprimi possunt*. Ergo implicite remittit canon Superioribus religiosis proprias associationes supprimere ad normam § 1, dummodo sint erectae « in domo religiosa vel ecclesia ei adnexa, et quae non sint constitutae ad modum organici corporis » (can. 686, § 3).

TITULUS XIX.

De fidelium associationibus in specie.

CAN. 700. - Triplex distinguitur in Ecclesia associationum species: *tertii Ordines saeculares, confraternitates, piae uniones.*

CAN. 701. - § 1. Inter pias laicorum associationes, ordo praecedentiae est qui sequitur, firmo praescripto can. 106, nn. 5, 6:

1° Tertii Ordines;
2° Archiconfraternitates;
3° Confraternitates;
4° Piae uniones primariae;
5° Aliae piae uniones.

§ 2. Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, si agatur de processione, in qua defertur sanctissimum Sacramentum, praecedit ipsis archiconfraternitatibus.

§ 3. Omnes autem tunc solummodo ius praecedentiae habent, cum collegialiter incedunt sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis.

788. **Inscriptio tituli.** — Cum praecedenti est intime coniunctus *Titulus XIX* propter inscriptionem: *De fidelium associationibus* definitis in can. 685, *in specie* iuridica, scilicet: de associationibus, quae diversae sunt ad invicem propter sacros canones, qui praeter normas Tituli prae[s]. moderantur has vel illas, diversi a sacris canonibus regentibus alias: quemadmodum physicae species habent commune cum aliis genus, a quibus diversificantur propter peculiarem ipsis differentiam.

789. **Triplex species.** — *Can. 700. Triplex distinguitur in Ecclesia associationum* canonica *species:* quae in Codice sic nominantur: a) *tertii Ordines saeculares*, b) *confraternitates*, c) *piae uniones*.

790. **Ordo ac ius praecedentiae.** — Illarum relationem mutuam praescribit *can. 701.* § 1. *Inter pias laicorum associationes*, unde clericorum associationes super has praecedentiam habent ad normam can. 491, § 2. *ordo praecedentiae est qui sequitur, firmo praescripto can. 106, nn. 5, 6:* quoad praecedentiam « inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus », ac de loci Ordinarii iure « in sua dioecesi statuendi praecedentias inter suos subditos » secundum traditas ibi normas: - Praenuntiatus ordo praecedentiae talis est: *1° Tertii Ordines:* - *2° Archiconfraternitates* sic dictae ob potiorem gradum erga sequentes: - *3° Confraternitates; 4° Piae uniones primariae;* - *5° Aliae piae uniones.* Ita coordinantur diversae species, earumque gradus.

Exceptionem unicam praescribit § 2. *Confraternitas sanctissimi Sacramenti*, tantummodo *si agatur de processione in qua defertur sanctissimum Sacramentum, praecedit ipsis Archiconfraternitatibus*, excepta, ut patet, eiusdem tituli. Conditiones ad praecedentiae ius necessarias edicit § 3. *Omnes autem* laicorum associationes *tunc solummodo ius praecedentiae habent, cum* a) *collegialiter incedunt* b) *sub propria cruce vel vexillo* c) *et cum habitu seu insignibus associationis.*

791. **Tituli divisio in capita.** — Oportet animadvertere confraternitates ac pias uniones uti associationes magis ac minus perfectas ad invicem diversificari, quapropter valde similem legislationem illae nanciscuntur, et hac de causa coadunantur canones de utrisque sub eodem secundo capite. Archiconfraternitates autem ac piae uniones primariae non tantum potiorem gradum sed simul cum eo vinculum sortiuntur cum aliis confraternitatibus ac piis unionibus per ecclesiasticas leges moderatum. Hinc Titulus in tria Capita dispescitur: « I. De Tertiis Ordinibus saecularibus, II. De confraternitatibus et piis unionibus, ac III. De Archiconfraternitatibus et primariis unionibus ».

CAPUT I.

De tertiis Ordinibus saecularibus.

CAN. 702. - § 1. Tertiarii saeculares sunt qui in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis, secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas.

§ 2. Si tertius saecularis Ordo in plures associationes dividatur, harum quaelibet legitime constituta dicitur *sodalitas tertiariorum*.

CAN. 703. - § 1. Firmo privilegio nonnullis Ordinibus concesso, nulla religio potest tertium Ordinem sibi adiungere.

§ 2. Dato etiam apostolico privilegio, Superiores religiosi possunt quidem personas particulares tertio Ordini adscribere, sed nequeunt sodalitatem tertiariorum valide erigere sine consensu Ordinarii loci, ad normam can. 686, § 3.

§ 3. Nec sodalitatibus a se erectis possunt concedere usum particularium vestium, in publicis sacris functionibus deferendarum, sine speciali eiusdem Ordinarii licentia.

CAN. 704. - § 1. Qui vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in aliqua religione, nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere, etsi eidem antea fuerit adscriptus.

§ 2. Si solutus a votis ad saeculum redierit, antiqua adscriptio reviviscit.

CAN. 705. - Nulla tertiariorum sodalitas, sine apostolico indulto, adscribere potest sodales alius tertii Ordinis in eodem remanentes; singulis tamen sodalibus licet iusta de causa transire sive ab alio ad alium tertium Ordinem, sive ab alia ad aliam sodalitatem eiusdem tertii Ordinis.

CAN. 706. - Publicis processionibus, funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus tertiarii possunt, sed non tenentur, collegialiter interesse; at si intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est.

792. **Inscriptio capitis.** — Statuens Codex de privilegiis religiosorum, asseruit praeter viros Ordinis regularis existere moniales eiusdem Ordinis (can. 613, § 2), quae ceteroquin regulam habent aut constitutiones eiusdem spiritus fundatoris, pro eis mulieribus diversas a constitutionibus regularium. Sic pariter specialem regulam eiusdem spiritus dederunt quidam Ordines personis in saeculo aemulantibus ipsos. Profitentes igitur viri ac mulieres hanc regulam respectu habito ad regulares primi Ordinis et moniales eiusdem secundi Ordinis, constituerunt tertium eumdem Ordinem. Itaque *Caput I* inscribitur *De tertiis Ordinibus saecularibus* ita dictis ad distinguendum huiusmodi associationes laicorum a religionibus virorum mulierumve, qui eamdem tertiariorum regulam profitentur cum tribus votis religiosis ac viventes in communi, et qui solebant appellari tertii ordines regulares, et can. 492, § 1 eos viros ac mulieres nominat « tertiarios in communi viventes », reservato

nomine Regularium pro his « qui vota nuncuparunt in Ordine », quae est « religio in qua vota solemnia nuncupantur » (can 488, 7° et 2°).

793. **Ordo canonum** est huiusmodi: definitionem tertiariorum saecularium refert can. 702 et nomen imponit eorum peculiaribus associationibus, can. 703 statuit potestatem quoad has et illos; de non recipiendis ad tertium ordinem saecularem praescribunt can. 704, 705, atque ultimus can. 706 eorum ordinum saecularium ius moderatur interessendi sacris functionibus.

794. **Tertiarii saeculares eorumque sodalitas.** — *Can. 702. § 1. Tertiarii saeculares sunt* utriusque sexus fideles *qui* 1° *in saeculo*, ut ceteri cives, vitam agunt, ast 2° *sub moderatione alicuius Ordinis* proprie dicti ad normam can. 488, 2° ut supra, 3° *secundum eiusdem spiritum ad christianam perfectionem* prout a religiosa distinguitur *contendere nituntur*, 4° *modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas*. Hucusque de personis physicis quarum collectio est tertius Ordo saecularis. - Hinc sequitur § 2. *Si tertius saecularis Ordo in plures associationes dividatur*, cum speciali moderatore ac peculiaribus functionibus ecclesiasticis ad quas conveniunt, *harum quaelibet* associationum *legitime* iuxta seq. can[s]. *constituta dicitur* canonice *sodalitas tertiariorum*.

795. **Facultas Ordinis erga tertiarios.** — *Can. 703. § 1. Firmo* ad normam can. 613, § 1, *privilegio nonnullis* tantum *Ordinibus* proinde directe *concesso, nulla religio potest*, quamvis Ordo sit, *tertium Ordinem sibi adiungere*, etsi moniales habeat eiusdem religionis.

§ 2. *Dato etiam apostolico privilegio*, de quo in §° 1°, vel post Codicem novo, *Superiores religiosi* a) *possunt quidem* ad Constitutionum suarum normam *personas particulares tertio Ordini adscribere*, b) *sed* e contrario *nequeunt sodalitatem tertiariorum* (can. 702, § 2) *valide erigere sine consensu Ordinarii loci, ad normam can. 686*, § 3 pro tertiariorum sodalitatibus hoc in loco confirmatam, sub distinctione tamen ibidem explicatam de associationibus in genere. - Immo propter clausulam illius canonis loc. cit. « quae non sit constituta ad modum organici corporis », opportune addit prohibitionem sequentem § 3. *Nec sodalitatibus a se erectis* quamvis legitime ac quibuscumque *possunt concedere* a) *usum particularium vestium*, praeter sca-

pulare aliudve insigne tertii Ordinis, b) *in publicis sacris functionibus deferendarum*, c) *sine speciali* ad hoc *eiusdem Ordinarii licentia.*

796. **Incompatibilitas cum votis publicis.** — *Can. 704. § 1. Qui vota nuncupavit vel in perpetuum vel ad tempus in aliqua religione*, (can. 488, 1°) proinde « vota publica », idque non est extendendum ad eos, qui sodales sunt societatum sive virorum sive mulierum in communi viventes sine votis; ille ergo tantum seu religiosus *nequit simul ad ullum tertium Ordinem pertinere*, incompatibilitas prorsus aequa, quia ad maiorem sui status perfectionem illa persona contendit ac modo religiosae non saeculari vitae consentaneo, et hoc tenendum vel quoad eius invalidam in tertium ordinem admissionem, vel *etsi eidem antea*, scilicet: priusquam fieret religiosus, *fuerit adscriptus*, quae proinde cessat.

Et quia id evenit ipso iure, similem normam statuit sequens § 2. *Si* a) *solutus a votis*, sive ipsorum finito tempore, sive propter dispensationem ab eis, b) *ad saeculum redierit*, *antiqua adscriptio* de qua in fine §[i] praec[s]. *reviviscit* equidem ipso iure.

797. **Incompatibilitas simultaneae inscriptionis ad duos.** — *Can. 705. Nulla tertiariorum sodalitas*, can. 702, § 2 (ergo videtur canonem implicite potestatem in supremis Moderatoribus non abnuere, sed quia indirecte ob secundam can[s]. partem eis non licet, potestas non est utpote inutilis), *sine apostolico indulto* ad casus vel in perpetuum, directe sibi vel adscribendis concesso, *adscribere potest* quoad validitatem, nam si de liceitate ageretur inutilis esset clausula: « sine apostolico indulto », *sodales alius tertii Ordinis in eodem remanentes*, ita ut eadem persona pertineat simul ad duos tertios ordines saeculares, ita secundum praecedens ius; et hoc fidelibus ipsis non licet, omissa clausula irritante aut inhabilitante, utpote inutili propter correlationem ad sodalitatem adscribentem, dum canon subdit: *singulis tamen sodalibus licet iusta de causa* non pro libitu *transire* a) *sive ab alio ad alium tertium Ordinem*, b) *sive ab alia ad aliam sodalitatem eiusdem tertii Ordinis.*

798. **Ius interessendi functionibus publici cultus.** — *Canon 706. Publicis processionibus*, de quibus in Tit. XVIII Libri III, *funeribus aliisque ecclesiasticis functionibus*, publici ergo cultus, *tertiarii* possunt qua tales *sed non tenentur*, bene

id notandum pro Titulo citato, *collegialiter interesse;* quid sit collegialiter deprehenditur ex canone sic prosequente: *at si intersint*, a) *cum suis insignibus* v. gr. scapulari b) *sub cruce propria* saltem vexillo supraposita *incedant* illam sequentes *necesse est.*

CAPUT II.

De confraternitatibus et piis unionibus.

Can. 707. - § 1. Associationes fidelium quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis erectae sunt, nomine veniunt *piarum unionum;* quae, si ad modum organici corporis sint constitutae, *sodalitia* audiunt.

§ 2. Sodalitia vero in incrementum quoque publici cultus erecta, speciali nomine *confraternitates* appellantur.

Can. 708. - Confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt; pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii approbatio, qua obtenta, ipsae, licet morales personae non sint, capaces tamen sunt obtinendi gratias spirituales ac praesertim indulgentias.

Can. 709. - § 1. Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare, nisi confraternitatis habitum seu insignia deferant.

§ 2. Mulieres confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratribus concessas.

Can. 710. - Titulus seu nomen confraternitatis vel piae unionis desumatur vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Domini et Beatae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a pio opere ipsius sodalitii.

Caput II. De Confraternitatibus et piis unionibus

- in seipsis
  - definitiones — Can. 707
  - constitutio — » 708
  - specialia circa confraternitates — » 709
  - titulus seu nomen desumendum — » 710
- leges
  - distantiae mutuae — » 711
  - loci ubi sunt erigendae — » 712
- quae a religiosis erectae sint — » 713
- tantummodo
  - quoad habitum seu insignia — » 714
  - quoad comitia ordinaria et extraordinaria — » 715
- quoad functiones
  - in propriis ecclesiis — » 716
  - si in ecclesiis non suis erectae sint, et de patrimonio — » 717
- quoad confraternitatum interventum processionibus — » 718
- transferendis — » 719

CAN. 711. - § 1. Plures confraternitates vel piae uniones eiusdem tituli ac instituti, nisi id eis specialiter concessum sit aut iure cautum, ne erigantur neve approbentur in eodem loco; si vero agatur de magnis civitatibus, id licet, dummodo inter ipsas intercedat conveniens, iudicio Ordinarii loci, distantia.

§ 2. Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates sanctissimi Sacramenti, ac doctrinae christianae; quae, legitime erectae, ipso iure aggregatae sunt eisdem Archiconfraternitatibus in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis.

CAN. 712. - § 1. Confraternitates vel piae uniones ne erigantur, nisi in ecclesia aut oratorio publico vel saltem semi-publico.

§ 2. Ne instituantur, sine Capituli consensu, in ecclesia cathedrali aut collegiali.

§ 3. In ecclesiis vel oratoriis religiosarum Ordinarius loci permittere potest erectionem associationis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat.

CAN. 713. - § 1. Religiosi cum confraternitatibus piisve unionibus a se erectis possunt et debent communicare omnes et solas gratias spirituales, quae in facultatibus a Sede Apostolica receptis specifice et nominatim communicabiles declarentur, eaeque in actu erectionis manifestandae sunt singulis, servato praescripto can. 919.

§ 2. Confraternitatibus, ab iisdem erectis, non licet vestem propriam seu insignia, quae in publicis processionibus aliisque sacris functionibus deferenda sunt, assumere sine speciali Ordinarii loci licentia.

CAN. 714. - Confraternitas proprium habitum vel insignia, sine licentia Ordinarii loci, ne dimittat neve immutet.

CAN. 715. - § 1. Comitiis confraternitatum, etsi in regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis, per se vel per delegatum praeesse sine iure tamen suffragii, dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbatae fuerint, corrigere et approbare, pertinet ad loci Ordinarium.

§ 2. De comitiorum extraordinariorum celebratione confraternitas Ordinarium loci eiusve delegatum tempestive praemoneat; secus Ordinario ius est comitia impediendi vel eorum decreta penitus infirmandi.

CAN. 716. - § 1. Confraternitates et piae uniones, in propriis ecclesiis erectae, functiones non paroeciales, servatis servandis, independenter a parocho exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia non noceant.

§ 2. Idem servetur etiam in casu quo paroecia erecta sit in ipsa confraternitatis ecclesia.

§ 3. In dubio utrum functiones confraternitatis vel piae unionis noceat, necne, ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat ius decidendi, itemque statuendi practicas normas servandas.

CAN. 717. - § 1. Si in ecclesiis non suis erectae sint, proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari, in quo sunt erectae, peragere possunt ad normam con. 716 et peculiarium statutorum.

§ 2. Patrimonium confraternitatis et piae unionis, quae erecta sit in ecclesia non sua, aut cuius ecclesia sit simul ecclesia paroecialis, debet esse separatum a bonis fabricae vel communitatis.

CAN. 718. - Confraternitates processionibus consuetis et aliis, quas Ordinarius loci indixerit, tenentur collegialiter cum propriis insignibus et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud praescripserit.

CAN. 719. - § 1. De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam sedem transferri potest, nisi iure aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur.

§ 2. Quoties agatur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata, Superioris consensus est requirendus.

799. **Inscriptio capitis ac ordo canonum.** — Sequitur *Caput II. - De confraternitatibus et piis unionibus*, quae ab invicem discernuntur uti associationes generaliter magis ac minus perfectae pro finis diversitate, ut patebit in can. 707 eas definiente, propter quas definitiones sequuntur can. 708, 709, hic autem specialiter agit de confraternitatibus; de titulo seu nomine singularum sub capitis inscriptione associationum statuit can. 710, praecedentis iuris legem de distantia moderatur canon 711, et aliam de ipsarum sede can. 712; his subsequuntur tres canones 713-715 de confraternitatibus, harum respicientes constitutionem; de functionibus confraternitatum et piarum unionum ac de patrimonio tractant can. 716, 717 sub distinctione suarum vel non suarum ecclesiarum in quibus erectae sint, quoad confraternitates processionibus interessentes datur can. 718, subsequente ultimo, nempe: 719, de utrarum associationum translatione ab una in aliam sedem.

800. **Definitiones.** — Dum tertii ordines saeculares ad normam can. 702, § 1 constituuntur « ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam », ait *can. 707. § 1. Associationes fidelium quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis* explicati in can. 685 *erectae sunt, nomine veniunt* canonico *piarum unionum;* cum admonitione notanda in iure: *quae* piae uniones, *si ad modum organici corporis* cum diversis officialibus in earum utilitatem *sint constitutae, sodalitia audiunt* sine addito, atque sic iuris appellatione sunt distincta a sodalitatibus tertiariorum. - Huic §° copulatur § 2. *Sodalitia vero* dicta, praeterquam « ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis », *in incrementum quoque publici cultus*, scilicet: delati « nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis, ac Beatis tantum exhibendos » (can. 1256), *erecta speciali nomine* in iure *confraternitates appellantur.*

801. **Constitutio.** — *Can. 708. Confraternitates* a) *nonnisi*, alias ergo invalide ad normam can. 11 [1], *per formale erectionis decretum constitui possunt*, scilicet: sint semper personae morales collegiales ad normam can. 100: non sic de sequentibus,

[1] Can. 11. Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

ait enim canon: b) *pro piis autem unionibus sufficit Ordinarii*, forsitan Superioris religiosi exempti, *approbatio, qua obtenta*, c) *ipsae* piae uniones, *licet morales personae non sint* congruenter can[i]. 100, fieri autem tales non vetatur, *capaces tamen sunt* semper vi huius canonis *obtinendi* ab Ecclesia *gratias spirituales ac praesertim indulgentias* etiam eis peculiares.

802. **Specialia confraternitatum.** — Propter scopum confraternitatum proprium, scriptus est totus *can. 709. § 1. Confratres nequeunt* qua tales *sacris functionibus* scilicet: publici cultus *operam praestare*, v. gr. in expositione ac repositione Ssmi. Sacramenti eiusque adoratione, *nisi confraternitatis habitum seu insignia deferant.*

§ 2. *Mulieres confraternitatibus adscribi tantum possunt* ob partialem harum finem, videlicet: *ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratribus concessas*, non ad habendam in cultus publici incrementum partem diversam a ceteris fidelibus.

803. **Titulus seu nomen adsumendum.** — *Can. 710. Titulus seu nomen*, quo hae associationes ab invicem singulariter discernantur, *confraternitatis vel piae unionis desumatur* a) *vel a Dei attributis*, v. gr. providentia, b) *vel a christianae religionis mysteriis* v. gr. a Ssma. Trinitate, a Ssmo Sacramento, c) *vel a festis Domini* v. gr. ab Inventione S. Crucis d) *et Beatae Virginis Mariae* v. gr. a Ssmo. Rosario, e) *vel a Sanctis* v. gr. a S. Thoma, f) *vel a pio opere ipsius sodalitii* v. gr. pro agonizantibus.

804. **Distantia mutua.** — *Can. 711. § 1. Plures confraternitates vel piae uniones eiusdem tituli* de quo in can. praec[i]. *ac instituti* scilicet: eiusdem operis pietatis et caritatis exercendi, salvis exceptionibus: *nisi* I° *id eis specialiter concessum sit* ab Aplca. Sede, v. gr. Sodalitatibus Filiarum Mariae, per Dec. Indulg. (30 Aug. 1866, n. 416) *aut* II° *iure cautum* v. g. in seq[i]. §°, *erigantur neve approbentur* ad normam can. 708 ibi explicatam *in eodem loco* scilicet: civitate, oppido, forsitan plures paroecias continente: et subiungitur exceptio III° sub conditionibus, *si vero agatur* a) *de magnis civitatibus, id licet* scilicet: contrarium vetito praec[i]., seu plures confraternitates piasve uniones eiusdem nominis ac instituti erigere vel approbare, b) *dummodo inter ipsas* etiam ex aplco. priv. erigendas *intercedat conveniens, iudicio Ordinarii loci, distantia.* Et totum praescriptum congruit iuri praecedenti.

§ 2. *Curent locorum Ordinarii*, commendatio exequenda iuxta prudentiam, *ut in qualibet paroecia instituantur confraternitates* a) *sanctissimi Sacramenti*, b) *ac doctrinae christianae;* de quibus affert canon speciale iuris sequens privilegium: *quae, legitime erectae, ipso iure aggregatae sunt* (de qua aggregatione tractabitur in Capite III°) *eisdem Archiconfraternitatibus*, scilicet: eiusdem tituli ac instituti, *in Urbe a Cardinali Urbis Vicario erectis* et sic apprime designatis.

805. **Locus ubi sunt erigendae.** — *Can. 712. § 1. Confraternitates vel piae uniones ne erigantur, nisi in Ecclesia aut oratorio publico vel saltem semi-publico*, quae definiuntur in canon. 1161, 1188[1], atque praescriptum hoc iuri praec[1]. congruens bene notandum est.

§ 2. *Ne instituantur, sine Capituli* cathedralis respective vel collegialis *consensu* de quo videndus can. 105, 1°, *in Ecclesia cathedrali aut collegiali.*

§ 3. *In ecclesiis vel oratoriis* enumeratis in §° 1° *religiosarum* (sororum vel monialium) *Ordinarius loci permittere potest erectionem* 1° *associationis mulierum tantum*, scilicet: pro eis solummodo institutae, 2° *aut piae unionis quae*, fortassis adscribens sibi etiam viros, a) *nonnisi precationibus incumbat* velut fini *et* b) *gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat.* Consequenter alias associationes permittere nequit ibidem.

806. **Quae a religiosis erectae sint.** — *Can. 713. § 1. Religiosi*, quicumque « Societatis etiam Iesu », sicut ait Dec. Sacrae Congr. Indulg. et SS. Reliq.[2], *cum confraternitatibus piisve unionibus a se erectis* « apostolico ex privilegio » (can. 686, § 2), *possunt et debent communicare* a) *omnes* (non aliquas solum) b) *et solas gratias spirituales, quae in facultatibus a Sede Apostolica receptis specifice et nominatim communicabiles de-*

[1] Can. 1161. Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum.

Can. 1188. § 1. Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam. § 2. Est vero oratorium: - 1° *Publicum*, si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi; - 2° *Semi-publicum*, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire

[2] 19 Mart. 1671. Dec. auth. n. 6.

clarentur, alias nequeunt valide communicare, c) *eaeque* scil. « specifice et nominatim » *in actu erectionis manifestandae sunt singulis* praedictis associationibus, *servato praescripto can. 919* [1] quoad licentiam Ordinarii loci vel Sedis Apostolicae necessariam pro editione ac divulgatione summarii Indulgentiarum.

Nunc se convertit Codex ad moderandas solas confraternitates, et primo de praedictis in §° 1° statuit § 2. *Confraternitatibus, ab iisdem* religiosis *erectis, non licet vestem propriam seu insignia, quae* ad normam can. 709, § 1 a) *in publicis processionibus* b) *aliisque sacris functionibus deferenda sunt* pro confraternitatum peculiari scopo « in incrementum quoque publici cultus » (can. 707, § 2), *assumere* determinando ea *sine speciali*, nempe: ad hoc, *Ordinarii loci licentia.* Idem praescriptum de tertiariis saecularibus positum est in can. 703, § 2.

807. **Habitus et insignia.** — Consequenter ob regulam Iuris I^am^ est additus *can. 714. Confraternitas* quaecumque *proprium habitum vel insignia, sine licentia Ordinarii loci, ne dimittat* omnino, *neve immutet* partialiter.

808. **Comitia et electiones.** — Prosequitur de confraternitatum subiectione erga loci Ordinarium *can. 715. § 1. Comitiis confraternitatum* quarumcumque *etsi in Regularium ecclesiis et oratoriis* scilicet: in locis exemptis *celebrandis*, proindeque ab ipsis erectarum in illis, a) *per se vel per delegatum praesse* tantum, dicitur enim: *sine iure tamen suffragii* ratione praesidatus, b) *dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare*, c) *indignos vel non idoneos respuere* tunc electos, *aut removere* iam existentes, d) *statuta aliasve normas* praeter ea editas forsan per huiusmodi comitia, sub conditione: *nisi a Sede Apostolica approbatae fuerint, corrigere et approbare* conditas, totum id *pertinet ad loci Ordinarium.*

Imo praecedenti de causa est additus § 2. *De comitiorum extraordinariorum celebratione*, quae nesciri ab Ordinario loci praesumuntur, a) *confraternitas* disiunctive *Ordinarium loci eiusve delegatum* pro confraternitate *tempestive praemoneat*,

[1] Can. 919. § 1. Novae indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci.

§ 2. In edendis libris, libellis, etc., quibus concessiones indulgentiarum pro variis precibus aut piis operibus recensentur, servetur praescriptum can. 1388. — Hoc legitur in pag. 776.

absdubio ut interessendi iure valeat uti; b) *secus*, scilicet: praemonitione omissa, vel non tempestive facta, *Ordinario ius est* disiunctive *comitia* haec facienda *impediendi vel eorum* celebratorum *decreta infirmandi*. Potest tamen ex prudentia vel benignitate tacere atque tunc decreta praedicta valerent. - Hucusque de solis confraternitatibus.

809. **Functiones in propriis ecclesiis.** — *Can. 716. § 1. Confraternitates et piae uniones, in propriis* earum *ecclesiis erectae*, a) *functiones non paroeciales*, scilicet: praeter « functiones parocho reservatas » in can. 462, b) *servatis servandis* ex Codice ac iure liturgico, c) *independenter a parocho* in cuius territorio sita est ecclesia illa. idest: ipso inscio, etiam positive nolente, aut contradicente *exercere possunt*, hac servata limitatione: *dummodo* d) *ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia* proinde distincta *non noceant* forsitan propter functionum horam et concursum parochianorum.

Imo praescriptum hoc extendit ad sequentes casus § 2. *Idem servetur etiam* quoad omnes §[i] praec[is]. circumstantias *in casu quo paroecia erecta sit in ipsa confraternitatis ecclesia*. Scilicet: ex tali paroeciae erectione nullam sui iuris mutationem sustinet fraternitas, et iuste prorsus.

§ 3. *In dubio utrum functiones confraternitatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio paroeciali*, seu circa normam canonis applicandam. *ad Ordinarium loci spectat* a) *ius decidendi*, altera parte contradicente vel non, *itemque* b) *statuendi practicas normas servandas*, ut pax inter ipsos christiana floreat.

810. **In ecclesiis non suis, ac de ipsarum patrimonio.** — *Can. 717. § 1. Si in ecclesiis non suis* scilicet: confraternitatum piarumve unionum non propriis eaedem *erectae sint*, a) *proprias* earum (non alias) *functiones ecclesiasticas*, exclusis quoque functionibus, quae parocho reservantur, b) *in sacello tantum vel altari*, c) *in quo sunt erectae*, prout supponit canon in casu fieri debuisse, et id notetur, illas functiones *peragere possunt ad normam* a) *can. 716* de non nocendo ministerio paroeciali, b) *et peculiarium statutorum*, quae oportet super has functiones cavisse, ne dissidia cum parocho oriantur.

Necessarius fuit § 2. *Patrimonium confraternitatis et piae unionis*, si haec sit persona moralis, alterutrius *quae* a) *erecta sit in ecclesia non sua* idest: non propria (§ praec.). *aut* b) *cu-*

ius ecclesia sit simul ecclesia paroecialis v. gr. ut in can. 716, § 2, *debet esse separatum* quoad eius administrationem quoque, *a bonis fabricae* ecclesiae, *vel communitatis* paroecialis v. gr. « communitatis » religiosae. vel sine votis. cui adnexa sit paroecia, alteriusve sitae in ecclesia.

811. **Obligatio interessendi processionibus.** — Pro confraternitatum propria natura (can. 707, § 2) praescribit *can. 718. Confraternitates processionibus consuetis* fieri cum earum interventu *et aliis* extraordinariis *quas Ordinarius loci indixerit*, utrisque tantummodo, *tenentur* a) *collegialiter*, uti confraternitates, b) *cum propriis insignibus* ad normam can. 709. § 1. 713, § 2 et 714, *et* c) *sub proprio vexillo* sequendo *interesse*, talis est earum obligatio, *nisi Ordinarius aliud praescripserit* quoad huius canonis observantiam in casibus.

812. **Translatio.** — *Can. 719. § 1. De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam sedem transferri potest* volens, atque iusta de causa etsi nolit, *nisi* a) *iure* b) *aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur* Et patet. - Sequitur monitio pro casibus in § 2. *Quoties agatur de transferenda confraternitate vel pia unione alicui religioni reservata* quoad erectionem ad normam can. 686, §§ 2. 3. *Superioris* competentis *consensus est requirendus* equidem ad normam can. 105, 1°.

CAPUT III

De Archiconfraternitatibus et primariis unionibus.

CAN. 720. - Sodalitia quae iure pollent alias eiusdem speciei associationes sibi aggregandi, *archisodalitia*, vel *archiconfraternitates*, vel piae uniones, congregationes, societates *primariae* appellantur.

CAN. 721. - § 1. Nulla associatio potest sine apostolico indulto alias sibi valide aggregare.

§ 2. Archiconfraternitas vel primaria unio eas tantum potest confraternitates vel pias uniones sibi aggregare, quae sint eiusdem tituli ac finis. nisi indultum apostolicum aliud ferat.

CAN. 722. - § 1. Per aggregationem communicantur omnes indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales communicabiles quae associationi aggreganti directe et nominatim a Sede Apostolica concessae fuerint vel in posterum concedantur, nisi aliud in indulto apostolico caveatur.

§ 2. Ex hac communicatione nullum ius associatio aggregans acquirit supra aggregatam.

CAN. 723. - Ad aggregationis validitatem requiritur ut:

1° Associatio iam fuerit canonice erecta nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni aggregata;

2° Fiat de consensu Ordinarii

loci scriptis dato una cum eius litteris testimonialibus;

3° Indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales quae per aggregationem communicantur, enumerentur in elencho, ab Ordinario loci, in quo archiconfraternitas sita est, recognito et societati aggregatae tradendo;

4° Aggregatio fiat formula in statutis praescripta et in perpetuum;

5° Litterae aggregationis expediantur gratis omnino et nulla prorsus mercede etiam sponte oblata, exceptis necessariis expensis.

CAN. 724. - Archiconfraternitas vel primaria unio de alia ad aliam sedem nonnisi ab Apostolica Sede transferri potest.

CAN. 725. - Titulus *archisodalitii* vel *archiconfraternitatis* vel *unionis primariae*, etiam honoris tantum causa, potest associationi ab una Sede Apostolica concedi.

813. **Inscriptio capitis huiusque canones.** — Ultimo *Caput III* commentandum est inscriptum *De Archiconfraternitatibus*, idest: de primis inter confraternitates *et primariis unionibus* inter pias. - Habet sub seipso sex canones, videlicet: canon. 720 in quo definiuntur, et can. 721 in quo decernitur earum auctor ac proprii iuris notio; eiusdem iuris exercitium ac effectus ostendit can. 722 etiam quoad validitatem moderatum in can. 723, de translatione Archiconfraternitatum et primariarum unionum est can. 724, et ultimus qui est 725 de huiusmodi titulis honoris causa conferendis statuit.

814. **Definitio.** — *Can. 720. Sodalitia* scilicet: « associationes fidelium quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis erectae sunt, ad modum organici corporis constitutae » (can. 707, § 1), *quae iure pollent* seu ditata sunt *alias eiusdem speciei* (can. 700) *associationes* respective confraternitates aut pias uniones *sibi aggregandi*, scilicet: tertiis ordinibus saecularibus ab aggregatione exclusis; nomine generico *archisodalitia*, vel quae « in incrementum quoque publici cultus erecta sunt » ad normam can. 707, § 2, nomine specifico *archiconfraternitates*, *vel* si hoc ultimum eis non competit, tunc a) *piae uniones*, quandoque b) *congregationes*, quaedam etiam c) *societates* singulaeque *primariae appellantur* vulgo, et in iure quoque.

815. **Origo et normae iuris aggregandi.** — De talis iuris origine nos edocet *can. 721.* § 1. *Nulla associatio potest* scilicet: ius habet *sine apostolico indulto* seu gratiosa concessione *alias sibi valide aggregare.* - Quo indulto obtento, est limitatio sequens observanda: § 2. *Archiconfraternitas vel primaria unio eas tantum potest* vi prefati iuris seu valide a) *confraternitates*

vel b) *pias uniones* respective *sibi* a) archiconfraternitati vel b) primariae unioni *aggregare*, *quae sint* a) *eiusdem tituli* seu nominis ad normam can. 688, b) *et finis* scilicet: operis pietatis vel caritatis exercendae, *nisi indultum apostolicum* origo iuris aggregandi ex §° 1° *aliud ferat* ut compatibile, vel concedens contra hunc §m.

816. **Effectus aggregationis** determinat *can. 722. § 1. Per aggregationem communicantur* a) *omnes indulgentiae*, b) *privilegia*, c) *et aliae gratiae spirituales* a) *communicabiles*, tum ex natura ipsarum, tum ex indulti apostolici tenore, ast solummodo *quae associationi* cum iure valido *aggreganti* b) *directe et* c) *nominatim* ei *a Sede apostolica concessae fuerint vel in posterum concedantur*, scilicet: post peractam aggregationem, *nisi aliud in apostolico indulto* erigente archiconfraternitatem vel primariam unionem *caveatur*. - Notandus autem § 2. *Ex hac communicatione nullum ius associatio aggregans*, quo potior qualitercumque fiat, *acquirit supra aggregatam.*

817. **Conditiones validae aggregationis.** — *Can. 723. Ad aggregationis validitatem requiritur ut: - 1° Associatio* aggreganda, ut patet, a) *iam fuerit canonice erecta* b) *nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni* pro illius specie *aggregata* valide; - *2° Fiat* aggregatio a) *de consensu Ordinarii loci* in quo inveniatur associatio aggreganda, b) *scriptis dato* c) *una cum eius* Ordinarii *litteris testimonialibus* circa eamdem associationem, quibus eam commendabilem ostendat; - *3° Indulgentiae, privilegia et aliae gratiae spirituales quae per aggregationem communicantur* ad normam can. 722, § 1, a) *enumerentur in elencho* recensente singulas, b) *ab Ordinario loci in quo archiconfraternitas sita est*, c) *recognito*, tanquam conformi documentis authenticis ex quibus forsitan pluribus fuit confectus, nec pro eodem « requiritur expressa licentia Sedis Apostolicae » (can. 1388, § 2) secundum Dec. S. Congrs. Indulgentiarum[1] adhuc vigens ut probandum est ad citm. paragraphum; praefatoque elencho iam recognito d) *et societati aggregatae tradendo* simul cum diplomate aggregationis, quamvis « in distincto folio »[2]; - *4° Aggregatio fiat* a) *formula in statutis* Archiconfraternitatis vel primariae unionis *praescripta et* b) *in perpetuum*

[1] 8 Ian. 1861. Dec. auth. n. 388.
[2] Dec. S. Congr. Indulgent. 8 Ian. 1861. Dec. auth. n. 388.

quoad aggregationis durationem; - 5° *Litterae aggregationis expediantur* a) *gratis omnino* b) *et nulla prorsus mercede*, valde notandum: *etiam sponte oblata* non recipienda, c) *exceptis necessariis expensis* quo « titulo expensarum permissum fuit scutatum unum aureum recipere » per decretum S. Congr. Indulgentiarum sub Paulo V [1]; sed ultimo recolere oportet omnes has conditiones, quarta mutata, statutas fuisse per Bullam « Quaecumque » Clem. VIII [2] et moderatas per subsequentia decreta S. Congr. Indulgentiarum, quae inveniuntur in Collectione « Decreta authentica huius S. Congregationis », praesertim per Dec. Urbis et Orbis 8 Ian. 1861 iam citatum.

818. **Translatio.** — Diversimode ac decretum est de confraternitatibus ac piis unionibus in can. 719, edicit *can. 724. Archiconfraternitas vel primaria unio de alia ad aliam sedem*, scilicet: Ecclesiam vel oratorium *nonnisi ab Apostolica Sede transferri potest.*

819. **Titulus honoris causa.** — Etiam reservatur concessio de qua loquitur ultimus secundi libri *can. 725. Titulus archisodalitii* genericus, *vel archiconfraternitatis vel unionis primariae, etiam honoris tantum causa*, vel cum aliquo effectu, *potest associationi* respectivae *ab una Sede Apostolica concedi.*

ET SIC EXPLICIT HUIUS SECUNDI LIBRI
BREVIS EXPLANATIO.
DEO GRATIARUM ACTIO ET GLORIA. AMEN.

[1] 6 Martii 1608 sub n. 388. — [2] 7 Dec. 1604 sub n. 388.

INDEX
CANONUM ET COMMENTARII

PARS PRIMA.

De Clericis.

SECTIO I.

De clericis in genere.

TITULUS I.

De clericorum adscriptione alicui dioecesi.

TITULUS II.

De iuribus et privilegiis clericorum.

TITULUS III.

De obligationibus clericorum

TITULUS IV.

De officiis ecclesiasticis.

Caput. I. — De provisione officiorum ecclesiasticorum.

Art. I. — *De libera collatione.*

Art. II. — *De electione.*

ART. III. — *De postulatione.*

CAPUT. II. — **De amissione officiorum ecclesiasticorum.**

TITULUS V.

De potestate ordinaria et delegata.

TITULUS VI.

De reductione clericorum ad statum laicalem.

SECTIO II.

De clericis in specie.

TITULUS VII.

De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes.

Caput I. — De Romano Pontifice.

CAPUT II. — **De Concilio Oecumenico.**

CAPUT III. — **De S. R. E. Cardinalibus.**

Caput VII. — **De Conciliis plenariis ac provincialibus.**

Caput VIII. — **De Vicariis et Praefectis Apostolicis.**

Caput. II. — **De Coadiutoribus et Auxiliaribus Episcoporum.**

Caput III. — **De Synodo dioecesana.**

Caput V. — **De Capitulis canonicorum.**

Caput VI. — **De consultoribus dioecesanis.**

Caput VII. — **De Sede impedita aut vacante ac de Vicario Capitulari.**

Caput VIII. — **De Vicariis foraneis.**

Caput IX. — **De parochis.**

Caput X. — **De vicariis parochialibus.**

Caput XI. — **De ecclesiarum rectoribus.**

PARS SECUNDA.

De Religiosis.

TITULUS IX.

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

TITULUS X.

De religionum regimine.

Caput I. — De Superioribus et de Capitulis.

Caput II. — De Confessariis.

Caput III. — De bonis temporalibus eorumque administratione.

TITOLUS XI.

De admissione in religionem.

Caput I. — **De postulatu.**

Caput II. — **De novitiatu.**

Art. I. — *De requisitis ut quis in novitiatum admittatur.*

Art. II. — *De novitiorum institutione.*

Caput III. — **De professione religiosa.**

TITULUS XII.

De ratione studiorum in religionibus clericalibus.

TITULUS XIII.

De obligationibus et privilegiis religiosorum.

Caput I. — **De obligationibus.**

Caput II. — De privilegiis.

Caput III. — De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis.

TITULUS XIV.

De transitu ad alium religionem.

TITULUS XV.

De egressu e religione.

TITULUS XVI.

De dimissione religiosorum.

Caput I. — De dimissione religiosorum qui vota temporaria nuncuparunt.

Caput II. — De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali non exempta vel in religione laicali.

Caput III. — De processu iudiciali in dimissione religiosorum qui vota perpetua sive solemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta.

TITULUS XVIII.

De fidelium associationibus in genere.

TITULUS XIX.

De fidelium associationibus in specie.

Caput I. — De tertiis Ordinibus saecularibus.

Caput II. — De confraternitatibus et piis unionibus.

Caput III. — **De Archiconfraternitatibus et primariis unionibus.**